3. C.

VIII. C. 12.

ANTIQUITATUM
ET
HISTORIÆ SABARIENSIS
AB
ORIGINE
USQUE
AD PRÆSENS TEMPUS
LIBRI NOVEM

STUDIO ET OPERA
STEPHANI SCHOENVISNER
AA. LL. ET PHIL. DOCT. IN REG. UNIV. HUNG.
ANTIQVIT. ET REI NUM. PROF. PUBL. BIBL. CUST.
PRESB. ARCHIDIOEC. STRIGON.

PESTINI
ANNO SALUTIS MDCCXCI. TYPIS MATTHIÆ TRATTNER.

Quid eſt ætas hominis, niſi memoria rerum veterum?

CICERO *in Oratore ad Brutum.*

Hiſtoria veritatem requirit, ſive priſca ea, ſive nova ſit.

STRABO *Geogr. Lib. XI.*

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO
DOMINO
JOANNI SZILY
DE FELSÖ SZOPOR
EPISCOPO SABARIENSI.

Commentarios meos de rebus Sabarienſibus cum Nomini TUO, Illuſtriſſime Praeſul, inſcribo, facio id prorſus, quod ii ſolent, qui beneficium auctori, a quo id profectum eſt, in acceptis referunt. TE enim hortatore iis conſcribendis me accinxi; vetuſtiſſima, & medii aevi monumenta, quibus iisdem pondus accederet, abs TE mihi ſuppeditata ſunt; TUA denique liberalitate, ac munificentia iidem nunc publicam in lucem prodeunt. His proinde ſi SABARIA, civitas modo TUA, quondam vero celeberrima Romanorum colonia, imperio, & auſpiciis Tiberii Claudii Auguſti deducta, Imperatorum

Septimii Severi, Conſtantini Magni, Conſtantii, & Valentiniani commoratione nobilitata, Provinciae Pannoniae Primae Caput, Sedesque Proconſulum, ab oblivione vindicatur, id TUUM eſſe gratus profiteor.

Quamquam, quod ad TE, TUAMque dignitatem propius attinet, illud mihi praecipuum eſſe videtur, quod eadem urbs natalibus divi Martini Turonenſium Antiſtitis, & beati Quirini Siſcienſis martyrio, cathedraque Epiſcopali, non longe poſt chriſtianae Legis, in has plagas invectae, primordia inſignis fuerit: cui TE, cum ob virtutum, quae

hoc faſtigio dignae ſunt, praecellentiam, tum ob ſcientiarum, quibus Religio magnopere ſuſtentatur, cultum, & amorem, duodecim, & quod ſupra eſt, ſaeculis vacanti, felicis memoriae AUGUSTA THERESIA *primum ut praeficeret Epiſcopum, ſuo judicio digniſſimum exiſtimavit.*

Nec feſelliſti, quam de TE *conceperat, expectationem. Cum enim ſcires, illius vota, omnesque conatus eo imprimis collimare, ut Religio intemerata ſervaretur, ejusque miniſtri vitae exemplo aliis praelucerent, confeſtim ut Epiſcopatum adiiſti, juniorem clerum ſalutaribus edictis ad for-*

mandas futurae vitae rationes inſtituere, hortari, &, quod maximam vim habet, ubique TUO exemplo praeire, veteranos autem, dum Diœceſim luſtrares, paterna benevolentia complecti, incitare in arrepto curſu, & confirmare, ad plebem crebro verba facere, pauperes, & egenos ſublevare, Eccleſiis denique, ne Domui Dei quid deeſſet, non modo de iis, quae ad neceſſitatem, ſed decorem etiam pertinent, pene cum TUA jactura (ſi tamen, quae Deo dantur, jactura ſit) providere cœpiſti, omnesque Epiſcopi partes examuſſim implere.

Quid jam dicam de erogationibus, quas in Epiſcopen, & Seminarium, Clero a teneris inſtituendo deſtinatum, a fundo educenda, tum ad veteres Romanorum reliquias in lucem proferendas larga omnino manu feceras? His cum Domum TUAM, *quantum aetati noſtrae fas eſt, ad romanam pene magnificentiam exornaveris, nemo non videt,* TE *non ſolum ſtudio antiquitatum, ex quibus hodie non levia incrementa Scientiae capiunt, mirifice delectari, verum etiam tot ſumptus in publica aedificia erogatos non aliud ſpectaſſe, quam ut egentibus aere* TUO *ſubvenires, qui* TE

propterea communi voce (& quae verior, quam egenorum vox eſſe poteſt?) communi, inquam, voce TE *patrem ſuum compellare illicet in principio aditae dignitatis conſueverunt. Quibus ut* TE *quam diutiſſime* DEUS O. M. *ſervet ſuperſtitem, ex animo vovet*

ILLUSTRISSIMI NOMINIS TUI

Devotiſſimus Cultor
Stephanus Schönviſner.

PRÆFATIO.

COMPLURES quidem in Operibus ſuis meminere civitatis Sabarienſis, ſed plerique obiter tantum, ac perpaucis. Nimirum ex antiquis, quorum teſtimoniis utimur, *Plinius* ſenior, *Claudius Ptolemæus*, *Aurelius Victor*, *Ammianus Marcellinus*, *Jornandes*, Itinerarium *Antonini*, Tabula *Peutingeriana*, Codex *Theodoſianus*, *Notitia* Dignitatum utriusque Imperii, *Acta* Martyris Sancti *Quirini* Siſcienſis, *Sulpicius Severus* beati *Martini* Turonenſis Biographus, & *Gregorius* Turonenſis. Ex medii autem ævi Scriptoribus: *Eginhardus*, Annales *Fuldenſes*, *Ravennas*, Anonymus *Belæ* Regis Notarius, *Simon* de *Keza*, *Joannes* de *Thurocz*, *Ranzanus*, & *Bonfinius*. Quod attinet ad Recentiores: horum primus ætatis ordine commemorandus venit *Wolgangus Lazius*, qui Commentariorum ſuorum de Republica Romana Libro XII. Sectione III. Capite II. non tantum ea, quæ apud priſcos, & ſequioris ævi Auctores de Sabaria reperit, in unum congeſſit, verum etiam collectas ex Lapidibus Oppidi Sabarienſis Inſcriptiones Romanas

edidit, ſimulque aliorum quorumdam monumentorum, ibidem erutorum, meminit. Poſt *Lazium* longo ſatis tempore nemo erat qui hoc argumentum pertractaſſet: inveniuntur tamen quædam ad *Sabariam* ſpectantia apud *Bruſchium*, *Nicolaum Olahum*, *Paulum* de *Gregoriancz*, *Iſtvanfium*, & in Corpore Juris Hungarici; ſed, quæ ſimul ſumpta unam vix implent paginam. Præterea in ſplendidiſſimo Comitis *Aloyſii Marſilii* Opere Danubiali extant nonnulla Sabarienſium monumenta Tabulis æneis expreſſa. Quæ autem *Melchior Inchoferus* in ſuo ad Annales Eccleſiaſticos Hungariæ Adparatu de rebus Sabarienſibus diſſerit, fere non alteri uſui eſſe poſſunt, quàm ut refellantur: Lazianas enim ſequitur conjecturas, & figmenta. Nihilominus tamen ii etiam, qui ſerius de *Sabaria* ſcripſere, ut *Bonbardius* in Topographia Regni Hungariæ, & *Gabriel Szerdahelyi* in Chorographia celebrium Hungariæ urbium, Lazium præcipue compilarunt, paucis de ſua penu adjectis. Anno demum 1753 Tyrnaviæ in lucem prodiit libellus ſine Auctoris nomine, a Philoſophiæ Auditoribus, Promotore P. *Stephano Gáſo*, honorem Magiſterii conſecutis, oblatus, in quo paullum uberior, limatiorque proponitur notitia Coloniæ Sabariæ. Titulus libelli eſt: „ Diſſertationes, altera de Coloniis „ Romanorum in genere, altera de Coloniis Romanorumin Pannonia. „ Noviſſime item Celeberrimus *Stephanus Salagius* inexcellenti Opere ſuo de Statu Eccleſiæ Pannonicæ Libro III. Capite VII. quæſtionem de antiquo Epiſcopatu Sabarienſi non minus

erudite, quam ſubtiliter, & nervoſe diſcuſſit. Atque hæc tantum ſunt, quæ hactenus ad res Civitatis Sabarienſis illuſtrandas edita fuere. Nunc igitur amplius quid, Lector benevole, accipe; *Antiquitates* nempe, & *Hiſtoriam Sabarienſem ab origine uſque ad præſens tempus* deductam; Opus eo modo concinnatum, ea elaboratum diligentia, ut (præfiſcine dixerim) omnibus hiſtoriæ ſtudioſis, & cultoribus utile eſſe poſſit, ac momentoſum. Non enim nudæ dumtaxat rerum narrationes, vel deſcriptiones eo continentur, ſed coævis pleraque, vel ætate proximis partim firmantur, partim illuſtrantur monumentis, quorum haud pauca nunc primum e tenebris eruta publicam in lucem prodeunt. Quamquam de iis monumentis, quæ hic Tabulis æneis inciſa vulgamus, eſt quidpiam, quod excuſationem depoſcere videtur, nimirum Tabularum inæqualitas, & quod res quædam in eas relatæ ſint, quæ prætermitti ſine diſpendio poterant: cujusmodi forte ſunt Gradus *Tab. XVIII.* & fragmenta duo marmorea incertarum Figurarum *Tab. XX.* Sed neutrum a meo pendebat arbitrio, qui Tabulas eo numero, iisque formis jam paratas accepi, quo tempore manum conſcribendo huic Operi admovi. Cæterum diverſa Tabularum magnitudo exiguum parit incommodum, vixque commemorandum, cum id, quod præcipue in iis ſpectari debet, omnibus ſit numeris abſolutum, Ectypon ſcilicet ut nitidiſſimum, ita ſuis Achetypis undequaque conforme. Tantus vero Tabularum numerus adſcribendus eſt liberalitati Præſulis,

qui, uti in dedicatione præfati ſumus, prima hujus Operis cauſa extitit, & origo; ejusdemque amori erga venerandas eruditæ Antiquitatis reliquias tribuendum eſt, quod etiam viliora quædam priſcorum monumentorum fragmenta donari luce publica voluerit. Alioquin „ quod eſt ad hujusmodi monumentorum pretium (inquit *Ludovicus Antonius Muratorius* in Præfatione ad Tomum I. Novi Theſauri veterum Inſcriptionum) animadvertere juvat, non „ aliud heic evenire, quam quod in publicis nundinis quotidie „ ſpectamus, in quibus nimirum exponuntur magni, mediocris, „ & vilis, immo & viliſſimi pretii merces. - - - Attamen tantam „ ſibi venerationem vel apud cordatos viros, neque immerito, „ conciliavit Antiquitas, ut quodlibet ipſius fragmentum, ſi non „ magni faciendum, certe non contemnendum videatur. „ Quod ſi cui hæc non ſatisfaciant, indemnem illum, qui hoc ſibi Opus comparaverit, reddent tot alia majoris pretii, & uſus monumenta, Inſcriptiones, Effigies, Diplomata, & alia documenta, quæ iſthic reperiet. His ergo, Lector benevole, utere, & vale.

CONSPECTUS OPERIS.

LIBER PRIMUS

De Nomine, Situ, & Monumentis Sabariæ.

CAPUT I. Prævia Deſcriptio Sabariæ hodiernæ, & animadverſiones in varia ejusdem nomina. p. 1.

CAP. II. Variæ opiniones Recentiorum de ſitu antiquæ Sabariæ, & Veterum teſtimonia, quibus probatur ſitam fuiſſe in hodierna, vulgo Stein am Anger, & Szombathely dicta. pag. 7.

CAP. III. Commentarius de Bojorum Deſertis, in quibus Plinius locat Sabariam, ac de lacu Peiſone in iisdem. p. 9.

CAP. IV. Criticæ animadverſiones in Sabariam Ptolemæi, & Sabariam nonnullorum medii ævi Scriptorum p. 21.

CAP. V. Veterum Itinera, in quibus fit mentio Sabariæ, deſcribuntur, & illuſtrantur. p. 26.

CAP. VI. Deſcriptio monumentorum Sabarienſium. Inſcriptiones in lapidibus ſuperſtites. p. 45.

CAP. VII. Inſcriptiones Sabarienſes, in libris tantum ſuperſtites p. 53.

CAP. VIII. Inſcriptiones, in quibus fit mentio Sabariæ, aliis in locis repertæ. p. 56.

CAP. IX. Alia Sabarienſium monumenta diverſi generis recenſentur, & illuſtrantur. p. 59.

CAP. X. Numi veteres Sabariæ reperti. p. 62.

LIBER SECUNDUS

De Bojis Agri Sabarienſis ante Romanos Colonis.

CAPUT I. De primo Bojorum in Pannoniam adventu variæ Auctorum ſententiæ. Sexto ante Chriſtum ſæculo e Galliis veniſſe adſeruntur pag. 67.

CAP. II. De præcipuis Gallorum Pannoniorum expeditionibus: ac de origine Boicornm in Pannonia Deſertorum. p. 70.

CAP. III. De Bojis Italicis ad Iſtrum profectis, ac de vaſtatione Pannoniæ Superioris, agrique Sabarienſis per Legatum C. Caſſii Conſulis. p. 75.

CAP. IV. De clade Dacica Bojorum, horumque Deſertis in Mœſia, diſtinctis ab aliorum Bojorum Deſertis in Pannonia. pag. 78.

LIBER TERTIUS

De ſtatu Pannoniæ, Rerumque Sabarienſium ſub Romanis ab anno ante Chr. 34. ad annum poſt Chr. 193.

CAPUT I. De expugnatione Pannoniarum per Octavianum Cæſarem Auguſtum: de impopulatione Deſertorum Boicorum: de Statione Sabariæ conſtituta: de fine Imperii Auguſti, & initiis Tiberii. p. 81

CAP. II. De Sabarienſi Ovidii Naſonis Sepulcro; ac de rebus Pannoniæ ſub Tiberio, & Caligula. p. 86.

CAP. III. De colonia civium Romanorum Sabariam deducta, imperante Tiberio Claudio, & de nonnullis aliis ejusdem Claudii operibua publicis. p. 91.

CAP. IV. De ſtatu Imperii Romani, rebusque Pannoniæ, ſpeciatim Sabariæ, a morte Claudii uſque ad Hadrianum. p. 97.

CAP. V. Nonnulla de rebus Pannoniæ, ſtatuque Sabariæ ſub Hadriano Auguſto, Ælio Cæſare, & Antonino Pio. p. 101.

CAP. VI. Continuatio rerum Pannonicarum, ac ſpeciatim Sabarienſium ſub Marco Aurelio Antonino, Lucio Vero, & Commodo. p. 106.

LIBER QUARTUS

De Rebus Sabariæ, totiusque Pannoniæ ſub Romanis ab anno Chriſti 193. *ad* 317.

CAPUT I. De Septimio Severo Sabariæ ad Imperium evecto. p. 111.

CAP. II. De Præfectis Pannoniæ, qui Sabariæ reſidebant ſub Imperatoribus Caracalla, Macrino, Heliogabalo, Alexandro Severo: & quædam alia p. 113.

CAP. III. De rebus in Pannonia geſtis ſub Imperatoribus Maximino Thrace, hujusque Succeſſoribus uſque ad Valerianum. p. 115.

CAP. IV. De rebus Pannoniorum, ac ſpeciatim Sabarienſium ſub Valeriano, & Gallieno, aliisque Imperatoribus uſque ad Diocletianum. p. 121.

CAP. V. De ſtatu Imperii ſub Diocletiano: de perſecutione Chriſtianorum: de S. Quirino Sabariæ paſſo, ac de nonnullis aliis Martyribus Sabarienſibus. p. 125.

CAP. VI. De nova diviſione Provinciarum inter Auguſtos, & Cæſares: de inſtitutione Provinciæ Valeriæ in Pannoniis: ac de Edictis in favorem Chriſtianorum promulgatis. p. 129.

LIBER QUINTUS

De Rebus Sabariæ ſub reliquis Imperatoribus Romanis ab anno Chriſti 317. *ad* 377.

CAPUT I. De adventu Conſtantini Magni in Pannoniam: de ejusdem commoratione apud Sabariam: de ſtatu civili, & militari Pannoniæ: ac de prærogativis Sabariæ. p. 132.

CAP. II. Disquiſitio de antiquo Epiſcopatu Sabarienſi. p. 136.

CAP. III. De nonnullis Pannoniæ Epiſcopis, quorum ſedes vel dubiæ, vel incertæ. p. 139.

CAP. IV. Criticæ animadverſiones ad vitam beati Martini Sabariæ nati p. 139.

CAP. V. Reliquæ animadverſiones ad vitam beati Martini Turonenſis, Sabaria oriundi. p. 150.

CAP. VI. De rebus in Pannonia geſtis ab obitu Conſtantini M uſque ad obitum Valentiniani I. inter quas nonnullæ Leges, ab Imperatoribus, Sabariæ conſiſtentibus, ſancitæ recenſentur. p. 158.

LIBER SEXTUS

De Rebus Sabariæ, totiusque Pannoniæ ſub Hunnis, Gothis, aliisque Populis ab anno Chriſti 377. *ad* 900.

CAPUT I. De primo Hunnorum in Pannonias ingreſſu, eorumque conflictu fabuloſo cum Macrino Duce Sabarienſi. p. 170.

CAP.

CAP. II. Auctoritas Marcellini Comitis de occupata anno 377. ab Hunnis Pannonia defenditur, ſtatusque Pannoniarum illius temporis deſcribitur. p. 176.

CAP. III. Oſtenditur, non totam Pannoniam anno 377. ab Hunnis fuiſſe occupatam, ſed loca munita, inter quæ Sabaria quoque fuit, manſiſſe in poteſtate Romanorum. p. 179.

CAP. IV. De iis, quæ primum Hunnorum in Pannonias ingreſſum ſubſecuta ſunt per annos quinquaginta. p. 183.

CAP. V. De ſecundo Hunnorum in Pannonias ingreſſu; ac de expugnatione Sirmii, & Sabariæ per Attilam. Item de ſancto Leoniano Sabarienſi in Gallias abducto. p. 189.

CAP. VI. Brevis notitia Regni Gothici, & Longobardici in Pannonia, nec non everſionis Sabariæ. p. 193.

CAP. VII. De S. Martino Braccarenſi, natione Pannonio Sabarienſi, ac de rebus Pannoniæ ſub Avaribus. p. 199.

CAP. VIII. De rebus Sabariæ, totiusque Pannoniæ ſub Francis. p. 204.

CAP. IX. De cladibus Pannoniæ per bella Moravica illatis, & an Sventibaldus Moravorum Dux Pannoniam poſſederit? p. 214.

CAP. X. De finibus Magnæ Moraviæ e Conſtantino Porphyrogenito. p. 218.

CAP. XI. De ſacra expeditione SS. Cyrilli, & Methodii ad Moravos, alioſque Sclavos in Pannoniam ſuſcepta. p. 223.

CAP. XII. De Sabaria, & quibusdam aliis Pannoniæ locis, Eccleſiæ Salisburgenſi per Germaniæ Reges attributis. p. 229.

LIBER SEPTIMUS

De ſtatu Pannoniæ, Rerumque Sabarienſium ſub Hungaris ab anno Chriſti 900. *ad* 1578.

CAPUT I. De occupatione Pannoniæ per Hungaros, horumque ad fidem chriſtianam converſione. p. 233.

CAP. II. Sabaria ſub Regibus Hungariæ fit civitas Epiſcopalis: poſſidetur ab Epiſcopis Jaurinenſibus. Horum ſeries. p. 242.

CAP. III. Adnotationes ad præmiſſam ſeriem Epiſcoporum Jaurinenſium, Sabariam poſſidentium. De iis primum qui Sæculo XI floruerunt. p. 245.

CAP. IV. De Epiſcopis Jaurinenſibus, Sabariæ Dominis Sæculo XII. p. 248.

CAP. V. De Epiſcopis Jaurinenſibus Sæculi XIII. ſub quibus commemorantur exundatio lacus Peiſonis, & Sabariæ excidium per Tartaros. p. 251.

CAP. VI. De Epiſcopis Jaurinenſibus Sæculi XIV. ac de origine Monaſterii Sabarienſis Franciſcanorum. p. 255.

CAP. VII. Brevis notitia Epiſcoporum Jturinenſium Sæculi XV. Literæ Joannis Epiſcopi, quibus immunitates, & privilegia Sabarienſium continentur. p. 259.

CAP. VIII. De bello civili tempore Benedicti III. Jaurinenſis Epiſcopi; ac de pace apud Sabariam confecta. p. 262.

CAP. IX. De rebus poſt cladem Varnenſem ad Peſtinum, & ad Sabariam geſtis: item de reliquis Sæculi XV. Epiſcopis Jaurinenſibus, fatisque Sabariæ ſub iisdem. p. 286.

CAP. X. Confirmatio privilegiorum civitatis Sabariæ per Epiſcopos Jaurinenſes ineuntis Sæculi XVI. p. 274.

CAP. XI. Fata Sabarienſium poſt cladem Mohacſianam, vacante Sede Jaurinenſi, & ſub Epiſcopo Franciſco ab Ujlak. p. 277.

CAP. XII. De recuperatione civitatis, arciſque Sabarienſis, & jurium ad eam pertinentium per Epiſcopum Paulum Gregoriancz, ac de nonnullis donationibus per eundem factis, & per Imp. Maximilianum II. confirmatis. p. 285.

CAP. XIII. Confirmatio privilegiorum Civitatis Sabarienſis per Impp. Maximilianum II. & Rudolphum II. ſub Zacharia Delphino, & Joanne Liſtio Epiſcopis Jaurinenſibus, & quædam alia. p. 290.

LIBER OCTAVUS

De Rebus civitatis Sabariæ ſub Epiſcopis Jaurinenſibus ab anno Chriſti 1578. *ad* 1777.

CAPUT I. Decretum de Capitulo Caſtriferrei Sabariam transferendo, & Literæ Georgii Drascovith Epiſcopi Jaurinenſis, confirmatoriæ Privilegiorum Joannis Ankerayter datorum. p. 295.

CAP. II. De Synodo Diœceſana Jaurinenſi Sabariæ celebrata p. 297.

CAP. III. De rebus Sabariæ ſub reliquis Epiſcopis Jaurinenſibus in exitu Sæculi XVI. & initio XVII. Conſcriptio redituum arcis Sabarienſis. Damna Sabarienſium durante Botskaiano tumultu. Nova veterum Privilegiorum inſtrumenta. Franciſcani Sabariam reducti. p. 307.

CAP. IV. Singulare privilegium, Sabarienſibus ab Imperatore Ferdinando II. conceſſum, tempore junioris Georgii Draskovith Epiſcopi Jaurinenſis. p. 317.

CAP. V. De introductis Sabariam Dominicanis per Georgium Draskovith juniorem, Epiſcopum Jaurinenſem. p. 321.

CAP. VI. De querelis variorum, præcipue nobilium, & civium Sabarienſium adverſus Antiſtitem ſuum Georgium Draskovith, ac de remediis adhibitis. Item de ejusdem Succeſſore. p. 324.

CAP. VII. De erectione Templi, ac de reſtauratione Arcis Sabarienſis. Item alia quædam res Sabarienſes concernentia ſub Epiſcopis Georgio Széchényi, & Leopoldo Kollonits. p 329.

CAP. VIII. De rebus Sabariæ tempore Epiſcoporum Jaurinenſium Chriſtiani Auguſti Ducis Saxoniæ, & Philippi Ludovici Sinzendorf. Literæ Regiæ, quibus Canonicorum Sabariæ degentium Domibus immunitas conceditur. p. 333.

CAP. IX. De reliquis Epiſcopis Jaurinenſibus, qui Sabariam poſſederunt. Deſignatio novi Epiſcopatus Sabarienſis ſub Imperatore Carolo VI. facta, ſed interrupta. Fundatio ſcholarum Sabarienſium. pag. 337.

LIBER NONUS

De novo Eccleſiæ Sabarienſis Epiſcopatu, novisque Civitatis Sabariæ incrementis ab anno Chriſti 1777. *ad* 1791.

CAPUT I. De fundatione Epiſcopatus Sabarienſis, primoque Epiſcopo Sabarienſi, Diplomata Regia. pag. 344.

CAP. II. Bullæ Pontificiæ, Erectionem Epiſcopatus Sabarienſis, & Translationem, Confirmationemque primi ejusdem Epiſcopi concernentes. 351.

CAP. III. Deſcriptio ſolemnitatis, qua primus Epiſcopus Sabarienſis ad capiendum Eccleſiæ ſuæ regimen introductus eſt. p. 362.

CAP. IV. De aliis piis fundationibus occaſione erecti Epiſcopatus Sabarienſis: ſpeciatim de fundatione duorum Canonicorum in Capitulo Sabarienſi. p. 364.

CAP. V. De fundatione Seminarii Sabarienſis, ejusdem ſtatu priore, ac hodierno. Item de introductis Sabariæ Scholis theologicis. p. 371.

CAP. ULTIMUM. Deſcriptio novæ Arcis Epiſcopalis, & aliorum quorundam Operum publicorum; ac reliqua de rebus Diœceſis, & civitatis Sabarienſis. p. 378.

ANTIQUI-



1 Resid. Episc. 2. Turris et Eccl. cathedr. 3. Arx vetus 4. Seminarium. 5. m. Calvar. 6. Domus. Comitat. 7. Turris civita. 8. monaſter Franciſcan. 9. Conventus. Dominican. 10. Fl. Gyöngyös.

ANTIQUITATUM
ET
HISTORIAE SABARIENSIS
LIBER PRIMUS.
DE NOMINE, SITU, ET MONUMENTIS SABARIÆ.

CAPUT I.

Prævia Deſcriptio Sabariæ hodiernæ, & animadverſiones in varia ejusdem nomina.

SABARIA Hungariæ civitas eſt in Caſtriferrei Provincia, Styriæ & inferiori Auſtriæ finitima, vocaturque aliis nominibus *Stein am Anger*, & *Szombathely*, quorum illud in teutonico, hoc in hungarico ſermone, civibus utroque familiari ac domeſtico, uſitatum eſt. Commendant ſitum urbis mite ac ſalubre cœlum, fertilisque ager, in longam porrectus planiciem, &, qua meridiem ſpectat, ſilvis quoque opacus: nec non præterflui amnes, *Ginſius*, & *Perenth*, quorum ille accolis patrio vocabulo *Gyöngyös*, quod gemmeum ſonat, hic *Arany Vize*, id eſt, *Aurea Aqua*, ob agrorum, quos inundat, fœcunditatem nuncupatur. Ambo in Arrabonem, diverſis tamen oſtiis exeunt: *Ginſius* nempe paullo infra caſtrum

Sárvár, tribus hinc milliaribus horariis in ortum æſtivum recedens; *Perenth* autem juxta pagum *Püspöki* meridiem verſus, ſed junctus antea rivo *Sorok*, & amiſſo priore nomine.

Intra urbem, antea muro, nunc parietinis cinctam, commemorandæ veniunt binæ Arces, in plano poſitæ; vetuſtior altera, Jaurinenſium quondam Præſulum diverticulum, vallo foſſisque olim communita, hodie undique pervia, & brevi in rudus abitura; altera nova, opere magnifico ſtructa, Epiſcopi Sabarienſis Palatium ac Reſidentia. Inter alias ædes publicas, Epiſcopio vicinas, eminent Turris, & Cathedralis Eccleſia, Viſitanti B. M. V. Sacra, Seminarium item Cleri junioris, & amplitudinis haud modicæ Domus, in qua Provinciæ negotia tractantur, vulgo *Comitatenſis* dicta. Longius hinc recedit Cœnobium PP. Franciscanorum cum Templo ac turri, hortoque peramœno, in ripa Ginſii poſitum. Sabarienſe porro Suburbanum efficiunt duo pagi: horum alter *Ó-Perenth*, ſeu *vetus Perenthum* a cognomine rivo, alter trans fluvium Ginſium *pagus Sancti Martini* vocatur, ornatus Monaſterio, Temploque Fratrum Prædicatorum e familia divi Dominici. Prope eſt puteus, ex quo vulgus hauſtos credit latices ad abluendum ritu chriſtiano Martinum, hic loci natum, Turonenſium poſtea Præſulem, ſanctitatis, & miraculorum fama longe celeberrimum.

Teutonicum Sabariæ nomen *Stein am Anger*, quod *Lapidem in Prato* ſignificat, Heinſizius a Saxorum reliquiis, Lazius a fragmentis ingentium columnarum, quæ iſthic etiamnum non ſine admiratione ſpectantur, profectum fuiſſe exiſtimant *a*). Ipſe arbitror hanc adpellationem fluxiſſe ab Arce veteri, cujus ſupra memini, a Germanis in foro, graminibus herbisque obſito, ex lapide ſtructa. Obſervo enim in multis locis, quæ vel ſimpliciter *Stein*, vel compoſito aliquo e *Stein* vocabulo appellantur, adeſſe vetuſtam quampiam arcem, aut certe arcis ibi quondam poſitæ veſtigia. Porro nomen *Stein am Anger* non eſſe recens, nuperve inventum, arguit ipſa vox *Anger*, apud Germanos Hungariæ inquilinos pæne jam obſoleta. Apud veteres pro ſignificando *Prato paſcuo* adhibitam fuiſſe, notat *Adelung* ex antiquo carmine, de præliis Caroli Magni concinnato, & per Schilterum vulgato *b*). In ſecunda Periodo Regum Hungariæ *Sabariam* Germanis jam vulgariter *Stein am Anger* eſſe nuncupatam, certum eſt e Tabulis Concordiæ inter Imp. Fridericum III. & Maximilianum Regem Romanorum ex una, & Wladislaum Hungariæ Bohemiæque Regem altera ex parte anno 1491. ſancitæ *c*).

De Hungarico Sabariæ nomine *Szombathely*, quod latine redditum valet *Sabbati locum*, plures occurrunt conjecturæ, quarum nonnullas, etſi parum, aut

---

a) *Lazius* Lib. 12. de Rep. Rom. Sect. 3. Cap. 2. Heinſizius T. 1. Germaniæ Sacræ p. 39.

b) *Adelung* Wörterbuch V. *Anger*.

c) Vid. *Dumontii* Corps diplomatique T. III. P. II. p 263. & ſeq. Et apud *Kollar* in Auctario diplomatico ad Vrſini Velii hiſt. de bello Pann. p. 238.

nihil ad eruditionem faciant, curioſitatis gratia in medium proferre libet. Quidam hoc nomen *Szombathely* interpretantur *Quietis locum*: nam etſi *Szombath* Hungaris notet *Sabbatum*, ipſum tamen *Sabbatum* notione Hebræa eſt *Quies.* Exiſtimant autem ſic Sabariam adpellari cœptam jam a Chagano, populi Hunno-Avarici Regulo, qui in ſacro fonte dictus *Theodorus* hanc ſibi civitatem a victore Carolo Magno expetiverit, ac obtinuerit, ut reliquos vitæ ſuæ dies bellorum expers, & *quietus* in illa transigeret. Sunt alii ex adverſo, quibus *Sabaria* nonniſi ob quandam vocum *Sabbati* & *Sabariæ* adfinitatem *Szombathely* dicta eſſe videtur, ſed cum in Hungaria non tantum *Sabaria*, verum & alia permulta loca vel a *Szombath* Sabbato, uti *Szombathely*, *Szombatſa*, *Murai Szombath*, *Nagy-Szombath*, *Rima-Szombath* &c. vel ab alio quopiam hebdomadæ die, ceu a die Mercurii *Szerda*, *Szerdahely*; a die Jovis *Csötörtök* &c. denominentur, idcirco rectius fortaſſe alii talia locorum nomina repetunt a diebus, qui ibi vel a nundinis hebdomadariis, vel ab alia quapiam ſolennitate celebres fuere.

Si tamen *Sabaria*, ut quibusdam placet, a Sabbatinis nundinis, olim forte hic loci celebribus, nomen *Szombathely* ſortita fuit, id ſerius duntaxat, ſub Chriſtianis nempe Hungarorum Principibus acciderit, oportet. Fallitur namque Salomon *Kuſelius*, cum adſerit veteres Hungaros plerumque diebus Sabbati mercari conſueviſſe, mercatusque hebdomadarios nonniſi poſteriore quopiam tempore in diem Solis, ſeu Dominicum, ne ſcilicet operas agreſtes remorarentur, transtuliſſe *d*). Certe oppoſitum eruitur tam ex ipſo diei Dominici nomine hungarico *Vásárnap*, quod nundinarum diem ſignificat, quam ex Legibus, quæ in Comitiis, ſub divo Rege Ladislao celebratis, contra perverſum diebus Dominicis mercandi morem, ſancitæ fuerunt *e*). Mos hic veriſimiliter e Perſarum commercio ad Hunnos Ephtalitas manaverit, ab his vero ad Hungaros transmiſſus fuerit. Nam *Vásár* Perſis hodieque *Nundinas* ſignificat, ut perhibet *Olearius f*). Turcæ autem quemadmodum nundinas *Basár*, ſic diem hebdomadæ, qui noſtro diei Dominico reſpondet, *Baſar iuni*, hoc eſt *Nundinarum diem* (notat quippe *iun* lingua Turcica *diem*) etiamnum adpellant, *Leunclavio*, & *Meninskio* atteſtantibus *g*).

Immo in Pannonia reperio morem die Solis, ſeu Dominico celebrandi nundinas hebdomadarias, ipſo non Hungarorum modo, verum etiam Hunnorum

d) Hic Auctor mihi ignotus nominatur in libello, cui titulus ſine Auctoris nomine: *Diſſertationes, altera de Coloniis Romanorum in genere, altera de Coloniis Rom. in Pannonia. Tyrn.* 1753. *in 8vo.*

e) Lib. I. Decret. S. Ladislai Cap. 15. & 16.

f) Perſianiſche Reiſebeſchreibung p. 311.

g) *Leunclavius* Pandect. Turc. Cap. II. p. 212. „ *Baſar iuni*, inquit, hoc eſt dies mercatus „ hebdomadarii, qui reſpondet diei Dominico noſtro. *Baſar Erteſi*, hoc eſt dies poſt mercatum „ hebdomadarium proximus, ſive poſtridie mercatus, qui dies germanice dici commode poteſt, „ *Aftermark*. reſpondet diei Lunæ noſtræ. „ Idem fere Meninsky T. I. Lexici Arabico-Perſico-Turcici P. II. Voc. *Bazar.*

Attilanorum adventu vetuſtiorem. Nam Romanum Epigramma Lapidis, apud Varasdinum in Croatia ad Aquas Jaſas detecti, atque nunc in Arce Thermarum Varasdinenſium muro inſerti, aperte docet: Imperatorem Conſtantinum Magnum reſtitutis, quæ incendio conſumpta fuere, Aquarum Jaſarum ædificiis publicis, ei loco privilegium nundinarum, quolibet per annum die Solis celebrandarum, impertiviſſe; idque *curante Valerio Catullino Viro Perfectiſſimo Pro Prætore Provinciæ Pannoniæ Superioris h*). Quod cum ita ſit, temere ſupra laudatus Auctor adſeruit, dominicales nundinas in Hungaria Sabbatinis longe poſteriores fuiſſe. Ceterum idem *Kuſelius*, incertum quo edoctus monumento, apud Anonymum Auctorem Capite II. Diſſertationis de Coloniis Romanotum in Pannonia, perhibet, *Sabariam* primis temporibus reipſa non *Szombathely*, ſed *Kimárorubath* apud Hungaros nomen habuiſſe *i*). Quod ſi verum eſt, uti eſſe poteſt, vocabulum hoc, utut hodie penitus obſoletum, nec amplius intelligibile, ſpectata prima & poſtrema Syllaba, ad imitationem teutonici ***Stein am Anger*** (*Lapidem in prato*, aut Rudus in loco deſolato, herbisque obſito ſignificantis) formatum eſſe videtur. ***Ki*** enim ad *Kö* Lapidem, *báth* ad *ban*, ſeu *in* (Præpoſitionem apud Hungaros nominibus poſtponi ſolitam) proxime accedit. Quapropter non adeo abſurdum arbitror, ſi quis exiſtimet priſcis Hungaris *Maroru* idem ſignificaſſe, quod *Anger* veteribus Francis, ſeu Germanis, a quibus *Sabária* ad Hungaros ante novem circiter ſæcula fuit devoluta. Multa enim vocabula in qualibet lingua dudum interierunt, multa ſerius enata ſunt.

---

h) Hæc Inſcriptio ita habet:

IMP. CAES. FL. VAL. CONSTANTINVS FELIX MAXIMVS AVG.
AQVAS IASAS OLIM VI IGNIS CONSVMTAS CVM PORTICIBVS
ET OMNIBVS ORNAMENTIS AD PRISTINAM FACIEM RESTITVIT
PROVISIONE ETIAM PIETATIS SVÆ NVNDINAS
DIE SOLIS PERPETI ANNO CONSTITVIT
CVRANTE VAL CATVLLINO V. P. P. P. P. P. SVPER.

Vide eandem Inſcriptionem apud Erycium *Puteanum* Diſſert. de Nundinis Roman. Cap. 26. ſed mendoſe, & ſine indicio loci, in quo reperta fuit. Locum notavit, & plenius eam deſcripſit e Sigleri Schedis Janus *Gruterus* pag. CLXIV. 2. verum apud hunc e titulis Conſtantini a primo verſu deſunt FELIX MAXIMVS; & voces quædam paucioribus literis exprimuntur. Recentius ex ipſo lapide tranſumptam vulgarunt Scriptores Croatæ, Joſ. *Bedekovich* lib. de Natali Solo S. Hieronymi P. I. poſt Indicem. Balthaſar *Kercſelich* Notit. prælimin. Regn. Dalm. Croat. &c. p. 23. Andr *Blaskovich* P. I. Diſſ. de Andautonio p. 59. Nos hæc Lapidis exeſa, quæ iſti ſic edidere: VAICATV LL. INOV. P. reſtituimus cum Grutero in VAL. CATVLLINO V. P. id eſt: *Valerio Catullino Viro Perfectiſſimo*. Reliqua P. P. P. P. SVPER. certum eſt, legi oportere: *Pro Prætore Provinciæ Pannoniæ Superioris*: non autem uti *Kercſelich* l. cit. interpretatur: *Per Pietatem Præfati Principis Pannoniæ Superioris*. Hoc enim abhorret a veteri ſtylo Romanorum.

i) Pag. 54:

Supereſt latinum loci, de quo agimus, nomen *Sabaria*, & *Savaria*: utrumque nominibus hactenus expoſitis longe antiquius, quippe quod jam primis æræ chriſtianæ ſæculis in variis florentis & labaſcentis Imperii Romani monumentis occurrit. Ortum nonnulli putant e *Sabaio*, vel *Sabaia*, vocabulo Illyrico-Celtico, cujus notionem exponens divus *Hieronymus*: *Zython*, inquit, *genus eſt potionis ex frugibus, aquaque confectum, & vulgo in Dalmatiæ Pannoniæque Provinciis gentili barbaroque ſermone adpellatur Sabaium k*). Ammianus vero *Marcellinus*: *Eſt*, ait, *Sabaia ex hordeo, vel frumento in liquorem converſis paupertinus in Illyrico potus l*). Ejusdem potus in Pannonia conſueti, non expreſſo tamen nomine, meminit *Caſſius Dio* hiſce verbis: *hordeum & milium edunt, & potum ex iis conficiunt m*).

Nolim divinare, an non *Sabaium*, & *Sabaia* permutatione literæ V in B, jam ævo Hieronymi, & Ammiani perfrequente, e *Savaio*, aut *Savaia* ſint enata: *n*) de ipſo tamen *Sabariæ* nomine certum prope ac indubitatum habeo, ſic illud e *Savaria* ortum eſſe, uti nomen *Danubii* e *Danuvio; Drabi* & *Sabi* apud nonnullos veteres Auctores e *Dravo*, & *Savo*; nec non *Latobicorum*, Pannonicæ gentis apud *Ptolemæum*, pro *Latovicis*, qui ſunt inter Pannoniæ populos apud *Plinium*, & ſexcenta alia *o*). Non iſtud quidem ex *Ptolemæo* arguo, qui *Savariam* ut civitatem, ita fluvium quoque in Pannoniæ deſcriptione habet (nam quod de *Plinii Sabaria* dicerem, idem de *Ptolemæi Savaria* retorqueri poſſet, nempe forſitan permutationem literæ poſterius per librarios factam) verum arguo ex originalibus primorum *Sabariæ* temporum monumentis, ex lapidibus, inquam, Romanis, tam in ipſo *Sabariæ* ſolo, quam alibi erutis, horumque inſcriptionibus, quarum auctoritate in hoc argumento major nulla eſſe poteſt. Hæ quippe ſunt, in quibus nunquam SABARIA, ſed quoties proprium ejus civitatis nomen pluribus exaratum litteris occurrit, toties SAV. SAVAR. aut integre SAVARIA legitur, quemadmodum infra videbimus.

Verum, inquis, recentiores Auctores paſſim, ubi *Sabariæ* meminerunt, laudant *Claudii* Auguſti Numum (originale utique, nec minoris, quam ſint Lapides, auctoritatis monumentum) in quo hæc epigraphe: COL. SABARIA CLAVDIANA AVGVSTA diſerte legitur. Nil impedit: quoniam idgenus Numum, ſincerum ſcilicet, & genuinum, nemo in rerum natura vidit. Fallitur ita-

k) In Eſaiam Cap. 19.

l) Hiſt. lib. 28. Cap. 8.

m) Lib. 49. p. 595.

n) *Mebonius lib. de Cereviſia veterum Cap.* 11. §. 5. ex hac voce derivat *Sauſen:* quod Germanis ultra modum bibere, ſeu ſe ſe ingurgitare ſignificat. Nam & priſcis Germanis hoc potionis genus familiare fuiſſe teſtatur Tacitus de Germanorum moribus hæc ſcribens: *Potui humor ex hordeo aut frumento in quandam ſimilitudinem vini corruptus.*

o) Conf. *Plinius* hiſt. nat. lib. 3. cap. 25. & *Ptolemæus* Geogr. lib. 2. cap. 15. & 16.

que Mathias *Korabinsky*, cum in ſuo Lexico ſcribit, in Sabarienſi Civitate complures *Claudii* numos, hac inſcriptione inſignitos reperiri *p*). Figmentum certe is Numus eſt, & abortus ingenii *Goltziani.* E ſolo *Goltzii Theſauro Rei antiquariæ* innotuit *Harduino*, *Cellario*, *Frælichio*, cæterisque, quotquot ejus meminere. Atqui nulla fides hodie Numis mere Goltzianis, cum certum jam, & exploratum ſit, innumeros eſſe Numos a *Goltzio* cum in aliis Operibus, tum præcipue in ſupradicto *Theſauro* editos, qui vel recentius conficti, vel, ſi vere antiqui, ab ipſo tamen turpiter corrupti fuere, adficta iisdem, ſi anepigraphi erant, aut litteris exeſis, qua libuit Vrbis, Populique inſcriptione *q*).

Non obſtante igitur hoc ſubleſtæ, immo nullius jam fidei Numiſmate, in ſententia maneo, primigeniumque *Sabariæ* nomen fuiſſe *Savariam* adfirmo. In Actis divi *Quirini* Martyris, Epiſcopi Siſciani, fluvius *Sabariam* civitatem præterlabens vocatur *Sibaris r*). Unde non vana conjectura eſt, iſtum quoque antiquius dictum fuiſſe *Savariam*; præcipue cum conſtet, hoc nomine etiam alios quosdam Pannoniæ Superioris amnes fuiſſe nuncupatos. Hujusmodi eſt *Murus*, ſeu *Mura* fluvius, qui e Styria in Hungariam labitur, Dravoque ad Legradinum (veteribus *Carrodunum*) miſcetur, *Ptolemæo* non aliter quam *Savaria* nominatus *ſ*). Ita in Carniolia quoque (parte quondam Pannoniæ Superioris) rivus quidam hodierno nomine *Sora*, germ. *Zeyer*, in diplomate Imperatoris *Ottonis III.*, anno Chriſti 993. ad *Henrici* Bojoariorum & Carantanorum Ducis petitionem dato, adhuc *Zaura*, & *Zavaria* (luculentiſſimis *Savariæ* veſtigiis nuncupatur *t*) *Lazius* quidem *Saanam* quoque Cillejenſem, ac tandem cunctos Pannoniæ Superioris fluvios minores, communi nomine *Savarias*, ceu parvos quosdam *Savos* comminiſcitur fuiſſe dictos *u*); ſed commentum iſtud, quamvis *Inchoffero* & Gabrieli *Szerdahelio* arriſerit *x*), ab aliis merito rejicitur. *Ptolemæus* & gentem *Scvaros* vocatam commemorat, ſed procul hinc inter populos Sarmatiæ Europææ haud longe a montibus Riphæis habitantem *y*). Horum proinde *Savarorum* Majores in Superiore Pannonia quondam habitaſſe, pulſosque a ſupervenientibus Bojis in Sarmatiam commigraſſe, ſuſpicari quidem ob nomen *Savariæ* civitati, & nonnullis fluviis Pannoniæ olim commune, licebit, non item adfir-

p) Geographiſch-hiſtoriſches und Produkten-Lexikon V. *Stein am Anger.*

q) Vid. Eckhel Specimen Artis criticæ Numariæ Præf. p. IX.

r) Bollandi Acta SS. T. I. Junii ad diem 4.

ſ) Geogr. lib. 2. cap. 16.

t) Apud Schönleben P. II. Annal. Carniol. p. 528. Diplomatis verba ſunt: *Zaura facit oſtium in Zavam . . . & juncta ripa Zavariæ usque ad vadum, quod vulgo Streſonbrod vocatur.*

u) Lib. 12. de Rep. Rom. ſect. 3. cap. 2.

x) *Inchoffer* T. I. Annal. Eccl. Hung. in Prolegom. Gabr. *Szerdahely* Celebrium Hung. Urbium Chorograph. P. I. p. m. 46.

y) Geogr. lib. 3. cap. 5.

mare. Erit fortaſſe etiam, qui *Savariam* arbitretur vocabulum eſſe origine Sarmaticum, ſeu vetus Slavicum, ob *Savaros*, a *Ptolemæo* in Sarmatia nominatos. Verum conjecturæ huic adverſatur primum, quia in mediis quoque Galliis, intra Pariſiorum fines, ubi nullæ unquam Sarmatarum ſedes fuere, reperitur & rivus, & pagus olim *Savara* dictus, nec non caſtrum *Savardunum*, aliter *Sabardun*, non procul ab Apamiis diſtans z). Deinde, quia conſtat, *Ptolemæi* Geographi ætate, non omnes Sarmatiæ Europææ populos fuiſſe origine & lingua Sarmatas, ſed nonnullos etiam celtici generis Gallos, Germanosque *a*).

CAPUT II.

Variæ opiniones recentiorum de ſitu antiquæ Sabariæ, & Veterum Teſtimonia, quibus probatur ſitam fuiſſe in bodierna, vulgo Stein am Anger, & Szombatbely dicta.

HACTENUS de vario *Sabariæ* nomine. Nunc an vetus illa *Sabaria*, ſeu *Savaria*, Claudii Auguſti colonia, eundem, quem hodierna, vulgo *Stein am Anger*, & *Szombathely* dicta, ſitum habuerit, videndum eſt. *Maginus* enim, *Moletius*, & *Pirckheimerus* eam attribuunt *Græcio*, principi Styriæ urbi *b*): *Cluverius*, & *Cellarius* oppido, caſtroque Hungariæ *Sarvár c*): recentiſſime vero Cl. *Katona* eandem propius ad ſacrum Pannoniæ montem inveſtigavit *d*). Sunt etiam, qui *Sabariam* a *Sabaria* diſtinguentes, ant haud *Græcii*, aut *Leibnicii* in Styria, illam vero vel in *Sárvár*, vel in *Szombathely*, ſeu in *Stein am Anger*, Hungariæ oppidis, collocent *e*).

At, ſi vetuſtiores Auctores, quorum teſtimoniis unice in hoc argumento ſtandum eſt, conſulantur, hi *Sabariæ* ſitum ſequentibus notis & characteribus inſigniunt: *Plinius* notat, poſitam fuiſſe in Bojorum deſertis Norico finitimis una cum lacu Peiſone, oppidoque Scarabantia. *Noricis*, inquit, *junguntur lacus Peiſo, Deſerta Bojorum: jam tamen colonia diví Claudii Sabaria, & oppido Sca-*

z) Hadr. Valeſius in Notit. Galliarum Voc. *Savara, qui & Martinellus.*

a) Vid. *Tacitus* de morib. Germ. cap. 45. & 46.

b) In Not. ad Geogr. Ptolemæi lib. 2. cap. 15.

c) *Cluverius* de Vindelic. & Noric. cap. I. n. 26. *Cellarius* Notit. Orbi antiqui T. I. lib. 2. ſect 1. n. 12.

d) Hiſt. Duc. Hung. p. 213. & P. I. Hiſt. pragm. Hung. p. 54.

e) *Lazius* Lib. 12. de Rep. Rom. ſect. 3. cap. 8. & *Baudrand* Lexic. Geogr. V. *Sabaria*, & *Savaria*.

rabantia Julia habitantur f). *Ptolemæus* eandem in deſcriptione Pannoniæ Superioris inter civitates longius a flumine Danubio poſitas enumerat hoc modo: *Sala . . . Petovium . . . Savaria g*). Itinerarium Antonini *Sabariam* in variis per Pannoniam itineribus commemorat; in eo autem, cui titulus: *Iter de Pannoniis in Gallias per mediterranea loca: ideſt a Sirmio per Sopianas Treveros uſque*: ita *Sabariam* locat inter *Murſam* & *Vindobonam*, ut ab illa Millibus paſſuum CLXXXVI; ab hac autem M. P. LXVIII eam ſejungat *h*). Demum vetuſta S. *Quirini* Martyris Acta produnt, *Sabariam* fuiſſe cuidam fluvio *Sibari* adſitam.

Hæc omnia nulli rectius loco, ac hodiernæ *Sabariæ*, vulgo *Stein am Anger* dictæ, convenire ſic breviter oſtendo. *Primo*: Caſtriferrenſis Hungariæ Comitatus, in quo ſita eſt hæc Civitas, attingit Styriam, id eſt, portionem veteris Norici: eidem contiguus eſt Soproniensis Comitatus, intra quem & Moſonienſem quatuor milliarium longitudine, ac duorum latitudine ſe ſe diffundit lacus Niſiderienſis, qui hungarico quidem idiomate *Fertö*, teutonico *Neuſidler See*, at latino inde a prima memoria *Peiſo* vocatur. Itaque hodierna Sabaria eo eſt ſitu, quo pertingebant Bojorum Deſerta, Plinio memorata, adeoque habet characterem primum, ad inveniendam *coloniam Claudiam Sabariam* a Plinio indicatum. *Secundo*: Non minus certum eſt, Caſtriferrenſem Hungariæ Provinciam ſub Romanis partem fuiſſe Pannoniæ Superioris, & *hodiernam Sabariam* ſat procul a Danubio, bidui quippe itinere, abeſſe. Ineſt ergo eidem etiam altera nota, pro ſitu civitatis *Savariæ* a Ptolemæo adſignata. *Tertio*: *Murſa* fuit, quæ hodie Eſzekinum audit; Vindobona nunc aliter Vienna dicitur. Eſt autem hodierna *Sabaria* inter Eſzekinum & Viennam eo poſitu, ut per viam curſus publici inde 39. hinc autem 14 milliaribus, vulgo *poſtalibus*, removeatur. Atqui 39. idgenus milliaria quam proxime reſpondent priſcorum Romanorum milliaribus CLXXXVI, & 14. efficiunt illa M. P. LXVIII, uti calculum ineunti, methodo alibi a nobis præſcripta, evidens eſt. Igitur ſpectato etiam Antonini Itinerario idem plane ſitus eſt *Sabariæ* hodiernæ, et antiquæ. Nec eſt *quarto*: cur fluvium *Sibarim* requiras, ita enim antiquiore nomine potuit *Ginſius*, cui noſtra *Sabaria* adjacet, compellari. Habet ergo hæc civitas omnes prorſus notas, & characteres, quibus priſci Auctores antiquæ Sabariæ ſitum determinant. Accedit, quod eadem luculentiſſimis Romanæ civitatis ruderibus inſiſtat, quodque in illa effoſſi fuerint complures Lapides, *Coloniæ Claudiæ Savariæ* nomine conſpicui.

Verum, inquis, adducta Veterum teſtimonia non omnes æque intelligunt, ſed alii aliter interpretantur, iique non ſpernendæ auctoritatis viri: quamobrem neceſſe eſt, ut ſingula commentariis prolixioribus illuſtrentur, aliudque

---

f) Hiſt. nat. lib. 3. cap. 24.

g) Geogr. lib. 2. cap. 15.

h) Itinerar. Antonini curante Veſſeli[illegible] 231. ſeq.

ſentientes

ſentientes ſingillatim refellantur. Eſto igitur; non enim inutilis eſſe ſolet labor, qui elucidandis Veterum ſcriptis impenditur, cum ſæpe contingat, ut præter id, de quo quæritur, alia quoque non pauca uno eodemque Commentario in majori luce collocentur. Qui ſane ſcopus & mihi, uti mox patebit, propoſitus eſt. Ad *Plinium* itaque revertar.

CAPUT III.

Commentarius de Bojorum Deſertis, in quibus Plinius locat Sabariam, ac de lacu Peiſone in iisdem.

Inter antiquos Auctores, qui *Sabariæ* meminerunt, primus eſt ætatis ordine *Plinius*. Hic, uti Capite præcedente diximus, coloniam *Sabariam* in Bojorum *Deſertis* poſitam fuiſſe perhibet. Verum diſceptatur hodie, ubi hæc fuerint, quosve fines habuerint, & a quibus Bojis id nomen acceperint. Hoc poſtremum quoniam hiſtorici eſt argumenti, ad ſequentem librum rejicimus, priora autem duo, quæ Geographiam concernunt, hoc loco expendemus.

Deſerta Bojorum, quæ a *Plinio* commemorantur, quidam Norico, alii Pannoniæ, nonnulli utrique ſimul Provinciæ adſcribunt. Nec deſunt, qui ex Pannonia in vicinam Quadorum regionem illa procurriſſe arbitrentur. Nominatim Marcus *Velſerus* Deſertis Boicis adſignat Noricum ripenſe, a Vindelicorum finibus, ſeu ab Aeni oſtio usque ad montem Cetium (*Callenberg*) Vindobonæ proximum *i*). Idem ſentit *Lazius*, niſi quod alterum horum Deſertorum limitem potius *Aniſum* fluvium, quam *Aenum* ſtatuat *k*). At *Harduinus*, *Cellarius*, *Schönlebius*, *Jordan*, *Severinus* hæc Deſerta intra Pannoniam Superiorem concludunt, vario tamen & hi modo: vel ſcilicet a lacu Niſiderienſi, qui illis *Peiſo* eſt, vel a fluvio *Litaha* (Leitha) qui Hungariam hodie ab Auſtria dirimit, vel demum a Vindobona, vicinoque monte Cetio ad fluvios, aut Arrabonem, aut Muram, aut Dravum ea protendentes *l*). *Irenicus* vero & *Cluverius* eadem Deſerta per Norici ſimul, & Pannoniæ contiguæ partem diffuſa fuiſſe

i) Rer. Boicar. lib. 2. p. 38. & in Mappa Vindeliciæ, quæ Operi Rerum Auguſto-Vindelicarum præfigitur.

k) Lib. 12. de Rep. Rom. ſect. 3. cap. 7.

l) Harduinus in Notis ad Plinii hiſt. nat. lib. 3. cap. 24. Cellarius Notit. Orbis antiqui T. I. lib. 2. cap. 8. ſect. 1. n. 12. Schönleben P. I. Annal. Carniol. p. 141. Jordan. de Orig. Slav. in Adpar. geogr. n. CCCXCI. Severinus lib. I. Pannoniæ illuſtratæ p. 10. ſeq.

autumant *m*). *Bonbardus* denique, & Cl. *Pray*, cum lacum *Peiſonem* trans Danubium in Poſonienſi Comitatu quærunt, eo ipſo Deſerta Boica e Pannoniis in Quadorum usque regionem pertigiſſe volunt *n*).

Tantæ Diſſenſionis cauſa præcipua *Strabo* eſt, Geographus imperio Octaviani ac Tiberii Auguſtorum florens. Is enim ubi lacum Brigantinum deſcripſiſſet, de Bojorum Deſertis ita refert: *Attingunt*, inquit, *lacum exigua parte Rheti, majore Helvetii, & Vindelici. Inde eſt Bojorum ſolitudo uſque ad Pannonios o*). Si *Strabonem* proinde audimus, *Deſerta Bojorum* reapſe non in Pannonia, ſed inter Vindeliciam & Pannoniam, adeoque in Norico fuerunt. Quamobrem cum ipſe quoque *Plinius Deſertorum Boicorum* non alibi, quam in deſcriptione *Norici* meminerit, nihil mirum eſt, ſi nonnulli hodie hæc Deſerta non Pannoniæ, ſed Norici partem fuiſſe velint.

Quamquam quod ad *Plinium* attinet, rectius obſervat Samuel *Timon*: Deſerta Bojorum ſic a *Plinio* deſcribi, ut illa proprie nec ad Noricum, nec ad Pannoniam retuliſſe videatur *p*). Nam ſi hæc apud *Plinium* ſpectes: *Noricis junguntur Lacus Peiſo, Deſerta Bojorum*: certum apparet, his verbis Deſerta Boica non apud ipſos Noricos, ſed potius in horum vicinia locari. *Jungi* enim idem eſt phraſi *Pliniana*, ac vicinum eſſe. Hoc ſane ſenſu *Plinius* etiam *Rhetis Noricos, & Pannoniæ Provinciæ Mœſiam jungi* eodem libro ſcribit. At, ſi rurſus attendas; toto illo capite nullam fieri mentionem Pannoniæ, ſequens autem ejusdem libri caput hoc modo incipere: *Inde glandifera Pannoniæ, qua miteſcentia Alpium juga &c.* patebit, eadem *Deſerta* quodammodo etiam a Pannonia excludi, ac nonniſi huic finitima declarari. Verbo: e ſolo *Plinio* eruitur dumtaxat, *Deſerta Bojorum* æque Noricis ac Pannoniis fuiſſe confinia. Verum hoc non minus obſcurum eſt, ac ſit illud S. Hieronymi de *Stridone* patria ſua, a Gothis everſa, quam Dalmatiæ quondam Pannoniæque confinium fuiſſe dixit, materiemque diſceptandi, ad utram reapſe provinciam urbs illa pertinuerit, poſteris reliquit *q*).

At vero *Plinius* in Deſertis Boicis nominat *Sabariam*, & *Scarabantiam*, civitates, quas *Claudius*, *Ptolemæus*, *Plinio* ætate proximus, in *Pannonia Superiore*, Norico finitima recenſet. Igitur ex *Ptolemæo* jam conſtat, Deſerta illa intra Pannoniam extitiſſe. Nondum tamen omnis caligo deterſa eſt; quæri enim adhuc poteſt, qua de cauſa fines Deſertorum Boicorum *Strabo*, *Vindelicos* & *Pannonios*; *Plinius* autem, *Noricos* & *Pannoniam* conſtituant? *Strabonem* quidem *Wernsdorf-*

---

m) *Irenicus* in Exegeſi Germ. *Cluverius* Vindel'c & Norici cap. 1.

n) *Bonbardi* Topogr. Regni Hung. p. 7. *Pray* in Annal. vet. Hunnor. p. 178. in Not.

o) Geogr. lib. 7. p 332.

p) Imag. Hung. antiquæ lib. 1. cap. 2.

q) De Scriptorib. Eccleſ. ſub finem.

ſius erroris coarguit; quaſi videlicet pro lacu Peiſone Brigantinum, qui apud Vindelicos erat, acceperit, atque ideo in deſcribendis Boicæ Solitudinis finibus hallucinatus fuerit *r*). Quoniam tamen ex aliis monumentis conſtat, Bojos ante Chriſtum natum non modo in Pannonia prope Noricos, verum etiam in ipſo Norico juxta Vindelicos habitaſſe, variasque viciſſitudines perpeſſos fuiſſe, idcirco *Strabonem Plinio* conciliaturus exiſtimo; iſtum quidem de ſolis Pannonicis, at priorem illum ſimul de Noricis Bojorum Deſertis intelligi oportere; idque propterea, quod Noricus Bojorum ager, qui tempore *Strabonis* adhuc deſertus jacuerat, ætate *Plinii* pluribus jam oppidis, quam ut etiamnum Deſertorum nomine compellari debuiſſet, frequentatus fuerit. Ita enim *Plinius* laudatum Libri III. Caput XXIV. inchoat: *Rhætis junguntur Norici: oppida eorum Virunum, Celeia, Teurnia, Aguntum, Aemonia, Claudia, Flavium, Solvenſe.* Reliquum Capitis ita habet: *Noricis junguntur lacus Peiſo, Deſerta Bojorum: jam tamen colonia divi Claudii Sabaria, & oppido Scarabantia Julia habitantur.* Sequens demum Caput ſic incipit: *Inde glandifera Pannoniæ, qua miteſcentia Alpium juga etc.* uti ſupra dictum eſt. Verum, inquis, ſi Deſerta Bojorum prius Norici ſimul & Pannoniæ, poſtea ſolius Pannoniæ portio quædam fuere, quid cauſæ ſubeſt, cur nihilominus tam *Plinius*, quam *Strabo* alterum horum Deſertorum limitem Pannoniam nominent? Cauſa quidem in obſcuro eſt, ſi quid tamen adſequor, Romani hæc Bojorum Deſerta videntur aliquandiu peculiaris regionis inſtar, ac veluti agros decumates, prius Vindelicis, dein Noricis tantum & Pannoniis interjectos, habuiſſe, & conſideraſſe. Non enim probo illorum ſententiam, qui nullo idoneo documento nixi adfirmant, Noricum tempore primorum Auguſtorum per magnam Superioris Pannoniæ partem, uſque videlicet *Sabariam*, quam idcirco *Bonfinius*, & *Ranzanus* Norici urbem appellant *s*), procurriſſe. Certe *Plinius*, ut paullo ante vidimus, Deſerta Bojorum, in quibus erat *Sabaria*, extra Noricum, tametſi in confinio Norici, deſcribit.

Sed, utcunque hæc *Strabonis* ac *Plinii* temporibus fuerint; illud in aperto eſt: Deſerta *Plinio* memorata, poſtquam pluribus civitatibus, oppidis, villisque habitari cœperant, iterum Pannoniæ fuiſſe inſerta, cumque Pannoniam Romani haud multo poſt in Superiorem, & inferiorem ſecuiſſent, abhinc regionem iſtam, abolito Deſertorum Boicorum nomine, jam ut partem Superioris Pannoniæ habitam eſſe. Quod vero fines horum Deſertorum concernit: hi ex Auſtria inde a monte Cetio, Vindobonæ finitimo, ad fluvium *Arrabonem*, immo ultra hunc forte uſque *Muram* fluvium per Hungariæ hodiernæ provincias, Sopronienſem, Caſtriferrenſem, ac forte Saladienſem porrigebantur. Ceterum alter hic terminus

---

r) De Rep. Galat. p. 78. in Not.

s) *Bonfinius* Dec. I. Rer. Hung. lib. I. p. 24. Ranzanus Epit. Rer. Hung. T. I. ſcript. Hung. p. 322. ex edit. Schwantneri.

conjecturæ inſtar eſto, dum priorem illum adverſus nonnullos recentiorum, qui Boicorum in Pannonia Deſertorum initium aut *Peiſonem* lacum, aut amnem *Leitham* conſtituunt, ex ipſis *Plinii* verbis eruere ſatagam.

Communis hodie opinio eſt, *Plinium* duas tantummodo civitates in Bojorum Deſertis recenſere, nempe *Sabariam*, & *Scarabantiam Juliam*. Neque id mirum: nam poſteriores *Plinii* editiones ita habent: *Noricis junguntur lacus Peiſo, deſerta Bojorum, jam tamen colonia divi Claudii Sabaria, & oppido Scarabantia Julia habitantur t*). Nunc igitur oſtendam, in hoc textu mendum cubare, & poſtrema illius verba corrigi, & reſcribi hunc in modum oportere: *& oppida Scarbantia, Julia habitantur.* Id ubi probatum fuerit, patebit, non duas, verum tres diverſas civitates eſſe, quas *Plinius* in Bojorum Deſertis enumerat, videlicet *Sabariam*, *Scarbantiam*, & *Juliam*, id eſt, *Juliobonam*, quo nomine a *Ptolemæo Vindobonam* intelligi notum eſt. Hinc vero ſuapte ſequetur, initium Boicorum in Pannonia Deſertorum non a lacu *Peiſone*, aut ab amne *Leitha*, verum ab ipſo monte *Cetio*, *Vindobonæ* proximo, ducendum eſſe. En itaque neceſſariæ correctionis argumenta.

Haud ita pridem in contigua *Sabariæ* hodiernæ villa *Perenth* effoſus eſt Lapis cum hac optime conſervata, lectuque facillima Inſcriptione, quam æri quoque inciſam *Tab. IX.* exhibeo:

MVNICIPIVM FLAVIVM AVG. SCARBANT.

Nullum eſſe dubium poteſt; quin SCARBANT. in hoc lapide Pannonico *Scarbantiam* ſignificet, quam *Plinius* libro III. *Hiſt. nat. cap. XXIV.* ante caſtigationes per Sigiſmundum *Gelenium* anno 1535. factas, editus, corrupte in quibusdam exemplaribus *Carambariam*, in aliis *Carabantiam*, poſtea ex *Ptolemæo* correctus *Sacarbantiam*, ac demum ex Itinerario *Antonini* caſtigatus, *Scarabantiam* vocat. Jam vero teſte hac Inſcriptione (monumento originali; & incorrupto, ideoque fide digniſſimo) hæc *Scarabantia*, ſive potius *Scarbantia*, titulum habuit *Flaviæ*, non autem *Juliæ*. Scribitur enim in Lapide *Municipium Flavium Auguſtum Scarbantia.* Hoc *Plinius* utique non ignoraverit, utpote qui hiſtoriam ſuam tempore *Flaviorum Veſpaſiani* Auguſti, ac *Titi* Cæſaris conſcripſit: non igitur veriſimile eſt, in originali ejusdem Manuſcripto, quod perierat, fuiſſe exaratum: *oppido Scarabantia Julia*; ſed potius *oppida Scarbantia*, *& Julia*, aut omiſſa, ut ſæpe fieri ſolet, particula *&*, *Scarbantia*, *Julia habitantur.* Adde, quod ſi *Scarbantia* nomine *Juliæ* ornata fuiſſet, *Plinius* non *Scarbantiam Juliam*, ſed *Juliam Scarbantiam* ſcripſiſſet, non ignarus, idgenus titulos propriis civitatum nominibus ætate ſua præponi conſueviſſe. Quamobrem tum hac de cauſa,

t) Hiſt nat. lib. 3. cap. 24.

tum quia indice Lapidis inſcriptione *Scarbantia* titulum *Flaviæ* habuit; mihi jam certum eſt, apud *Plinium Scarbantiam Juliam* non unius, ſed duorum oppidorum nomina eſſe, adeoque in vetuſtiſſimis *Plinii* codicibus, & in ejusdem autographo exaratum fuiſſe, non *oppido Scarabantia Julia*, ſed *oppida Scarbantia, Julia.*

Et vero rem ita ſe ſe habere, unusquisque fatebitur, qui textum ſupra laudatum in antiquioribus *Plinianæ* hiſtoriæ codicibus ſive Manuſcriptis, ſive ab anno 1469. quo princeps editio facta eſt *u*) uſque ad annum 1535. impreſſis, diligenter excuſſerit. Inveniet enim in poſtremo ejusdem textus membro ſolum *Scarbantiæ* nomen, quod correctione indiguit, variare, adſcripto nempe librariorum imperitia, vel oſcitantia, modo *Carambariæ*, modo *Carabantiæ*, poſtea ex *Ptolemæo Sacarbantiæ*, aut ex Itinerario *Antonini Scarabantiæ* vocabulo: in reliquo autem *oppida* ibi eſſe, non *oppido*, & in nonnullis exemplaribus conſuetam quoque interpunctionis notam inter *Scarabantiam*, *Juliamque* deprehendet. Sed quid multis opus? cum id ipſemet *Gelenius* fateatur in adnotationibus, quæ vel in fronte, vel ad calcem operis *Pliniani* ab ipſo caſtigati eſſe ſolent, hæc ad libri III. caput XXIV. adjiciens: *Jam tamen colonia D. Claudii Sabaria, & oppida Carabantia, Julia. Reſtituimus*, inquit ille: *jam tamen colonia D. Claudii Sabaria, & oppido Julia Scarabantia habitantur.* Præterea idem in Epiſtola dedicatoria hiſce adnotationibus præfixa, & ad Cl. virum *Damianum a Goes* Baſileæ kal. Januarii 1535. data, inſinuat, ſe, ubi inter variantes lectiones dubium, utra rectior eſſet, occurrit, ad phraſin *Plinianam* diligenter attendiſſe, atque hoc ſolo intuitu quædam aliter edidiſſe.

Quæ cum ita ſint, reſtituatur ergo ſibi *Plinius*, & rejecta, quæ *Gelenio* tantum anteſignano, in omnes poſteriores editiones irrepſerat, vitioſa illa lectione: *oppido Scarabantia Julia*: vetuſtior hæc, ſinceriorque: *oppida Scarbantia, Julia*: reponatur. Nomine autem *Juliæ* non alia iſthic intelligatur civitas, ac *Ptolemæi Juliobona*, quæ cæteris poſt *Ptolemæum* Auctoribus adpellatur *Vindobona.* At enim, inquis, in Geographia Ptolemæi *Juliobona* pro *Vindobona* nonniſi vitioſæ ſcriptioni debetur. Ita ſane crediderunt *Bertius, Cluverius*, & *Lambecius x*). Idem antea ipſe quoque horum auctoritatem ſecutus crediderani *y*). At nunc magnopere probo, quod primi Editores *Ptolemæi*, vetuſtiora MSS. ſecuti, nihil iſthic immutandum cenſuerint, verum pro *Vindobona*, quæ illis facile in mentem hoc loco venire potuit, *Juliobonam* uti repe-

---

u) Vid. *Harwood* Ueberſicht verſchiedener Ausgaben der griechiſchen und römiſchen Klaſſiker p. 274. Splendidiſſimum Exemplar principis editionis in Codice membranaceo, Venetiis per Nicolaum Jenſon anno 1469. factæ in fol. poſſidet Bibliotheca Cæſ. Vindobonenſis.

x) Petr. *Bertius* Rer. Germ. lib. I. Philip. *Cluverius* Deſcript. Vindel. & Nor. cap. 5. *Lambecius* lib. II. Bibl. Cæſ. cap. 2.

y) Comment. geogr. in Rom. Iter per Pannon. P. I. p. 129.

terunt, ita ediderint. Hanc enim lectionem modo confirmat & ipſe *Plinius*, Ptolemæo paullo vetuſtior, qui in Deſertis Bojorum, partem Pannoniæ Superioris Norico finitimam complectentibus, nominat *Juliam*, & quidem hoc plane oppidorum ordine, quo in Itinerario Antonini, ſerius poſt *Plinium*, & *Ptolemæum* concinnato, ponitur *Vindobona*. Ordo nempe in *Plinio* hic eſt: *Sabaria*, *Scarbantia*, *Julia*. In Itinerario autem nunc laudato pag. 233. *Sabaria*, *Scarabantia*, *Mutenum*, *Vindobona*. Ita ergo una eademque civitas, quæ principio *Vinda* vocabatur (uti mea fert opinio, cujus fundamentum ſequente libro, cum de *Bojis* Pannoniæ incolis agetur, adſeram) reſtaurata ſub *Octaviano* Auguſto, qui adoptivo nomine *Julius* erat, *Julia Vinda*, & brevius *Julia* dici cœpit: poſtea vero *Juliobonam*, ac tandem ex primigenia *Vindæ* adpellatione *Vindobonam* adpellare magis ex uſu fuit. Serius nonnulli *Vindomanam*, & *Vindominam* ſcripſere. Quidam *Favianam* quoque dictam arbitrantur, quos *Lambecius* refellit z). Hodie *Vienna* Auſtriæ eſt. Uſque huc igitur *Plinius* a *Sabaria* extendit deſerta Bojorum, dum ſcribit: *Noricis junguntur lacus Peiſo*, *deſerta Bojorum: jam tamen colonia divi Claudii Sabaria, & oppida Scarbantia, Julia habitantur.*

Reſtituta vero *Plinii* lectione iam cuique, opinor, ſat apertum eſt, non recte ſentire illos, qui Pannonica Bojorum Deſerta occaſum verſus non ultra lacum *Peiſonem* aut fluvium *Leitham* pertigiſſe volunt. Nam ſi præter *Sabariam*, & *Scarbantiam*, etiam *Julia*, ſeu *Juliobona*, id eſt, *Vindobona* in illis ſteterat, neceſſe profecto eſt, ut non per Hungariæ duntaxat partem, verum etiam per contiguam Auſtriæ portionem uſque vicinum *Vindobonæ* montem *Cetium*, Superioris Pannoniæ quondam terminum, extenſa fuerint. Non moror proinde inficetam *Harduini* conjecturam, quam is ad illa Plinii verba: *Noricis junguntur lacus Peiſo*, *Deſerta Bojorum*: hunc in modum nobis obtrudit; *Rectius forte*, inquit, l*acu Speiſo*: *ut ſit lacu illo conjungi Noricis Deſerta Bojorum a*). Certe nihil ſuadet amplius, cur *Peiſonem* in *Speiſum* refingi oporteret, cum jam conſtet, initium illorum Deſertorum non ad hunc lacum, ſed ad ſupra dictum montem Cetium fuiſſe. Quin etiam patet ratio, cur non ſcripſerit Plinius: *Noricis jungitur lacus Peiſo;* ſed potius; *Noricis junguntur lacus Peiſo*, *deſerta Bojorum*: quo nempe facilius intelligas, non tam lacum *Peiſonem*, quam ipſa Deſerta, in quibus hic lacus erat, Noricis juncta, ſeu contermina fuiſſe.

At vero Joannes *Severinus* complures adducit rationes, quibus evincere nititur, ætate *Plinii* Noricum uſque ad lacum *Peiſonem* pertigiſſe, ideoque Pannonica Bojorum Deſerta nonniſi ab hoc lacu *Arrabonem* verſus procurriſſe. En illas compendio: Ait *primo*: apud *Strabonem* Bojos, Pannoniæ populum, a Raba amne

---

z) Lib. I. Bibl. Cæſ.

a) In notis & emendat. ad Plinii hiſt. nat. Tom. I.

ad lacum Peiſonem dilatari *b*). *Secundo*, apud *Plinium* lacum *Peiſonem* Noricis jungi *c*). *Tertio*, apud *Vellejum Paterculum*, Carnuntum (infra Vindobonam in hodierno *Petronellæ* vico ſitum) Norici urbibus adnumerari *d*). *Quarto*, idem colligi poſſe ex illo *Plinii* textu, in quo ſermo eſt de gleſſo, ſeu ſuccino *e*). *Quinto*: in Tabula Theodoſiana *Vindobonam* Norico adſcribi *f*).

Quam nullius momenti ſint hæ *Severini* rationes, paucis oſtendo: *primo* enim in toto Strabonis opere nec *Rabæ* amnis, nec lacus *Peiſonis* occurrit mentio. Nam ubi Strabo de Bojorum ſolitudine ſcribit, hanc ille non a lacu *Peiſone*, ſed a *Brigantino*, ſeu potius a Vindelicorum finibus ad Pannonios protendit, ut ſupra dictum eſt. *Secundo*: quo autem ſenſu apud *Plinium* lacus Peiſo Noricis jungatur, paullo ante expoſitum fuit. *Tertio*: *Vellejus Paterculus* nuſpiam aperte *Carnuntum* Norici urbibus adnumerat, ſed innuit dumtaxat, *Carnuntum* fuiſſe locum Norico regno proximum ab ea parte, qua *Tiberius* Cæſar exercitum in Illyrico merentem in Marcomannos ducere cœperat. Textus enim *Paterculi* a *Severino* allegatus ita habet: *Ipſe* (Tiberius) *a Carnunto, qui locus Norici regni proximus ab hac parte erat, exercitum, qui in Illyrico merebat, ducere in Marcomannos orſus eſt.* Ubi locus Norici Regni proximus *Paterculo* idem ſignificat, ac locus Norico Regno proximus. Eodem quippe modo ſcribit, *Marcum Lepidum fuiſſe virum nominis ac fortunæ ſuorum proximum*, pro eo, quod ſcribere debebat, *virum nomini, ac fortunæ ſuorum proximum.* Non recte proinde *Severinus*, ut *Paterculum* ſuas in partes pertraheret, in textu nunc laudato, *locum Norici regni* virgula interpunxit ab epitheto *proximus*, ediditque: *a Carnunto, qui locus Norici regni, proximus ab hac parte erat.* Certe in ipſo *Paterculi* opere *locus Norici regni proximus* conjunctim, & ſine interpoſito commate legitur *g*). *Quarto*: nihil certius eſt, quam *Carnuntum* a Plinio ad Pannoniam referri, tum quia *hiſt. nat. lib.* 4. *cap.* 12. *Pannonica hyberna Carnunti* commemorat; tum vero, quia *lib.* 37. *cap.* 3. loquens *Plinius* de ſuccinis & gleſſo, quod ex Germania in Pannoniam, hinc vero in Italiam invehi ſolebat, diſerte *Carnuntum* Pannoniæ fuiſſe oppidum adfirmat. En ejus verba: *DC. fere millia paſſuum a Carnunto Pannoniæ abeſt littus Germaniæ, ex quo id invehitur, percognitum nuper.* Ita enim hic textus jam dudum reſtitutus in omnibus caſtigatis Plinii exemplaribus legitur; cum altera illa lectio, qua *Severinus* in rem ſuam utitur, nempe *C. fere M. paſſ. abeſt a Carnunto littus Pannoniæ, quod id a Germania invehitur*:

---

b) Joan. Severinus lib. I. Pannoniæ vet. monum. illuſtr. p. 10. circa finem.

c) Ibidem p. 11.

d) Ibidem p. 12.

e) Jbidem.

f) Ibidem.

g) Vid. Paterculus hiſt. Rom. lib. 2. cap. 109. ex editione Burmanni, qua & Severinum fuiſſe uſum, ex citatione capitis colligo.

manifeſtiſſima vitioſæ ſcriptionis indicia habeat. Quis enim ignorat, *Carnuntum* in ipſo adeo littore Pannoniæ, quippe in ripa Danubii, quo hæc a Germania magna dirimebatur, ſtetiſſe, ideoque fieri non potuiſſe, ut Plinius *centum fere millia paſſuum abeſſe a Carnunto littus Pannoniæ* ſcriberet. *Quinto*: Auctoritas Tabulæ Theodoſianæ, ſeu rectius Peutingerianæ, quoad Norici & Pannoniæ limites, quales primo Auguſtorum ſæculo erant, nulla eſt: quia hæc longe poſteriorem, & hanc præterea multis locis erroneam prorſus exhibet provinciarum deſcriptionem, quemadmodum id omnibus hodie, qui accuratiorem ejus notitiam habent, certum & exploratum eſt.

Hactenus ad *Severini* rationes. At Chriſtophorus *Jordan*, qui a fluvio *Leitha* Deſertorum Boicorum initium ducit, idcirco negat hæc Deſerta uſque Vindobonam, montemque Cetium pertigiſſe, quod ex *Ptolemæi* deſcriptione agrum Vindobonenſem non *Boji*, ſed *Azali* tenuiſſe videantur. Sic etenim Pannoniæ Superioris populos deſcribit Ptolemæus: *Tenent provinciam a parte Septentrionis Azali, qui magis occidentales ſunt, & , qui magis orientales ſunt, Cytni. A meridie autem Latobici ſub Norico. Verſus ortum Varciani: in medio verſus occaſum Boji; & ſub iis Coletiani. Jaſſii vero ad ortum, ſub ipſisque Oſeriates h).* Unde, inquit ille, *Azali* circa Vindobonam uſque ad lacum Peiſonem habitarunt; his vicini fuere *Cytni* uſque ad inſulam *Schütt*, quam Danubius efficit. Dein *Latobici* dextram Savi, per Carnioliam fluentis, *Varciani* vero ſiniſtram tenuerint. *Jaſſiis* obvenerunt agri in dextra Arrabonis ripa verſus lacum Balatonem: terra autem inter hunc lacum & partem Dravi ſita ſpectaverit ad *Oſeriates*. *Coletiani* fuerunt ſiti inter Murum, Dravumque fluvios. Demum ſubjungit: *Bojorum pars neceſſario debebat eſſe in ſitu Scarabantiæ (quæ certe hodie ſunt Oedenburg,* & *Stein am Anger) ergo inter fluvios Leitham & Arrabonem. prope Styriam hodiernam i).*

Adverſus hoc Jordani ratiocinium adduco Plinium, qui non modo *Sabariam*, & *Scarbantiam*, verum ipſam quoque *Juliam*, ſeu *Juliobonam*, alioque nomine *Vindobonam*, in Deſertis Bojorum ſtetiſſe adfirmat. Plinio igitur facem præferente, Ptolemaicam populorum Pannoniæ Superioris deſcriptionem ipſe ita interpretor: In Septentrionali hujus provinciæ parte *Azali* tenebant terras hodierni Comitatus Moſonienſis, & vicinam Auſtriæ partem uſque ad Petronellæ vicum, in quo Carnunti rudera ſunt. *Cytni* vero habitabant in Comitatibus Jaurinenſi, & Comaromienſi, eratque Danubialis inſula Schütt *Cytnorum*, quæ hodie non rite *Cituorum* vocatur. Meridionalem plagam colebant *Latobici*, in hodierna ſcilicet Carniolia; hisque finitimi erant *Varciani*, agrorum circa Savum coloni. Medii

---

h) Geogr. lib. 2. cap. 15.

i) Jordan de Orig. Slav. P. III. in Adpar. Geogr. p. 91.

Latobicos

Latobicos inter & *Azalos* ad occaſum agebant *Boji*, eorumque terræ per Comitatus Caſtriferrenſem, & Sopronienſem in contiguam Auſtriam uſque Vindonam, montemque Cetium procurrebant. *Coletiani* vicinas Bojis ſedes habuere in confinio Styriæ circa Pætovium, & in Comitatu Saladienſi. Ad ortum denique degebant Jaſſii circa Dravum, partim in Croatia, ubi *Aquæ Jaſæ* ex Lapide Varaſdinenſi a nobis ſupra memoratæ, partim in vicina illis partibus Hungaria. His contermini erant *Oſeriates* per Comitatum Simegienſem, ac forte Veſprimienſem diffuſi. Ceterum quod Bojorum in Pannonia regio *Azalis* contigua fuerit, & per agrum Vindobonenſem ad Danubium procurrerit, colligere mihi videor etiam ex Lapidis apud *Gruterum* inſcriptione, cujus hoc initium eſt *k*):

L. VOLCATIO Q. F. VEL. PRIMO PRAEF. COH. I.
NORICOR. IN PANN. PRAEF. RIPAE DANVVI ET
CIVITATIVM DVARVM BOIOR. ET AZALIOR.

Idem enim *Lucius Volcatius*, *Quinti Filius*, *Velina* de tribu, cognomento *Primus*, *Præfectus Cohortis I. Noricorum in Pannonia*, ſimul fuerat *Præfectus Ripæ Danubii*, & *duarum Civitatum* (id eſt, Conventuum) *Bojorum*, & *Azalorum*.

Plinius ad Bojorum Deſerta, de quorum finibus nunc diſceptatum eſt, refert lacum quoque *Peiſonem*. Hoc nomen Chriſtophorus *Cellarius* exiſtimat per librarios eſſe corruptum. Ita enim ad laudata toties Plinii verba; *Noricis junguntur lacus Peiſo*, *deſerta Bojorum*: commentatur; „ Pelſonem Aurelius *Victor*, „ quem *Schottus* edidit, adpellat, ut alterum nomen corruptum eſſe videatur. „ *Agrum*, ait de Galerio, *Satis Reipublicæ commodantem*, *cæſis immanibus ſilvis*, „ *atque emiſſo lacu Pelſone*, *apud Pannonios fecit*. *Jornandes* Rer. Geticar. cap. „ 52. & ſeq. *lacum Pelſodis* dixit, quod videtur lectionem Victoris præ altera, „ quæ Plinii eſt, corroborare „ *l*). Alii ex adverſo ipſum Victoris *Pelſonem*, & Jornandis *Pelſodem* in Plinii *Peiſonem* reformant *m*). Omitto *Lazium*, qui lacum *Peiſonem* modo *Piſonis*, modo *Felicis* pro lubitu ſuo nuncupat *n*). Arbitror autem, apud Plinium nomen *Peiſo* rectiſſime editum, latina videlicet terminatione, ex Celtico *Pei-See*, quod *Peji lacum* ſignificat, exortum. Conjecturæ fundamentum præbet Hiſtoria, & Chorographia Gallo-Græciæ, ſive Galatiæ. Tertiam nempe hujus Reipublicæ partem inter Galatas obtinebant *Boji*, ex Ducis nomine *Toliſtoboji* nuncupati, atque tertio ante Chriſtum natum ſæculo ex Pannonia Superiore in Aſiam profecti. In horum regione lego apud *Strabonem* nomina Ca-

k) Theſ. Inſcript. p. CCCCXC. 2.

l) Cellarius T. I. p. 442. ex edit. Schwarzii.

m) Pray Annal. vet. Hunn. p. 178.

n) Lazius Lib. 12. de Rep. Rom. ſect 3. cap. 6. ſub finem.

ſtellorum *Blucium*, & *Pejum*; quorum alterum Regia quondam fuit Dejotari, alterum gazæ adſervandæ deſtinatum *o*): unde in mentem mihi venit ſuſpicari, an non etiam in Pannonia Superiore, utpote veteri *Toliſtobojorum* patria, perinde olim exſtiterit aut urbs, aut caſtellum nomine *Pejum*, lacui, qui *Peiſo* vocatur, adſitum? Ut conjecturæ huic robur aliquod ineſſe exiſtimem, hæc duo faciunt: primum, quia conſtat, veteribus populis, ac præcipue Celtis, in more fuiſſe, ut, cum ſedes ſuas alio transferrent, locis quibusdam recens occupatis imponerent nomina locorum alibi relictorum, ad retinendam videlicet antiquæ patriæ memoriam. Sic de Gallis, qui duce Belloveſo in Italiam commigrarunt, diſerte narrat *Livius*, conditam ab iis in Inſubria fuiſſe urbem, quam *Mediolanum* adpellarunt a cognomine pago Heduorum, ex quo profecti erant *p*). Dein, quia nomen *Peiſo* proxime accedit ad vocabulum *Pei-See*. Quapropter nihil veriſimilius videtur, quam lacum hunc, qui Plinio *Peiſo* vocatur, Bojis *Pei-See* ab adſito id nominis oppido adpellatum fuiſſe. Ita quippe hodie quoque idem lacus etiam *Neuſidler See*, & *Oedenburger See* a vicinis id nominum civitatibus nuncupatur. Nec obſtat, quod in veteri Geographia Pannoniæ nulla *Peji* oppidi occurrat mentio. Multa enim oppida, multæ civitates, & caſtella dudum ante interierunt, quam Pannonia in poteſtatem Romanorum veniſſet, ſub quibus primum res Pannoniæ conſignari monumentis cœperunt.

Quod vero ad Victoris *Pelſonem* attinet; hunc plerique recentiorum perperam cum *Peiſone* Plinii confundunt: quo fit, ut haud pauci etiam de ſitu provinciæ *Valeriæ*, quam *Galerius Maximianus* emiſſo in Danubium lacu *Pelſone*, cæſisque immanibus ſilvis apud Pannonios inſtituit, turpiter hallucinentur. Intelligunt enim *Valeriæ* nomine partem Pannoniæ Superioris, in qua fuit ager Sabarienſis, & Scarbantinus, plagamque circa hodiernum lacum Niſiderienſem: cum tamen ex Notitia Dignitatum Imperii Occidentis, & ex aliis coævis auctoribus certum ſit, provinciam *Valeriam* portionem fuiſſe Pannoniæ inferioris, diffuſam per hodiernos Hungariæ Comitatus Baranienſem, Tolnenſem, Albenſem, Veſprimienſem, Piliſienſem, Strigonienſem, partemque Comaromienſis. Nam quæcunque loca Itinerarium Antonini in Itinere per Pannoniæ ripam a Murſa uſque *Aquincum*, ſive Eſzekino uſque Budam veterem, & hinc Bregetionem, Comaromio vicinam, recenſet, ea omnia in ſupra dicto Notitiæ libro *ſub Duce Provinciæ Valeriæ ripenſis* recenſentur. In hac ergo Pannoniæ parte fuit Victoris *Pelſo*, hujusque nominis veſtigia etiamnum retinet lacus *Platten-See* germanis, Hungaris autem *Balato* dictus. Nam quod nonnulli hunc lacum pro *Volcæa* palude, cujus apud Caſſium Dionem ſupereſt memoria, haberi velint, error

o) Strabo Geogr. lib. 12. p. 662.
p) Livius lib. 5. cap. 19.

eſt, quem ipſe Dio attente lectus confutat, dum *Volcæam* paludem prope Myſiam in Pannonia Savia fuiſſe haud obſcure innuit. Auctor libelli de converſione Bojoariorum, & Carantanorum, lacum *Balatonem* inter *Dravum*, & *Rapam*, ſeu Arrabonem ſitum, vocat *Peliſſam inferiorem q*). Unde haud immerito argui poteſt, Scriptores medii ævi utrumque Pannoniæ lacum communi *Peliſſæ* nomine ſubin adpellaſſe, ita ut Plinii *Peiſo* illis *Peliſſa ſuperior*; Victoris autem *Pelſo* fuerit Peliſſa inferior.

His præmiſſis ad illos jam digredior, qui eo conjecturarum delapſi ſunt, ut *Peiſonem* Plinii æque, ac *Pelſonem* Victoris trans Danubium in Poſonienſi Hungariæ provincia extitiſſe cenſeant. Quod cum novum ſit prorſus, atque hac primum ætate excogitatum, rem opinor haud ingratam fore antiquitatum curioſis, ſi, quale illud ſit, uberius expoſuero, & has quoque tenebras a veteri geographia diſſipavero. *Bonbardius*, Auctor Topographiæ Regni Hungariæ hunc in modum diſſerit: „ De *Peiſone* lacu non una eſt eruditorum opinio. Plerique eundem eſſe contendunt, qui Moſonienſis provinciæ oppido *Niſidero* cohæret. „ Communi opinationi plene deferrem, niſi *Baſinienſem* civitatem lacui *Peiſonis*, „ qui Slavicum & Germanicum nomen *Peiſing* loco dederit, additam fuiſſe legiſſem; cujus in Danubium deducti non levia hodieque reperias veſtigia. Loco „ illo Plinii, quem ſibi patrocinari exiſtimant, qui *Peiſonem* Moſonienſi adſcribunt comitatui, non ita moveor, ut omne prorſus dubium ponam. Sic autem „ habet: *Noricis junguntur lacus Peiſo, deſerta Bojorum &c.* Ex quibus verbis „ ſi non licet arguere (uti reipſa non licet) Deſerta Bojorum porrecta non fuiſſe „ per eam tempeſtatem ultra Danubii ripas, ubi ſitum eſt *Poſonium*; perinde „ exiſtimo non eſſe irrefragabile, *Peiſonis* lacum e Baſinienſibus & S. Georgii „ agris induſtria humana deductum in Danubium fuiſſe. Attingo hæc non tam „ ut communi hodie eruditorum ſententiæ derogem, quam, ne celare mundum „ pergat, ſi cui præſto eſt, quo hunc paucorum non prorſus inficetum ſenſum „ elidat. „ Hæc ille *r*). RR. *Pray* vero in Annalibus Hunnorum agens de terris, quas tres fratres Oſtrogothi, *Valemir*, *Theodemir*, & *Videmir* in Pannonia poſſederunt, poſtquam mentionem lacus Peiſonis feciſſet, hæc ad calcem paginæ notat: „ Lacum hunc quidam trans Danubium ad urbem *Baſinium* fuiſſe putant. „ Favet huic opinioni Aurelius Victor his verbis de Galerio loquens: *Agrum* „ *Satis Reipublicæ commodantem cæſis immanibus ſilvis, atque emiſſo in Danubium* „ *lacu Peiſone apud Pannonios fecit.* Eſt vero ad *Baſinium* alveus ab uliginoſa „ palude haud procul urbe S. Georgii in Danubium ductus; quod nullibi ad „ lacum vulgo *Neuſidler See* videre eſt. Tum P. Joannes *Szegedi*, vir in patriis „ rebus ſupra ceteros verſatus, exſtare literaria inſtrumenta in Archivo Ven.

q) Pag. 10. ex edit. RR. Salagii.

r) Topograph. Regni Hungar. p. 7.

„ Capituli Poſonienſis de ea re mihi affirmavit , in quibus *Poſonium* a vicino „ olim lacu teutonico dictum ſit *Peisburg*. Unde non apparet ratio, cur Poſo„ nium *Belio* dicatur Piſonium „ *s*).

Præcipuum tenuiſſimæ hujus conjecturæ fundamentum in eo conſiſtit, quod inter civitates Baſinium, & S. Georgium obſervetur alveus quidam ab uliginoſa palude in Danubium ductus; tum quod aliqua nominum *Peiſonis*, *Peiſing*, & *Poſonii* ſimilitudo reluceat. At vero etiam alii duo lacus, qui cis Danubium ſunt, *Ferto* nempe, ſeu lacus Niſiderienſis, & *Balato* habent alveos, per quos imperante *Galerio* aquæ in Danubium corrivari poterant. Ex *Fertone* enim effluit *Rabnicza*, miſceturque Danubio apud Jaurinum. Ex *Ba atoe* autem longiſſimo canali manat *Sio*, aliter *Sivo* amnis, influens in *Sarvizium*, qui porro in Danubium prope *Batham*, Tolnenſis provinciæ oppidum, ſe ſe exonerat. Itaque ſpectato ſolo idgenus alveo, non eſt, cur Baſinienſem potius, quam alterutrum horum, quos modo diximus, lacum pro *Pelſone* Victoris, vel pro *Peiſone* Plinii accipias. Sed *Peiſſing*, inquiunt, & *Peisburg* a diffuſo inter Baſinium, & Poſonium lacu *Peiſone* nomen ſumpſiſſe videtur. Immo vero & *Peiſſing*, & *Peisburg* non aliunde, quam e vitioſa ſcriptione ortum fuerit. Certe Baſinium *Peiſſing* ſcribi vix alibi, quam apud Auctorem Topographiæ Regni Hungariæ invenies: conſuetæ enim hujus urbeculæ adpellationes, teſte Mathia *Belio*, ſunt ſequentes tantum: „ *Bazingam* promiſcue: diplomata vetera *Bozin*, & Hungarorum imita„ tione *Bazinium*: Germanis *Böſing* dicitur, Slavis *Peſinek* „ *t*) Verum, inquis, in archivo Capituli Poſonienſis, teſte *Szegedio*, exſtat inſtrumentum literale, in quo *Poſonium* vocatur *Peisburg*. Eſto: ſed ætas, fides, adcuratio inſtrumenti cur ſiletur? Quid facilius vero, quam ut præciſe ſcribentis feſtinatione *Peisburg* pro *Presburg* irrepſerit? Demum quod additur, *Aurelium Victorem* huic opinioni favere; id prorſus a vero abhorret. *Aurelius* enim *Victor* diſertiſſime prodit, lacum *Pelſonem*, qui ab *Galerio* in Danubium emiſſus erat, apud *Pannonios* fuiſſe, & quidem in ea *Pannoniæ* provincia, quæ dehinc *Valeriæ* nomen obtinuit. Certiſſimum vero eſt, *Galerii* Cæſaris, & *Aurelii Victoris* ætate provincias trans Danubium poſitas, cujuſmodi eſt provincia Poſonienſis, extra Pannoniam fuiſſe. Limes quippe Pannoniarum ex hac parte Danubius erat. Quapropter Pannonica quoque Bojorum Deſerta, in quibus lacus *Peiſo* erat, porrigi trans Danubium, & per Poſonienſem provinciam diffundi nequaquam poterant. *Ad ſeptentriones*, inquit Plinius, *vergit Pannonia*, *finitur inde Danubio u*). Atque hæc ſunt, quæ de Bojorum Deſertis, in quibus poſita fuit *Sabaria*, atque de lacu *Peiſone* in iisdem, diſceptare viſum fuit. Sequuntur animadverſiones criticæ in *Savariam* Ptolemæi, & *Sabariam* nonnullorum medii ævi Scriptorum.

s) Annal. vet. Hunnor. p. 178. in not.

t) Bel. T. II. Notit. Hung. Novæ p. 114.

u) Hiſt. nat. lib. 3. cap. 25.

CAPUT IV.

Criticæ animadverſiones in Savariam Ptolemæi, & Sabariam nonnullorum medii ævi Scriptorum.

PTOLEMÆUS in deſcriptione Pannoniæ ſuperioris nominat *Savariam* inter civitates procul a Danubio poſitas. *Maginus*, & *Moletius*, qui Ptolemœi Geographiam e græco in latinum traductam edidere, hunc locum ita referunt: *Savaria. Gretz vulgo.* 38, 20. 46, 40. Numeri additi notant gradus, & minutias longitudinis, ac latitudinis geographicæ, quam Ptolemæus *Savariæ* tribuit. Hos numeros *Græcio* non convenire, certum eſt ex hodiernis tabulis aſtronomicis, ſecundum quas Græcii latitudo, ſeu elevatio polaris eſt 47. gr. 12. minut. An vero Ptolemaici illi numeri rectius conveniant noſtræ *Sabariæ*, vulgo *Stein am Anger* dictæ, incompertum quidem habeo, ſed neque ut id modo comperiam, laboro: quoniam conſtat, in Ptolemæi Geographia multis locis erroneas prorſus longitudines, ac latitudines adſcribi.

Baudrandus in Lexico ſuo geographico perhibet, antiqua Græcenſium traditione conſtare, *Savarium* eſſe Græcium Styriæ metropolim. Quonam autem fundamento hæc traditio nitatur, non commemorat, niſi quod prævie *Muram* fluvium, qui Græcium prætermeat, veteri nomine *Savariam* vocet. Verum hæc unica ratio, cur Græcium pro *Savaria* habeatur, neutiquam ſufficit, uti ſuapte patet. Nam primum, eodem jure quilibet alius locus, Muræ fluvio adſitus, *Savaria* dici poſſet: deinde, quia non *Mura* tantum, ſed etiam amnis *Ginſius*, hodiernam *Sabariam* præterfluens, olim *Savariæ* nomen habuit, uti jam *Capite I.* dictum eſt. Paucis: *Græcium* Styriæ nequit eſſe *Savaria* veteris Pannoniæ, quoniam illa Styriæ portio nunquam ad Pannoniam, ſed ſemper ad Noricum pertinuit, teſte ipſo *Ptolemæo*, qui Pannoniam ſuperiorem montibus Cetiis, ultra quos eſt Græcium, terminat.

Quidam dubitant, an *Savaria* Ptolemæi non diverſa ſit a *Sabaria* Plinii. Nobis certum eſt; hæc unius ejusdemque civitatis eſſe nomina. Imprimis enim *Ptolemæus* unius duntaxat *Savariæ* civitatis meminit, & quidem in Pannonia ſuperiore tantum, in qua & Bojos, in medio ad occaſum poſitos, commemorat. Unde neceſſe eſt, ut is nomine *Savariæ* intellexerit *Sabariam*, a *Plinio* in Pannonicis Bojorum Deſertis nominatam. Cum enim hæc *Sabaria* fuerit una e celebrioribus Romanorum in Pannonia coloniis, imperante *Claudio*, Druſi filio, adeoque jam ante *Ptolemæi* geographi ætatem, deducta; cumque eadem ſub *Ptolemæo* etiam ſubſtiterit, immo florentiſſima fuerit, quippe totius Pannoniæ ſuperioris caput, ac metropolis; idcirco fieri nequit, ut idem *Ptolemæus* illam aut

ignoraverit, aut ſponte reticere voluerit in deſcriptione tot aliarum Pannoniæ civitatum. Dein illud mihi præcipuum eſt, quod eadem civitas, quam Plinius *coloniam divi Claudii Sabariam* vocat, in lapidibus Romanis, inſcribatur *Colonia Claudia Savaria*, idque conſtanter, quemadmodum alias dixiſſe memini. Hinc enim liquet, nonniſi permutatione literæ V in B factum eſſe, ut *Sabaria* diceretur *Plinio*, quæ eſt *Savaria* Ptolemæo. Sed utcunque hæc ſint, profecto criteria illa, quibus antiqui Auctores ſitum *Sabariæ* & *Savariæ* deſignant, nulla ratione hodierno *Græcio* conveniunt: quippe nec Pliniana Bojorum Deſerta, nec Ptolemaici Pannoniæ ſuperioris fines uſque Græcium pertingunt, nec denique illa paſſuum millia, quæ Itinerarium Antonini tum a Murſa, tum a Vindobona uſque Sabariam numerat, diſtantiæ Græcii a civitatibus nunc memoratis congruunt. Idem vero eſt de *Leibnizio*, itidem Styriæ oppido, quod pariter *Savariam* fuiſſe quidam ſuſpicati ſunt. *Muroëlam* enim iſthuc rectius cum *Cluverio* transtuleris.

Verum non deſunt alii, qui tametſi *Savariam* Ptolemæi facile admittant non eſſe diverſam a *Sabaria* Plinii, hoc tamen nomine oppidum *Sárvár* malunt, quam hodiernam *Sabariam* intelligere. Præ cæteris id adſerit *Cluverius*, ſed, ut reor, vel ob non ſufficientem locorum Hungariæ notitiam, vel vocum duntaxat *Sárvár*, & *Savariæ* adfinitate deceptus *x*). *Cluverii* auctoritatem, & errorem ſequuntur *Cellarius*, *Lambecius*, *Schönleben*, & alii quidam, ſed fere exteri tantum, hungaricorum nempe nominum, et locorum haud ſatis gnari *y*). Nam ex hungaricis Scriptoribus ne unus quidem (quod mihi conſtet) in Cluverii ſententiam hactenus conceſſit: utpote cum non ignorent, *Sárvár* eſſe nomen hungaricum e *Sár*, quod lutum, & *Vár*, quod arcem ſignificat, compoſitum, adeoque nullatenus ex depravato *Savariæ* vocabulo, ut Cluverius rebatur, exortum.

Ceterum Marcus *Heinſizius* aliud quidpiam, cur antiquam Sabariam in *Sárvár* potius, quam in *Stein am Anger* ſtetiſſe ſuſpicetur, in medium profert. Scribit enim videri ſibi S. Quirinum Martyrem, quem *Sabariæ* ſubmerſum Acta vetera referunt, apud *Sárvár* aquis hauſtum fuiſſe, propterea quod apud *Stein am Anger* vadoſior eſt *Sibaris*, id eſt, *Ginſius*, quam ut hauriendo Martyri ſufficere potuiſſet *z*). Placuit hæc animadverſio *Hieronymo de Prato*, Italo Veronenſi, qui, cum præterea Cluverii ſententiam eſſe communius receptam, & jam *Lazium* quoque idem ſenſiſſe, nomenque *Sárvár* e *Savaria* ortum eſſe falſo, ſibi perſuaderet, idcirco in ſuis ad vitam Beati *Martini* Sabariæ nati adnotationibus, poſt relatam *Heinſizii* conjecturam, hæc ſubjicit: *Itaque*, inquit, *& hanc ob cauſam, & nominis præcipue ſimilitudine, nec non Lazii verbis*

---

x) Noric & Vindelic. cap. 1 n. 26.

y) Cellarius l. ſupr. cit. Lambecius lib 2. de Bibl. Cæſ. p. 79. edit. Kollarii. Schönleben P. I. Annal. Carniol. p. 141.

z) T. I. Germ. ſacræ p. 39.

ſupra allatis permotus, eorum ego ſententiæ libens lubensque accedo, qui antiquam Sabariam hodierno nomine, & ſitu Sárvár eſſe volunt a). Quidam ut huic difficultati occurrant, *Sabariam* veterem ab oppido *Stein am Anger* uſque ad caſtrum *Sárvár* extendunt *b*). Id quod de priſcis finibus agri Sabarienſis, non vero de tanta ipſius urbis magnitudine accipiendum exiſtimaverim. Quamquam ne iſtud quidem neceſſarium eſt, cum vel hodie *Sibaris*, ſeu *Ginſius* amnis, etiam prope *Stein am Anger* hauriendo homini (ſi nempe is, uti S. Quirino accidit, adpenſo ad collum ſaxo molari, ne ſtare poſſit, præcipitetur) ſufficere valeat. Accedit, quod tot ſæculorum decurſu ipſe quoque hic amnis ingentem ſubire mutationem potuerit. Certe conſtat, non urbes modo, & provincias, verum & flumina viciſſitudinibus obnoxia eſſe, ita ut quædam horum ſint aucta, alia diminuta, nonnulla vero aut curſum mutaverint, aut penitus defecerint. Poſtremo ſi *Sabariæ* in ſitu hodierni oppidi, caſtrique *Sárvár* ſtetiſſet, in Actis divi Quirini Martyris mentio fieret *Arrabonis* potius fluvii, quam *Sibaris*, aut forte utriusque ſimul. Ibi enim profundior *Arrabo* haurit *Sibarim*: unde Martyr quoque veriſimilius in *Arrabonem*, quam in *Sibarim* præcipitatus fuiſſet. Sed hæc hactenus; alioquin enim ex Itinerario Antonini, & ex Inſcriptionibus Romanis, in *Stein am Anger* inventis, mox luculentius patebit, quantopere a vero antiquæ *Sabariæ* ſitu aberrent, qui hoc nomine hodiernum oppidum, caſtrumque *Sárvár* intelligi volunt.

Reſtant, qui *Sabariam* veterem magis adhuc ab hodierna removent, ſitum illius inveſtigantes in Jaurinenſi comitatu, prope ſacrum Pannoniæ montem, vulgo Sancti Martini dictum. Id agens Cl. *Katona c*), hæc primum ex Anonymo *Belæ* Regis Notario de *Arpadi* Ducis exercitu verba excitat: *juxta montem S. Martini*, inquit, *caſtra metati ſunt, & de fonte Sabariæ tam ipſi, quam eorum animalia biberunt d*). Poſtea hunc in modum argumentatur: „ Hic Ano-„ nymi locus, ait, aperte docet, juxta montem S. Martini Sabariam olim exti-

a) T. I. operum Sulpicii Severi p. 320. in Adnot.

b) Topogr. Hung. p. 112. & Diſſert. de col. Rom. in Pann. p. 53.

c) P. I. Hiſt. prag. Hung. p. 54.

d) Anonymus Belæ Notarius cap. 50. De hoc Anonymo diſceptatur hodie; quodnam ejus nomen fuerit, & quoti Belæ Regis Notarium egerit? Initium illius hiſtoriæ de ſeptem Ducibus Hungariæ in veteri MS. ita habet; *Pdictus magiſter, ac quondam bonæ memoriæ glorioſiſſimi Belæ, regis Hungariæ notarius, N. ſuo dilectiſſimo amico, viro venerabili.* Cl. Schwantnerus τὸ *Pdictus* edidit *Prædictus*, ſed, cum nullum nomen præcedat, valet illorum ſententia, qui hoc loco P. initialem nominis aut *Petri*, aut *Pauli* literam eſſe cenſent. Legendum ergo eſt vel *Petrus*, vel *Paulus dictus magiſter* &c. Erneſtus *Spieſs* in opuſculo cui titulus: Archiviſche Nebenarbeiten: erſter Theil: edidit p. 140. Diploma *Belæ III.* Regis Hungariæ, in quo fit mentio *Pauli notarii* Belæ ejusdem, poſtea facti *Epiſcopi ultraſilvani*: unde haud improbabilis conjectura fieri poteſt, hunc ipſum *Paulum* latere ſub Anonymo *Belæ Regis Notario.*

„ tiſſe. Quod etiam hæc Belæ IV. verba confirmat: *deinde protenditur terrenum* „ *ejus* (montis Pannoniæ) *uſque Sabariam*, *ubi dicitur natus S. Martinus.* Hæc „ igitur Sabaria, S. Martini patria, locusque natalis erat, ut etiam Chartuitius „ innuit, cum ſic in vita S. Stephani ſcribit: *Quoniam Pannonia beati Pontificis* „ *Martini nativitate gloriatur*, *juxta fundum Sancti Præſulis*, *in loco*, *ubi S. Mar-* „ *tinus*, *dum adhuc in Pannonia degeret*, *orationis ſibi locum aſſignaverat*, *in ti-* „ *tulo ipſius monaſterium conſtruere cœpit.* Maximum vero robur hæc opinio „ accipit ab iis literis, quibus Abbatia de Guyzin ſub Geyza II. conditur anno „ MCLVII., addiciturque *monaſterio S. Martini in ſacro monte Pannoniæ*, *ob* „ *reverentiam*, *& ſanctitatem ipſius loci*, *& propter B. Martini patrocinium*, *cujus* „ *nativitate in eodem loco habita*, *Pannonia gloriatur.* „ Hæc ille in Hiſtoria pragmatica Hungariæ *e*). Eadem paullo prolixius habet in hiſtoria critica Ducum Hungariæ, ubi poſt longiorem diſſertationem ita concludit: „ Ex his in „ unum collectis non ſine veriſimilitudine conjici poteſt, hanc potius *Sabariam* „ natales S. Martino dediſſe, quam aliam illam, Hungaris *Szombathely* dictam, „ ac in provincia Caſtriferrei ſitam „ *f*).

Conjectura hæc pondus haberet, ſi antiquioribus, quam ſæculi XII. ac XIII. documentis niteretur de loco nativitatis B. Martini, quæ ſeptem circiter ſæculis prius contigerat. Sed fuit hæc, inquis, communis tunc opinio Hungarorum. Nil moror: quis enim neſcit, quanta medio illo ævo inter homines fuerit & ruditas, & credulitas, & fingendi, quidquid ad majorem locis quibusdam celebritatem, aut ſanctitatem conciliandam idoneum videbatur, nonnullorum temeritas? Profecto ipſæ hæ literæ, quibus *Walſerus* Comes ſub Geyſa II. *Abbatiam de Guyzin* (quæ nunc *Abbatia S. Mariæ in monte Giſſing*, alias *Németh-Ujvár*, vocatur) anno 1157. fundavit, & Cœnobio *S. Martini* in monte Pannoniæ ſito ſubjecit, ipſæ, inquam, hæ Literæ donationales, a quibus Cl. Auctor ſententiæ ſuæ maximum robur accedere innuit, neſcio quid ſuſpicionis vel invito ingerunt. Nam, ſi earum verba rite expendas, ſecundum hæc divus *Martinus* non tam juxta ſacrum Pannoniæ montem, quam in ipſo hoc monte natus erat. En contextum: *In loco*, inquit, *inhabitato*, *& ſolitario*, *qui dicitur Quyzin*, *monaſterium ædificavi*, *quod ſuis pertinentiis adornatum*, *ex gratia & præcepto Regis*... *Monaſterio S. Martini in ſacro monte Pannoniæ*, *ob reverentiam & ſanctitatem ipſius loci*, *& propter beati Martini patrocinium*, CUJUS NATIVITATE IN EODEM LOCO HABITA, *Pannonia gloriatur* . . . *in obedientiam tradidi g*). Suſpicionem auget, quod primus Rex Sanctus *Stephanus* in Literis, quibus ipſum divi *Martini* Monaſterium in hoc Pannoniæ monte anno 1001. fundavit, de nato ibidem S.

e) P. I. p. 54.
f) Pag. 213. & ſeq
g) Apud Katona T. III. hiſt. crit. Reg. Hung. p. 676.

Martino

Martino nullam prorſus mentionem injiciat, vix certe rem hanc ſilentio prætermiſſurus, ſi jam tunc ea opinio, antiquiore quapiam traditione fulta, viguiſſet. Præterea opinionem hanc ſolido fundamento deſtitutam fuiſſe, inde quoque conjicias, quod ita ſenſim evanuerit, ut a pluribus jam ſæculis nemini e Scriptoribus rerum hungaricarum in mentem venerit adſerere, divum *Martinum* alibi, quam in hodierna *Sabaria*, Comitatus Caſtriferrei civitate, vulgo *Szombathely*, & *Stein am Anger* dicta, primam lucem adſpexiſſe. Teſtes hujus rei adpello *Bonfinium* Dec. I. Rer. Hung. lib. I. p. 24. *Ranzanum* in Epit. Rer. Hung T. I. Script. Hung. p. 331. Nicolaum *Olahum* lib. I. de Hungaria, & Attila §. III. p. 14. Paulum *Gregoranczium* in Brev. Rer. Hung. apud *Bel* in Adparatu Hung. p. 102. ſeq. *Inchofferum* T. I. Annal. Eccl. Hung. in Proleg. p. XV. *Timonem* Imag. Hung. ant. lib. I. cap. XI. Omnes denique Scriptores patrios, quotquot a temporibus *Mathiæ Corvini* ad noſtram uſque ætatem hoc argumentum attigerunt.

Et vero ſacer mons Pannoniæ ex omnibus illis criteriis, quibus *Plinius*, *Ptolemæus*, & Itinerarium Antonini ſitum *Sabariæ* determinant, nihil omnino habet. Etenim primum non eſt in vicinia veteris Norici; dein ad ripam Danubii propius, quam id *Savaria* Ptolemæi requirat, accedit: præterea eſt infra oſtium *Arrabonis*, quo Superior Pannonia, ad quam *Sabaria* pertinebat, terminabatur. Idem nullatenus reſpondet menſuris intervallorum, quibus Itinerarium Antonini *Sabariam* a *Murſa*, *Scarabantia*, & *Vindobona* ſejungit. Caret inſuper fluvio, in cujus ripa ſtetiſſe *Sabariam* Acta Sancti *Quirini* Martyris teſtantur. Adde his omnibus, quod nulla ſeu in hoc monte, ſeu juxta illum reperiantur veſtigia civitatis Romanæ, neque ibi ejusmodi Inſcriptiones, quales in *Stein am Anger*, ſeu *Szombathely*, nempe nomine *Coloniæ Claudiæ Savariæ* inſignes, effodiuntur.

Verum erit fortaſſe, qui arbitretur eo jam tempore, quo Sanctus *Martinus* natus eſt, nimirum, ineunte ſæculo æræ chriſtianæ quarto, duas in Pannoniis civitates, idem *Sabariæ* nomen habentes, extitiſſe, ex quibus non illa, quæ fuit Superioris Pannoniæ metropolis, ſed altera minus celebris, natalibus Sancti *Martini* inclaruerit: hæc ipſa videlicet, quæ juxta montem Pannoniæ adhuc ſub Rege *Bela IV.* nomen *Sabariæ* retinuit. Valeat hoc effugium apud illos, qui tantam diplomatibus, ac Scriptoribus medii ævi tribuunt auctoritatem, ut iis tunc etiam, cum res multis ante ſæculis præteritas ſine antiquiore teſte commemorant, fidem eſſe habendam exiſtiment. Certe duplicem in Pannonia Romana *Sabariam civitatem* ignorat vetuſtior Geographia. Sulpicius *Severus* Sancti *Martini*, toties memorati, diſcipulus, perhibet ipſum *Sabaria Pannoniarum oppido, patre Tribuno militum fuiſſe oriundum h*): nulla omnino re addita, unde colligere poſſis, hanc *Sabariam* fuiſſe diverſam ab illa, quam ceteri ante ipſum Auctores in ſua ſcripta retulerunt. Si quæ ergo præter hanc altera in monumentis ſæculi XII.

*) De vita beat. Martini cap. I.

ac XIII. reperitur, ea, ut quidem reor, nonniſi longo poſt nativitatem Sancti *Martini* tempore exorta fuerit. Memini pagum, qui a ſacro Pannoniæ monte unius circiter horæ, aut nonnihil ampliore intervallo ortum verſus diſtat, *Szombathely* vocari, quo nomine cum Hungari hodiernam quoque civitatem *Sabariam* adpellent, fieri poteſt, ut olim patrii Scriptores iſtum quoque pagum latine *Sabariam* nominaverint. Cæterum Documenta ſupra laudata *Sabariam* Sancti Martini locum natalem propius, ut ſupra dixi, Monti Pannoniæ admovent, immo quaſi ſupra ipſum montem collocare videntur. Atque hinc fortaſſe profluxerit, quod *Chartuitius* ſcripſerit, S. *Martinum* in monte Pannoniæ ſibi orationis locum adſignaſſe. Verum, inquis, ipſe quoque *Sulpicius* meminiſſe videtur idgenus montis, quem S. *Martinus* orationis cauſa frequentaverit. Hic vero deeſt hodiernæ *Sabariæ*, in planicie poſitæ. Immo vero montem quoque, etſi non æque altum, habet noſtra *Sabaria*. *Calvariæ* is mons hodie adpellatur, ſupra quem eremus, templum, & ſacella orationis cauſa etiamnum frequentantur. Quamquam ſi rem, uti eſt, dicere velimus, apud *Sulpicium* in vita Sancti *Martini* nulla montis, ſed eremi tantum occurrit mentio. Scribit autem *Sulpicius*, S. Martinum, cum eſſet annorum duodecim puer, adſpiraſſe ad eremum, etſi ob ætatis infirmitatem ad eam non conceſſerit. Quibus ex verbis neutiquam ſequitur, ſanctum hunc Præſulem, dum in Pannonia degeret, montem quempiam ad fundendas preces conſcendere ſolitum fuiſſe. Quid quod idem Sanctus *Martinus*, cum duodennis eſſet, jam non amplius Sabariæ in Pannonia, verum Ticini in Italia agebat. Eo enim puer translatus, ibi altus, & educatus erat uſque ad annum ætatis ſuæ quintumdecimum, quo ad militiam abreptus eſt. Sed ſermonem de rebus beati *Martini*, Sabariæ nati, alteri reſervamus loco. Sequitur deſcriptio itinerum, in quibus fit mentio *Sabariæ*.

CAPUT V.

Veterum Itinera, in quibus ſit mentio Sabariæ, deſcribuntur, & illuſtrantur.

MENSURAS intervallorum, quibus Itinerarium Antonini *Sabariam* ab aliis locis dirimit, ſæpius quidem hactenus, ſed obiter tantum commemoravi: nunc

igitur hoc argumentum majore adparatu pertractabo. Rem autem veteris Geographiæ cultoribus non ingratam fore confido, ſi recenſendo itinera, *Sabariam*, vel *per Sabariam*, vel *a Sabaria* ducta, non hujus tantum civitatis, ſed aliarum etiam omnium, quæ in iisdem itineribus occurrent, *Manſionum* ſitus hodiernos inveſtigavero, ac determinare ſtuduero. Sed prius, quam id adgrediar, neceſſe eſt, ut Lectorem admoneam de modo, ac ratione, qua priſca Romanorum milliaria cum hodiernis germanicis, vulgo Veredariorum, ſeu *poſtalibus*, confero. M. P. I. ſive mille paſſus romanos geometricos æquiparo 777. hexapedis Viennenſibus, neglectis aliis minutiis. In unum milliare germanicum mediæ magnitudinis imputo 3666. hexapedas Viennenſes. Ita fit, ut cum datum numerum milliarium Romanorum ex. gr. M. P. XXX. ſive milliaria vetera 30. per 777. multiplicavi, productumque per 3666. diviſi, ex *Quoto* facile intelligam illa M. P. XXX. æquivalere noſtris 6. milliaribus cum exceſſu 1314. hexapedarum. Hanc reductionis methodum tenui, & experimentis comprobavi in alio opuſculo meo, cui titulus: *In Romanorum iter per Pannoniæ ripam Commentarius geographicus.* Sed viſa eſt Joanni *Severino* hæc methodus paullo artificioſior, quam ut illius uſus aliis perſuaderi poſſit. Quamobrem in ſingulari ſua Diſſertatione, quam *de modo inveniendi ſitus veterum Pannoniæ oppidorum anno* 1781. *Poſonii* edidit, aliam breviorem, facilioremque (de qua multum lætor) invenit, ac propoſuit. Quæ hujusmodi eſt: omittit reductionem tam Romani, quam noſtri milliaris ad hexapedas Viennenſes: ſed ex hypoteſi, quod unum milliare germanicum æquivaleat 4800., vel 4740. paſſibus Romanis, ſuadet, ut per alterutrum horum numerorum data ex Itinerario millia paſſuum dividantur, et ſic numerus milliarium germanicorum iis reſpondens inveniatur. Si quis proinde *Severiniana* potius, quam noſtra methodo explorare velit, an in itineribus, quæ mox deſcribam, veteres menſuras, ad inveniendos locorum ſitus, cum hodiernis rite comparaverim, id per me licebit. Nec enim magnum intercedit diſcrimen inter magnitudines milliarium germanicorum, quas uterque aſſumpſimus. Nam 4740. paſſus Romani efficiunt 3682. hexapedas Viennenſes, adeoque 16. tantum hexapedis plures, quam contineat milliare per me aſſumptum. Ad rem igitur!

Primum iter, quod per *Sabariam* ducit, hujus eſt tituli: *Iter de Pannoniis in Gallias per mediterranea loca: id eſt: a Sirmio per Sopianas Treveros uſque i*). Primum longiſſimi hujus Itineris ſegmentum exponitur hoc modo: A Sirmio Lauriaco M. P. CCCCXXXVII.

Ad noſtrum propoſitum ſpectat ſegmenti hujus pars duntaxat prior, quæ eſt per Pannonias, *a Sirmio* uſque *Vindobonam*, & ſic habet:

SIRMIO	*Ulmos* . . .	M. P.	XXVI.
	Cibalis . . .	M. P.	XXXIIII.
	MURSA . . .	M. P.	XXII.
	Antianis . .	M. P.	XXIIII.
	Sopianis . .	M. P.	XXX.
	Limuſa . . .	M. P.	XXII.
	Silacenis . .	M. P.	XVI.
	Valco . . .	M. P.	XXVIII.
	Mogetiana .	M. P.	XXX.
	SABARIA . .	M. P.	XXXVI.
	Scarabantia .	M. P.	XXXIIII.
	Muteno . .	M. P.	XII.
	VINDOBONA .	M. P.	XXII.

Hæc in unum collecta efficiunt M. P. CCCXXVI., id eſt, noſtra 68. milliaria cum nonnullo exceſſu, qui pro tanto intervallo negligi poteſt. Hæc ergo fuit antiqui *Sirmii* a *Vindobona* diſtantia, itinere per *Sabariam* ſuſcepto.

SIRMIUM, ſplendidiſſima quondam Pannoniæ Saviæ civitas, immo Pannoniarum quondam metropolis, hodie nonniſi in ſuis ruderibus apud *Mitroviczium* Comitatus Sirmienſis oppidum, Savo flumini vicinum, exiſtit; de quo, præeunte Comite Marſilio, plerisque jam convenit *k*). In Notitia Imperii Occidentis vocatur *Flavia Auguſta Sirmium*: *Coloniam* fuiſſe conſtat ex Lapide Romano apud Marſilium T. II. Danubii Pannonico-Mœſici p. 105. *Flavia Sirmium* eſt etiam in Gudii lapide p. 146. n. 6. A *Sirmio* uſque *Murſam* colliguntur M. P. LXXII. ſive noſtra 15. milliaria, quantum nempe a *Mitroviczio* uſque *Eſzekinum* numeratur. Quodſi a *Murſa* progrediaris *Sabariam*, & hinc *Vindobonam*; reperies ibi M. P. CLXXXVI. confici, hic vero M. P. LXVIII. quorum prior numerus milliarium Romanorum æquivalet noſtris 39. poſterior autem noſtris 14. milliaribus, totidem nempe, quot veredarii *Eſzekino* uſque *Sabariam hodiernam*, ſeu ad *Stein am Anger*, & hinc *Viennam*, per viam hodierni curſus publici computare ſolent. Id cum ita ſe habeat, neceſſe eſt, ut antiqua *Sabaria* in ſitu *hodiernæ* fuerit, ſimulque, ut aliæ intermediæ itineris hujus manſiones in eadem, qua hodie veredarii commeant, via extiterint, aut certe ab hac non longe ab-

i) Itinerar. Anton. cur. Weſſeling. p. p. 231. ſeq.

k) Hunc ſitum noviſſime firmis argumentis ſtabilivit RR. *Salagius* lib. III de ſtatu Eccl. Pann. p. 232. ſeqq.

fuerint. Hac igitur obſervatione præmiſſa, jam ſingularum manſionum ſitum inveſtigare libet.

Situm antiqui *Sirmii*, & conditionem jam indicavi. *Ulmos* autem Itinerarium Antonini ſejungit a Sirmio *Millibus Paſſ.* XXVI. non ſolum in iſto, verum etiam in tribus aliis itineribus, nempe p. 131. 261. & 268. deſcriptis. Hæc M. P. XXVI. noſtris $5\frac{1}{2}$ milliaribus reſpondent. Ubi igitur hæc deſinunt, ibi circiter vicum *Ulmos* ſtetiſſe, non temere arbitraberis. *Simlerus* hodie *Iltz* dici ſcribit *l*) Sed hujus nominis locum vix in tota Sirmienſi provincia reperies. Inter *Sirmium*, & *Ulmos* erant vici duo, *Budalia* nempe, & *Spaneta*. Ac Itinerarium quidem Antonini pag. 131. *Ulmos* habet pro *vico*, ſed in Hieroſolymitano *Ulmus* eſt *Manſio*: *Spaneta* vero ſolummodo *Mutatio*, uti & *Vedulia*, quæ ibidem corrupte pro *Budalia*, vel *Bubalia* ſcribitur. *Ammianus* meminit publicæ cujusdam *villæ Piſtrenſis*, viceſimo ſexto lapide a *Sirmio* diſtantis, & quidem, uti apparet, *Murſam* verſus: unde non inveriſimilis eſt conjectura *Severini*, hanc villam apud *Ulmos* ſtetiſſe.

Poſt *Ulmos* veniunt *Cibalæ* Millib. Paſſ. XXIIII., ſeu 5. noſtratibus. In hoc ſitu hodie occurrit *Vincoviczium* oppidum, cui non deſunt veſtigia municipii Romani. Habet hic locus etiam alia criteria, quæ *Zoſimus* pro ſitu *Cibalenſi* ſuppeditat. Videlicet pars oppidi in colle eſt; imminet palus; montes in propinquo ſunt. Aperta *Mitrovicium*, ſeu *Sirmium* verſus planicies, quam interſecant fluvii. Addo Inſcriptionem *Vinkoviczii* effoſſam: AEMILIANVS DEC. MVN. CIB. FEC. id eſt: *Decurio Municipii Cibalenſis Fecit m*).

Murſa M. P. XXII. inde ſcilicet a *Cibalis*, id eſt, noſtris ferme 5. milliaribus a Vinkoviczio. *Murſæ* nomine omnibus jam hodie *Eſzekinum* intelligitur, munita in Dravi ripa civitas. Abundat monumentis Romanis. Coloniam eo deduci juſſit *Aelius Adrianus* Auguſtus. Qua de re Stephani Byzantini teſtimonium auctoritate Romani lapidis firmatum reperies apud *Cl. Ludovicum Mitterpacher*, in Itinere per Poſeganam Sclavoniæ provinciam *pag.* 19. Mercatu *Murſam* floruiſſe prodit ſequens Inſcriptio, anno 1782. Eſzekini eruta:

C. AEMILIVS C. F. SERG. HOMVLINVS
DEC. COL. MVRS. OB HONOREM
FLAMINATVS TABERNAS L. CVM
PORTICIBVS DVPLICIBVS IL. QVIB.
MERCATVS AGERETVR PECV-
NIA SVA FECIT.

---

l) Apud Veſſelingium in Not. ad Itin. Ant. p. 232.

m) Apud Salagium lib. III. de ſtatu Eccl. Pan icr. p. 155.

Antiana, nunc *Baranyavár*, pagus Eſzekino fere quinque milliaribus diſſitus, tametſi in tabella curſus publici tantum quatuor numerentur. Favent huic ſententiæ adſcripta *Antianis* M. P. XXIII. id eſt, noſtra circiter 5. & quod in hoc loco via publici curſus *Vindobonam* tendens in duas ſcinditur, quarum altera per Danubii ripam, altera per mediterranea Pannoniæ loca ducit. Idem enim erat & *Antianis* ſitus, uti conferenti ex Itinerario Antonini hoc, & aliud *pag.* 243. deſcriptum itineris ſegmentum, dubium eſſe nequit. Nec deſunt pago *Baranyavár* tantæ antiquitatis veſtigia. Ipſum hoc nomen innuit vetus quodpiam caſtrum iſthic ſtetiſſe, cujus nonnulla indicia ad præterfluentem *Caraſſum* hodieque obſervari poſſe, teſtatur RR. *Salagius n*).

Sopianas Millib. Paſſ. XXX. ſive ſex noſtris milliaribus, ab *Antianis* removet Itinerarium. Tantundem vero per viam publici curſus eſt a pago *Baranyavár* uſque *Quinque-Eccleſias*. Hæc ergo civitas pro *Sopianis* habenda eſt: præcipue, cum ex monumentis, etiam iſthic erui ſolitis, conſtet, hunc locum a Romanis quondam habitatum fuiſſe. *Sopianas* oppidum vocat *Ammianus*, & ad Pannoniam *Valeriam* ſuo tempore ſpectaſſe innuit *o*). Plura de Sopianis vide apud *Salagium* paullo ante laudatum *p*).

Sequuntur *Limuſa*, *Silacenæ*, *Valcum*: incerti omnia ſitus, & obſcuri nominis loca. Sequendo tamen viam publici curſus a Quinque Eccleſiis Vindobonam verſus, altera ſtatio eſt *Magnum Szigethum (Nagy-Szigeth)* noſtris quatuor, ſed utcunque magnis milliaribus, diſtans a Quinque Eccleſiis. Cum ergo *Limuſæ* a Sopianis diſtantiam exprimant M. P. XXII. quæ noſtris quatuor milliaribus non multo plus efficiunt, opinio mea eſt, *Limuſam* apud oppidum, arcemve *Szigethum* extitiſſe. Eſt hic locus ad *Almaſum* fluvium, in paludoſo, *limoſo*que agro ſitus: unde fors & *Limuſæ* nominis repetenda eſt origo. Porro ex ductu itineris, & ex vicinia *Sopianarum* ſat clare patet, quanto errore nonnulli Scriptores *Limuſam* oppido *Moſonio*, ſupra Jaurinum ſito, attribuant *q*).

Silacenæ Millib. Paſſ. XVI. id eſt, noſtris 3¼ circiter a *Limuſa* recedunt, hoc intervallo hodie proficiſcenti e *Szigetho* per viam publici curſus nullus pagus, nullum oppidum occurrit. Proxima enim *Szigetho* Statio eſt *Iſtvandi*, binis tantum milliaribus remota. Hinc autem uſque *Babocſam* tria milliaria numerantur: itaque pagus *Iſtvandi* eſt *Limuſæ*, apud Szigethum poſitæ, propior, *Babocſa* vero remotior, quam ut alteruter hic locus pro *Silacenis* haberi poſſit. Unde *Silacenas* medio quodam inter pagum *Iſtvandi*, & *Babocſam* loco ſtetiſſe apparet.

---

n) Lib. IV. de ſtatu Eccl. Pannoniæ p. 278.

o) Lib. 28. cap. 1.

p) L. ſupr. cit.

q) In hoc errore verſantur *Lazius*, & qui hunc exſcripſit Chorographus celebrium Hungariæ urbium.

Notat *Weſſelingius*, hanc manſionem in compluribus tam manuſcriptis, quam impreſſis Itinerarii exemplaribus vocari *Silicenis r*). Fors loco nomen hoc inditum a *Silicum*, quibus abundaverit, copia. Simlerus *Silicenas* interpretatur *Zebd*, & *Valcum Voltz s*); quæ aut conficta, aut non rite deſcripta eſſe videntur locorum nomina.

Valcum Millib. Paſſ. XXVIII. id eſt, prope ſex noſtris milliaribus diſtat a *Silicenis*. Hoc intervallo tametſi via ordinaria per *Breznicezam*, & *Iharos* non perveniatur uſque *Caniſam* ex loco illo, quem *Silicenis* adſignavimus (Nam a Babocſa uſque Caniſam numerantur 7. milliaria) ſuſpicor tamen *Valcum* in ſitu hodiernæ *Caniſæ* (*Nagy-Kaniſa*) fuiſſe; adeoque a *Silicenis*, aut forte jam a *Limuſa* iter Antonini rectiore, ac breviore quadam via, quam ſit hodierna, ad *Valcum* duxiſſe. Auctor quidem Topographiæ Regni Hungariæ *Caniſam* pro *Caroduno* habet: ſed hoc eſſe nequit; quoniam Ptolemæus *Carodunum* prope Muræ in Dravum influentis oſtium, adeoque in ſitu *Legradini* deſcribit.

Mogetiana Mill. Paſſ. XXX. ſive noſtris 6. milliaribus, ac nonnihil amplius a *Valco* abeſt. Hodie a *Caniſa*, cui *Valcum* tribuimus, itinere Vindobonenſi totidem milliaria numerantur uſque *Saladinum*, aliter *Szala - Egerſzegh* dictum. Hoc igitur oppidum mihi vetus *Mogetiana*, ſive, ut in Cuſani Schedis ſcribitur, *Mogentiana* eſt. Adjacet fluvio *Salæ*, qui huc in ortum fertur, & præterfluens caſtrum *Szalavár* in Balatonem lacum ſe ſe effundit. *Mogentianam* in Municipiorum numero fuiſſe memini a me lectum in quodam lapide Pannonico. Sunt, qui civitatem *Salam*, a Ptolemæo in Pannonia Superiore deſcriptam, iſthic ſtetiſſe volunt. Sed alium *Salæ* ſitum ex alio itinere oſtendemus.

SABARIA Millib. Paſſ. XXXVI. id eſt, noſtris 7½ milliaribus a *Mogentiana* ſeparatur. Notat *Weſſelingius*, in Blandiano Itinerarii Manuſcripto eſſe tantum M. P. XXXII. quæ proxime æquant noſtra 7. milliaria. Hoc ſincerius, minusque corruptum eſſe videtur. Nam, ſi conſulas Summam totius intervalli a *Sirmio* per *Sopianas*, & *Sabariam* uſque *Laureacum* in præſenti itinere præfixam, reperies eſſe M. P. CCCCXXXVII. At ſi valeat numerus XXXVII., a *Weſſelingio* ex codice Regio Pariſino, & Neapolitano *Sabariæ* adpoſitus, jam additione omnium numerorum, qui inter Sirmium, & Laureacum occurrunt, emerget major ſumma, videlicet M. P. CCCCXLII. Verum eſto numerus Veſſelingianus retineatur, uti nos quoque retinemus, non adeo tamen magna eſt in menſuris differentia, ut propterea vel *Mogentianam* Saladino, vel *Sabariam veterem* hodiernæ, *Stein am Anger* dictæ, eripere oporteat; cum tot alia ſint, quæ hunc *Sabariæ* ſitum manifeſto confirmant, jam præcedentibus Capitibus a nobis commemorata. Quid quod alioquin nullum alium locum mihi dabis,

---

r) Itiner. Ant. p. 232.

s) Ibidem.

hactenus a nonnullis pro veteri *Sabaria* obtruſum, qui menſuris intervallorum in hoc itinere adſcriptis accuratius reſpondeat? non profecto *Græcium*, non *Sárvár*, non *Sacrum Pannoniæ Montem*, aut pagum quempiam huic monti vicinum. Monumenta Romana, in *Stein am Anger* reperta, & Lapides *Coloniæ Claudiæ Savariæ* nomine conſpicuos, capite ſequente referemus.

Scarabantia, ſive, ut Lapides Romani habent, *Scarbantia* in hoc itinere occurrit medio quodam *Sabariam* inter ac *Vindobonam* loco. Sunt enim utrinque M. P. XXXIIII. id eſt, noſtra ſeptem quam proxime. Haud recte igitur *Lazius*, *Simlerus*, *Cluverius*, nonnullique alii *Scarbantiam* interpretantur hodiernum *Schapring*, Hungaris *Cſepreg* oppidum. Iſtud enim a *Sabaria* ſolummodo tribus circiter, a *Vindobona* vero facile undecim milliaribus diſtat, ideoque medium quaſi inter has duas civitates locum minime tenet. Immo eſt extra viam quoque publici curſus, a *Sabaria Vindobonam* tendentis. Tranſit autem hæc via per *Sopronium*, germanis *Oedenburg*: quo etſi a *Sabaria* ſex tantum milliaria, a Vindobona autem octo hodie numerari ſoleant, ex dimenſionibus tamen per Chriſtophorum *Jordan* inſtitutis certum eſt, ſex illa ferme iſtis octo paria eſſe, adeoque civitatem *Sopronium* pro *Scarbantia* tuto accipi poſſe *t*). Confirmant hanc ſententiam monumenta Romana, quæ *Sopronii* erui ſolent, quorumque nonnulla *Lazius*, & *Marſilius* edidere *u*). Conjecturæ Cuſpiniani, qui *Sopronium* ſub *Honorio* Auguſto ſurrexiſſe, & in hujus memoriam a Germanis *Ehrenburgum* vocatum fuiſſe autumat, nihil deferendum eſt. Teutonicum enim *Sopronio* nomen nunquam *Ehrenburg*, verum *Oedenburg* fuit, quod hodieque manet, atque oppidum in *Deſertis* poſitum ſignificat: id quod *Scarbantiæ*, quam Plinius in *Bojorum Deſertis* locat, optime convenit. Porro *Sopronii* nomen, ſub Hungaris duntaxat enatum, poſteriores quidam ſcioli in *Sempronium* depravarunt, urbisque originem continuo alii ad quemdam *Cajum Sempronium Secundinum*, Norici, uti volunt, & Pannoniæ Superioris Præſidem; alii ad *Sempronium Tuditanum*, Iſtrorum, & Pannoniorum, veluti fabulantur, domitorem, atque coloniæ Romanæ huc deductæ auctorem; immo quidam ad *Apronianum*, ſub Valentiniano Pannoniæ primæ Præfectum, retulerunt *u*). Quæ meræ nugæ ſunt, & inanes in verbis luſus. Veriora quippe nos edocet Inſcriptio Lapidis, quæ, ut ſupra dictum eſt, *Scarbantiam* vocat *Municipium Flavium Auguſtum*, non vero coloniam aut *Sempronianam*, aut *Apronianam*.

Mutenum hoc itineris ductu Millib. Paſſ. XII., quæ noſtra 2½ circiter milliaria efficiunt, a *Scarabantia* ſegregatur. Hinc apparet, ſitum fuiſſe inter *Groſshöfflein*, & *Wimpaſſing*, circa vicum *Miledorf*, uti exiſtimat Jordan *x*).

t) P. III. Adpar. Geogr. p. 106.
u) Vid. Diſſ. de Colon. Rom. in Pann. p. 82. ſeq.
x) L. ſupr. cit. p. 115.

Non

Non recte itaque *Cluverius*, & *Cellarius* nomine *Muteni* intelligunt hodiernum *Moſonium*, germ. *Wiſelburg*, quod prope Danubium eſt, magisque convenit civitati *Flexo*, cujus *Ptolemæus* in Pannonia ſuperiore infra Carnuntum, & Itinerarium Antonini in itinere, ab Arrabona Carnuntum deſcripto, meminere.

Vindobona Millib. paſſ. XII., ſeu noſtris ferme quinque milliaribus ſejuncta, hodie, ut omnibus notum eſt, *Vienna* nuncupatur. Sub Romanis in ordine *Municipiorum* illam fuiſſe, conſtat ex Inſcriptionibus a Lambecio vulgatis. Plinius aliter *Juliam* vocat, Ptolemæus *Juliobonam*, ſed primigenio nomine *Vinda* erat, inde uſitatior poſtmodum appellatio *Vindobonæ*, uti jam alibi diximus.

Itineris hujus, in quod modo commentati ſumus, a *Sirmio* uſque *Vindobonam* deſcripti, ſegmentum unum, quod eſt *a Sabaria Vindobonam*, extat in Itinerario Antonini etiam ſeorſim expreſſum, nempe p. 266. ſed hoc modo:

A SABARIA VINDOBONA M. P. LXXXVIII. *ſic*:

Scarabantia . .	M. P. XXXIIII.
Muteno	M. P. XVIII.
Vindobona . . .	M. P. XXXVI.

En manſiones easdem, ſed cum numeris intervallorum, quanto majoribus, quam antea! Unicus numerus M. P. XXXIIII., qui *Scarabantiæ* a *Sabaria* diſtantiam notat, invariatus manet: & *Muteni* a *Scarabantia*, & *Vindobona* a *Muteno* diſtantia longe aliis modo numeris deſignatur. Quænam hujus diſcriminis ratio putanda eſt? ſilet *Weſſelingius*, atque ſolum ex *Hieronymo Surita* notat, *has quatuor manſiones ordine eodem p.* 233. *a Sirmio Lauriacum diverſis numeris interjici y*). *Jordan* vero arbitratur, inter *Scarabantiam*, & *Vindobonam* duas fuiſſe diverſas Manſiones, quibus commune *Muteni* nomen erat, ſcilicet unam circa *Miledorf*, alteram in vico *Dundelskirchen* ad lacum *Peiſonem*. In priore itaque itinere viam breviorem per *Mutenum* in *Miledorf* ſitum deſcribi, in hoc autem a *Scarabantia Vindobonam* circuitum fieri per aliud *Mutenum* in *Dundelskirchen* poſitum, exiſtimat *z*). Et vero niſi hæc aut ſimilis interpretatio admittatur, neceſſe erit, ut numeros culpa Librariorum corruptos cogitemus. Cæterum inter *Scarabantiam*, & *Vindobonam* reapſe non unam, ſed plures fuiſſe vias publicas, ac militares, easque a recto itinere multum deflectentes, oſtendit ſequens iter, ex eodem Antonini Itinerario excerptum *a*), quod hujusmodi eſt:

y) Pag. 261.
z) Jordan. l. ſupr. cit. P. III p. 103.
a) Pag. 361.

ITER A VINDOBONA POETOVIONE M. P. CLXXXIV. *ſic:*

Aquis . . .	M. P. XXVIII.
Scarabantia .	M. P. XXXI.
Sabaria . . .	M. P. XXXIIII.
Arrabone . .	M. P. XX.
Alicano . . .	M. P. XL.
In medio Curta.	
Pœtovione . .	M. P. XXXI.

En circuitum viæ militaris a *Vindobòna Scarabantiam* per Manſionem *Aquis* dictam Millib. paſſ. LIX. quæ faciunt noſtra 12. milliaria, & aliquanto amplius. Cluverius nomine *Aquarum* iſthic intelligit *Badenas*, oppidum Auſtriæ, ab *Aquis calidis* celebre. Conſentit *Weſſelingius*; ſed cum *Badenæ* fere non plus quam XVIII. Millib. paſſ. ſive noſtris quatuor circiter milliaribus a Vindobona removeantur, exiſtimat, ſcriptionis vitio huic numero unum X. acceſſiſſe *b*). In eandem abit ſententiam *Jordan*, qui tamen ſimul addit, illa M. P. XXXI. quæ hic ab *Aquis Scarabantiam* numerantur, ſat apte congruere *Badenarum* a *Sopronio* diſtantiæ *c*) At numerus M. P. XXXIIII., qui in prioribus duobus itineribus notabat *Scarabantiæ* a *Sabaria* diſtantiam, in iſto quoque itinere nihil variat, ac proinde nihil eſt, quod adverſum ſitus utriusque hujus civitatis jam ſtabilitos faciat.

Nunc quænam difficultates in determinando reliquarum hujus itineris Manſionum ſitu occurrant, videamus. A *Sabaria Pœtovionem* continuandum eſt iter: ſed an ubivis per hodiernam viam publici curſus, neceſſe eſt, ut antea exploremus. Numeri Manſionibus inter *Sabariam*, & *Pœtovionem* adpoſiti, ſi colligantur in unum, efficiunt M. P. XCI., id eſt, noſtra 19. milliaria, & fere dimidium: jam vero in tabella hodierni curſus publici ab hodierna *Sabaria* uſque *Pœtovionem*, quæ civitas nunc *Petovium*, germ. *Petau* vocatur, non plura quam ſeptendecim milliaria numerantur per ſequentes ſtationes: *Sabaria* uſque *Körmendinum* 3. hinc ad *Levö* 2. hinc *Bacſam* 2. hinc ad inferiorem *Lendvam* 2. hinc *Cſakatornyam* 2. hinc *Varasdinum* 2. hinc ad *Sauritſch* 2. hinc *Petovium* 2. Summa efficit 17. milliaria. Cum ergo hæc via brevior ſit, neceſſe eſt, ut altera illa quibusdam in locis ab hac deflexerit.

Jordan arbitratur viam Itinerarii Antonini mox a *Körmendino* deflexiſſe verſus oppidum S. *Gothardi*, & hinc per *Racospurgum* duxiſſe *Petovium d*). Cui

b) Ibid. in Not.

c) Loco cit.

d) Loco cit. p. 103.

opinioni non invitus accedo. Hac igitur via inveſtigabimus *Manſiones* **poſt** *Sabariam* occurrentes.

Arrabone Manſio millib. paſſ. XX., ſeu noſtris 4. milliaribus, & nonnihil amplius, removetur a *Sabaria.* Hanc manſionem non eſſe confundendam cum civitate *Arrabona*, in ſitu hodierni *Jaurini* quondam poſita, admonet ipſe ductus præſentis itineris, & intervallum *Millib. paſſ. XX.* definitum, quo a *Sabaria* diſtat. Proxima nunc *Sabariæ* ſtatio eunti *Petovium* occurrit *Körmendinum*, fluvio *Arraboni* adſitum. Veredarii uſque huc nonniſi tria milliaria numerant. Hæc noſtro calculo valerent antiqua *M. P. XIV.* tantum, ſi nempe ſingula eſſent, uti alias adſumpſimus, 3666. hexapedarum Viennenſium. Verum *Jordan* viam publicam a *Sabaria* uſque *Körmendinum* dimenſus teſtatur longam eſſe 15150. hexaped. *e*) quæ proinde longitudo quatuor milliaria noſtra non tantum æquat, verum etiam aliquantum ſuperat, adeoque æquivalet *Millib. paſſ. XX.* Manſionem itaque *Arrabone* dictam in ſitu hodierni oppidi *Körmend* ſtetiſſe admodum probabile eſt. Quod *Jordan* de mutato iſthic *Arrabonis* antiquo alveo, ac tranſitu vetere *Arrabonis* media velut hora infra *Körmend*, inter vicos *Németfalu*, & *Monar - Szecsüd*, ſcribit; mera conjectura eſt, nullo ſat antiquo documento firmata.

Alicanum Millib. p. XL., id eſt, noſtris milliaribus octo, ac fere dimidio diſtans ab *Arrabonis* Manſione, ſive ab hodierno *Körmendino*, non aliud eſt veriſimilius, ac *Racospurgum*, aliter *Rackerspurgum. Cluverius Rackelspurgum* vocat, cenſetque in Itinerario Antonini *Raclitanum* pro *Alicano* reſcribendum eſſe, idque eo magis, quod nonnulla hujus Itinerarii exemplaria eundem locum vocent Hilicanum, alia vero *Haclicanum.* Verum conjecturam hanc nullius eſſe momenti colligo e Scriptoribus medii ævi, qui hoc oppidum non *Rakelſpurgum*, immo nec *Rakerspurgum*, ſed potius *Ratgerspurgum*, id eſt, *Ratgeri burgum* adpellant *f*). Inſcriptiones Romanas iſthic repertas vulgavit Lazius lib. XII. de Repub. Rom.

In medio Curta, *Pœtovione* M. P. XXXI. Hæc millia paſſuum, quæ noſtra 6. milliaria, ac fere dimidium efficiunt, non *Curtæ*, ſed præcedentis *Alicani* a *Pœtovione* diſtantiam, itinere per *Curtam* ſuſcepto, indicant. Jordan hanc Itinerarii phraſin; *in medio Curta*; hunc in modum explicat: „ Romana, inquit, „ Itineraria ſolent ea loca in medio vocare, quæ non in ipſa via, ſed haud „ procul ex parte jacent: itaque non acceduntur, ſed prætervehuntur: unde

e) Ibid

f) Vid. vetus Rationarium Styriæ, per Helwicum Thuringum, Ottocari Regis Bohemiæ, Duciſque Auſtriæ & Styriæ, & Marchionis Moraviæ Notarium, conſcriptum: in quo diſerte *Ratgerspurg* pro *Rackerspurg.* Extat illud in Cæſ. Bibl. Vindob. & recenſetur a Lambecio lib. II. ejusd. Biblioth. cap. 4. editionis primæ.

„ *Curta* viciniæ *Tſakaturni*, & planiciei ibidem fertili conveniret „ *g*). Ipſe vero ſic exiſtimo: quoniam inter *Alicanum*, & *Pœtovionem* longe major diſtantia ponitur, quam ſit inter *Racoſpurgum*, & *Petovium*, idcirco viam Romanam militarem, quæ in præſenti itinere deſcribitur, non recta, ſed circuitu per *Curtam* facto, duxiſſe. Scriptum vero eſt: *Curta in medio*: tum, ut hanc mediterraneam *Curtam* ab altera, quam Ptolemæus in ripa Danubii primam inter civitates Pannoniæ inferioris recenſet, diſcernas; tum vero ut eandem in medio duorum fluviorum *Muræ* nimirum, ac *Dravi* ſtetiſſe intelligas. Cum nullus intervalli numerus *Curtæ* adponatur, difficile eſt conjectare, cuinam ex hodiernis in ea regione oppidis, aut pagis tribuenda ſit. Interea *Luetenbergam* pro *Curta* ſumere liceat. Veterem *Pœtovionem* ab hodierno *Petovio* ſitu non differre, omnibus certum eſt. Eſt hæc civitas in finibus Styriæ, & Croatiæ, ſeu veteris Norici, & Pannoniæ: hinc, licet ad Styriam hodie pertineat, antiquis tamen temporibus modo Pannoniæ, modo Norici urbibus adſcribebatur. *Flavianarum partium Duces*, inquit Tacitus *h*), *Petovionem in hiberna Tertiæ decimæ legionis convenerant: illic agitavere, placeretne obſtrui Pannoniæ Alpes, donec a tergo vires univerſæ conſurgerent; an ire cominus, & certare pro Italia conſtantius foret.* Eadem urbs Ptolemæo *Petovium* dicitur, locaturque inter civitates Pannoniæ ſuperioris. At Ammianus Marcellinus *Petobionem* vocat *oppidum Noricorum*, refertque eo veniſſe Conſtantium Auguſtum ad comprehendendum Gallum Cæſarem *i*). Mentio ibidem fit Palatii extra muros *Petovionis* poſiti; unde priſcam hujus urbis celebritatem conjicere poſſis. Hæc de itinere a Vindobona *Sabariam*, & hinc *Pœtovionem*. Extat vero etiam alterius itineris a *Pœtovione Sabariam*, & hinc uſque *Carnuntum* deſcriptio. En illud rurſus ex Antonini Itinerario pag. 262.

ITER A POETOVIONE CARNUNTO M. P. CLXXIIII. *ſic*:

Halicano . . .	M. P. XXXI.
Salle	M. P. XXX.
Sabaria	M. P. XXXI.
Scarabantia . .	M. P XXXIIII.
Carnunto . . .	M. P. XXXVIII.

Inter *Pœtovionem*, & *Halicanum* nulla hic quidem mentio eſt *Curtæ*, per hanc tamen manſionem rurſus viam deſcribi, apparet ex eadem *Halicani* a *Petovione* diſtantia, nempe M. P. XXXI. At vero inter *Halicanum*, & *Sabariam*

g) Lib. ſup. cit. P. II. p. 113.
h) Hiſt. lib. III. cap. 1.
i) Hiſt. lib. XIV. cap. XI.

non manſio *Arrabone*, ut in præcedenti itinere, ſed *Salle* nominatur, ab *Halicano*, ſive *Racoſpurgo* diſtans M. P. XXX. a *Sabaria* autem M. P. XXXI., adeoque medio quaſi utrinque loco.

Salle Itinerarii coruptum nomen eſt pro *Sala*, quæ ſecundum Ptolemæum fuit civitas Pannoniæ Superioris, enumerata cum *Petovio*, & *Savaria*. Hodie pagus illic eſt, *Szala feje* Hungaris dictus, id eſt *Salæ* caput; ad fontes enim fluvii *Salæ* jacet, æquo ferme intervallo inter *Racoſpurpum*, & *Sabariam*. Meminerunt hujus loci Annales Hungarorum, primum in rebus *Andreæ I.* Regis in hæc verba: *Sequenti vero anno Cæſar* (Henricus III.) *cum magna multitudine bellatorum venit in Hungariam juxta fontes rivorum Zalæ & Zalicæ k*). Rurſusque in rebus Salomonis: *Porro eo tempore Rex natalem celebravit in loco, qui dicitur geminum caſtellum; deinde venit Zalam, ubi Marchart Dux Theutonicorum, & Wid inſtigarunt Regem, ut Ducem debellaret l*).

Sabaria. Ad hoc nomen in præſenti itinere notat *Weſſelingius*, in MSS. eſſe corrupte *Savavia*; in aliis *Sattaria*, in nonnullis *Sauciva*, quin & *Savaivia*: corrigi vero poſſe ex Ravennate, apud quem lib. 4. cap. 19. legitur: *Salla, Aravona, Savaria.*

Scarabantia rurſus cum M. P. XXXIIII. inde a *Sabaria*. Nihil ergo dubitandum de Soproníenſi *Scarabantiæ* ſitu.

Carnunto diſtabat *Scarabantia* Millib. paſſ. XXXVIII., id eſt, noſtris octo milliaribus. Tantumdem vero diſtat & *Sopronium* a *vico Petronellæ*, ubi luculenta *Carnunti* rudera etiamnum reperiuntur. Hunc ſitum *Carnunti* pluribus argumentis occaſione alterius *Itineris per Pannoniæ ripam*, ex Itinerario Antonini excerpti, & illuſtrati comprobavimus. Porro inter Scarabantiam, & Carnuntum interceſſiſſe Manſionem *Ulmum* ex Tabula Peutingeriana, aliter Theodoſiana dicta, diſcimus, ubi a Pœtovione *Sabariam*, ex hac vero Carnuntum, ſic deſcribitur iter:

---

k) Joann. de Thurocz P. II. Chron. cap. 43. Opinatur Cl. *Katona* T. II. hiſt. Reg. Hung. p. 56. *Zelicam* olim dictum eſſe fluvium, qui nunc *Leitha* vocatur, & ab eo *Kismartonium* accepiſſe nomen Slavicum *Zelezne Meſto*, quod *Ferream Civitatem* ſignificat, perinde, ac in germanico *Eiſenſtadt*. Sed conjectura hæc nequit admitti; *primo*: quia fons fluvii *Leithæ* procul diſtat a fonte fluvii *Salæ*, cum tamen e ſupra laudatis Chronici verbis conſtet, fontes rivorum *Zalæ*, & *Zelicæ* fuiſſe vicinos. *Secundo*: quia *Zelica* idem plane rivus eſt, qui aliter *Zelyz* vocabatur, nomenque dedit loco *Zelyzio*, in quo *Atha* Palatinus Monaſterium, & Abbatiam in honorem S. *Jacobi* fundavit, & quæ nunc vocatur *Abbatia S. Jacobi de Siliſio*, eſtque in Comitatu *Saladienſi*, non autem in *Sopronienſi*. ubi *Kismartonium*.

l) P. II. Chron. Thurocz. cap. 52.

Patavione *ad Viceſimum*	. .	XX. intellige M. P.
Arrabone	. . .	XLIII.
Sabarie	. . .	XX.
Scarabantio	. .	XXXIII.
Ulmo	. . . .	XXV.
Carnunto	. .	XIII.

Via hujus itineris *Petovio* uſque *Sabariam* congruit viæ hodierni curſus publici. Diſtantia enim harum duarum civitatum efficit M. P. LXXXIII., quæ valent noſtra 17., immo prope 18. milliaria, quot reipſa conficiuntur, ſi *Petovio* per *Varasdinum*, ac per ſtationes reliquas, jam ſupra deſcriptas, ad hodiernam *Sabariam* deveharis, tametſi in Tabella Veredariorum tantum 17. numerentur. Diſcriminis enim ratio eſt, quod inter *Körmendinum*, & *Sabariam*, etſi facile quatuor ſint mediæ magnitudinis milliaria, nihilominus pro tribus tantum adſumantur, uti jam alias monui.

Nova autem in hoc itinere ſe nobis offert Manſio, vel Mutatio. Ad *Viceſimum* dicta, quod nempe *viceſimo lapide*, ſive Millib. paſſ. XX. a *Petovione* civitate fuerit disjuncta. Hoc intervallum reſpondet noſtris 4. milliaribus modico cum exceſſu. Hæc ipſa vero eſt *Varasdini* a *Petovio* per viam publibi curſus in hanc partem, qua *Sabariam* commeatur, diſtantia. *Varasdinum* ergo fuit locus ad *Viceſimum* dictus, vel certe proxima hujus civitatis villa, in qua ſunt thermæ, ævo Conſtantini Magni *Aquarum Jaſarum* nomine celebres, quarum memoriam conſervat etiamnum Epigraphe Lapidis Romani, *Capite I. hujus Libri* deſcripta. Idem locus aliter, & *Aqua Viva* fuit adpellatus, uti colligo ex alio itinere, *pag.* 130. Itinerarii Antonini relato, in quo proxima infra *Patavionem* Manſio vocatur *Aqua viva*, perinde cum diſtantia M. P. XX.

Sequitur Manſio *Arrabone* Millib. paſſ. XLIII., id eſt, 9. noſtris milliaribus a Manſione *ad Viceſimum* diſſita. Totidem hodie numerant Veredarii a *Varasdino* uſque *Körmendinum* per ſtationes *Cſakatornyam*, *Lendvam inferiorem*, *Bacſum*, & *Lövö*. Nihil ergo ambigendum eſt, quin ut Itinerarii Antonini, ſic & Tabulæ Theodoſianæ Manſio *Arrabone*, a tranſitu per fluvium *Arrabonem* dicta, *Körmendino* congruat.

Sabaria rurſus hic inter *Arrabonem*, & *Scarabantiam* eſt, uti in alio itinere ſupra deſcripto. Nec numeri magnopere variant, nam quod *Scarabantio* (rectius *Scarabantiæ*) mille paſſibus minus iſthic adſcriptum ſit, tantilla differentia *Scarabantino* apud *Sopronium* ſitui nihil officit.

Inter *Scarabantiam*, & *Carnuntum* Tabula nominat *Ulmum*, inde XXV. hinc vero XIII. millib. paſſ. diſtantem manſionem. Fuerunt ergo in Pannoniis binæ manſiones, commune *Ulmi* nomen habentes: una videlicet in Pannonia inferiore inter *Sirmium* & *Cibalas*, uti ſupra vidimus; altera vero in Pannonia ſu-

periore, *Carnunto*, quam *Scarabantiæ* vicinior. Poſterioris hujus *Vlmi* veſtigia *Cluverius* arbitratur extare in pago *Ilmiz*, ad lacum Niſiderienſem poſito. Sed vereor, ne huic ſententiæ ſola nominum ſimilitudo, quæ perſæpe fallit, patrocinetur. Certe ſpectatis ejusdem *Ulmi* tam a *Scarabantia* (*Sopronio*) quam a *Carnunto* (*Petronellæ* vico) intervallis, veriſimilius eſt, Manſionem iſtam oppido *Prugæ* (*Bruck an der Leitha*) convenire. Favent noſtræ opinioni monumenta Romana, quæ iſthic eruuntur, a *Lazio* deſcripta, & erronee ad aliam manſionem, *Quadrata* nuncupatam, relata *m*). Profecto *Quodratis* hic locus adſignari nequit, cum certum ſit ex Itinerario Antonini, *Quadrata* inter *Arrabonam*, & *Flexum*, id eſt, prope, vel in ipſo vico *Ötevény* (*Hochſtraſs*) extitiſſe. Hæc ad iter Tabulæ.

Superſunt in Itinerario Antonini duæ adhuc viæ, quarum caput eſt *Sabaria*. Ambæ tendunt ad ripam Danubii, in qua legiones Romanæ hybernabant; & altera quidem *Bregetionem*, ubi Prætorium erat Legionis I. Adjutricis: altera *Acincum*, ad Prætorium Legionis II. itidem Adjutricis, Piæ, Fidelis. Quænam igitur utrobique manſiones, & quo ſitu hodierno, percurrendæ fuerint, exploremus. Prior via militaris *pag.* 262. hunc in modum deſcribitur.

A SABARIA BREGETIONE M. P. CII. *ſic*:

Baſſiana	. .	M. P. XVIII.
Murſella	. .	M. P. XXXIIII.
Arrabona	. .	M. P. XX.
Bregetione	. .	M. P. XXX.

In hoc itinere *Baſſiana* tantum, & *Murſella* ſunt, de quarum ſitu ambigitur. *Sabariam* enim hodieque nomen retinere, jam ſatis ſuperque probatum eſt; *Arrabonam* vero eſſe hodiernum *Jaurinum*, & *Bregetionem* in pago *Szöny* prope *Comaromium* ſtetiſſe, alias demonſtravimus, Commentario videlicet geographico in Romanorum iter per Pannoniæ Ripam *P. I. p* 111. & 117. Itaque inter hodiernam *Sabariam*, & *Jaurinum* quærendi veniunt ſitus Manſionum *Baſſianæ*, & *Murſellæ*. Diſtat vero hoc itinere *Sabaria ab Arrabona Millib. paſſ. LXXII.*, id eſt, noſtris 15. milliaribus cum nonnullo exceſſu. Hoc iter non duxiſſe per viam hodierni curſus publici certum eſt, nam hæc per *Körmend*, *Vasvár*, *Türje*, *Simegh*, *Salomon*, *Papam*, ac *Thétt* circuitu facto, uſque *Jaurinum* 20. milliaria conficit. At neque hujus itineris fuiſſe videtur brevior altera, quæ per *Szanat*, *Szeleſzte*, *Niczk*, *Szil*, *Egyed*, *Szarkavár*, & *Méſö* ducit; hac enim via tantum octo, ſummum decem milliaria a *Sabaria* uſque *Jaurinum*

---

m) Lib, 12. de Republ. Rom. ſect. 3. cap. 6-

vulgo numerantur. Ergo *Sabarienſe* Antonini Iter tranſeundo *Baſſianam*, & *Murſellam* per alia circuivit loca, dum *Arrabonam* tenderet. Hæc autem opinione mea fuere *Cſepregh*, & *Cſorna*. Itaque

Baſſiana, quæ a *Sabaria* millib. paſſ. XVIII., ſeu noſtris circiter 3½ milliaribus *Jaurinum* verſus recedit, mihi eſt hodiernum oppidum *Cſepregh*, ſeu *Schapring*, quod nonnulli propter monumenta Romana, quæ ibi erui ſolent, falſo exiſtimarunt *Scarabantiam* fuiſſe. Non eſt hæc *Baſſiana* confundenda cum altera paullo celebriore, quam *Ptolemæus* in Pannonia inferiore, & Itinerarium Antonini in alio itinere, nempe *pag*, 131. inter *Sirmium*, ac *Taurunum* poſitam commemorat.

Murſellam Millib. paſſ. XXXIII., id eſt, noſtris fere ſeptem milliaribus a *Baſſiana*, ſive *Cſeprego*, ab *Arrabona* autem, ſeu *Jaurino* M. P. XX. quæ noſtra quatuor æquant, immo aliquantum ſuperant, diſſitam, oppido *Cſornæ* adjudico. Fuit olim alia quoque *Murſella*, quam *Ptolemæus* in Pannonia inferiore locat, quamque Itinerarium Hieroſolymitanum *Merſellam*, Tabula vero Theodoſiana *Murſam minorem* adpellat.

Poſtremum iter *Sabarienſe* in laudato Itinerario *pag*. 263. ita exponitur:

A SABARIA ACINCO M. P. CLXVIII. SIC:

Meſtrianis . .	M. P. XXX.
Mogentianis .	M. P. XXV.
Cæſariana . .	M. P. XXX.
Oſonibus . . .	M. P. XXVIII.
Floriana . . .	M. P. XXVI.
Acinco . . .	M. P. XXX.

Terminus hujus itineris *Acincum* hodierno nomine eſt *vetus Buda*. Qui ſitus in Commentario ſupra memorato tot argumentis comprobatus eſt, ut nullo novo egeat. *M. P. CLXVIII.*, quæ hic a *Sabaria* uſque *Acinum* numerantur, valent noſtra facile 35. milliaria, immo nonnihil ſuperant, uti recte obſervat Joannes *Severinus*. At quis tam procul, inquit ille, *Sabariam Buda* abeſſe dicet n)? Nemo, fateor, quicunque mutuam harum civitatum diſtantiam aut recto calle, aut per viam hodierni curſus publici dimenſus fuerit. Hac enim via, etſi non omnino rectiſſima, nonniſi 29. milliaria, adeoque tantum M. P. CXXXIII. circiter, conficiuntur. En ſtationes Veredariorum, adpoſitis milliaribus! *Körmend* 3. *Vasvár* 2. *Szalabér* 2. *Simeginum* 2. *Tapolza-fö* 3. *Nagy-Vaſony* 3. *Veſpri-*

n) Diſſert. de modo inveniendi ſitus veterum Pannoniæ Oppidorum p. 28.

mium

mium 2. *Palota* 2. *Alba Regalis* 1. *Velencze* 2. *Marton Vásár* 2. *Tetteny* 2. *Buda* 2. Quid igitur? an idcirco vel *Sabariæ*, vel *Acinci* ſitum, alias jam determinatum, in dubium vocare, aut certe noſtram, qua veteres menſuras cum hodiernis conferimus, methodum ceu erroribus obnoxiam, ſubito deſerere nos oporteat? Neutrum profecto: ſed potius nonnullæ hujus itineris Manſiones extra viam nunc deſcriptam inveſtigandæ ſunt. Intervallum enim juſto majus inter *Sabariam*, & *Acincum* non aliunde, quam a nonnullis viæ militaris, in hoc itinere deſcriptæ, *diverticulis* repeti debet. *Diverticula* hujusmodi mox indicabimus.

Meſtrianis prima eſt in præſenti itinere *Manſio* millib. paſſ. XXX. ſeu noſtris ſex milliaribus, & aliquanto amplius a *Sabaria* recedens. Reperio extra viam hodierni curſus publici binos pagos, quibus nomen eſt *Meſteri*, ambos prope montem *Ság*, non longe ab oppido *Dömölkino*, ſed ab *hodierna Sabaria* ſex facile milliaribus noſtris in hanc partem, qua Sabarienſibus Budam verſus iter eſſe potuit, semotos. Non tantum ergo ex nominum adfinitate, verum etiam ex intervallorum comparatione arguo, hunc ipſum fuiſſe veteribus *Meſtrianis* ſitum. Nomen loco inditum a quopiam *Meſtrio* vel conditore, vel poſſeſſore. *Meſtriam* enim familiam extitiſſe apud priſcos Romanos certum habeo ex coævis monumentis. Complures *Meſtrii* cum variis cognominibus occurrunt in lapidum Inſcriptionibus apud Gruterum. Quin & ipſe Pannonicos inter lapides invenio unum, cui inſcribitur *Meſtrius Florus*. En Epigraphen votivam ad Eſzekinum ex ruderibus Murſæ anno 1784. erutam:

SILVANO SILVESTRO SACRV.
MESTR. FLOR. V. S. L. M.

Meſtrii Flori, Conſularis viri, meminit Suetonius in vita Veſpaſiani Auguſti cap. 22. hæc ſcribens. *Meſtrium Florum Conſularem*, Veſpaſianus *admonitus ab eo*, *plauſtra potius*, *quam ploſtra dicenda*; *die poſtero Flaurum ſalutavit* o).

De *Mogentianis*, quibus hic adduntur M. P. XXV., id eſt, noſtra quinque milliaria cum dimidio circiter, ita *Weſſelingius*: *Hanc*, inquit, *niſi in Itinerario*, *nuſquam legere memini. Bertius cum Ptolemæi Magniana*, *nullo uſus argumento*, *componit. Adduntur præterea in quibusdam MSS. & Lugdunenſi exemplari M. P XXXV.*, *aliis ut Vaticano*, *& margine Fabriciani libri*, *vulgatos numeros retinentibus* p). Idem *Weſſelingius* cum plerisque aliis has *Mogentianas*,

o) Non recte Cl. P. *Katancius*, qui eandem Inſcriptionem in Diſſertatione de Columna milliaria ad Eſzekum reperta, *pag.* 88. edidit, non recte, inquam, literas MESTR diſpunxit in MES. TR. legitque *Meſſium Trajanum*. Cognomen *Flori*, quod ſequitur, admonere potuit, non eſſe diſpungendum, quod præcedit.

p) Pag. 263. in Not.

&, quam alio in itinere vidimus *Mogetianam*, pro una eademque Manſione habet, tametſi magnum ſit in intervallo a *Sabaria* diſcrimen: hoc enim inde ortum cenſet, quod in altero hoc itinere via circumducitur per *Meſtrianas* q). En conſentientem nobis doctiſſimum Itinerarii Antonini editorem, & commentatorem. Quis tamen locus hodie *Mogentianis* reſpondeat, ſilentio præterit. Nos ductu alterius itineris, a *Sirmio* videlicet *Sabariam* deſcripti, hanc manſionem *Saladino*, aliter *Szala-Egerſzeg* dicto, adſcripſimus. Hinc vero patet, quanto circuitu hoc iter duxerit, ſi prius ad pagum *Meſtri*, dein ad oppidum *Szala-Egerſzeg* diverterat.

Cæterum reliquas hujus itineris manſiones jam in via hodierni curſus publici inveſtigare licebit. Reliqui enim numeri, poſt *Mogentianas* uſque *Acincum* adſcripti, non plus efficiunt, quam *M. P. CXIV.* id eſt, noſtra circiter 24. milliaria, quot reipſa facile ſunt ab oppido *Szala-Egerſzeg* uſque *Budam veterem*. Jam igitur de *Cæſariana*, quæ nunc ſequitur, videamus.

Cæſariana millib. paſſ. XXX. id eſt, intervallo noſtrorum ſex milliarium, ac dimidii circiter a *Mogentianis* removetur. Hoc intervallum ab oppido *Szala-Egerſzeg* pertingit uſque *Tapoltza-fö* ſtationem Veredariorum, *Budam* tendentium. Hic ergo loci extiterit *Cæſariana*, ſeu *Cæſarea* (ſic enim in omnibus fere exemplaribus, excepto Regio Pariſino, legitur, monente Weſſelingio, qui tamen in editione ſua Pariſinum ſecutus eſt). Neque locus iſte deſtituitur veſtigiis tantæ antiquitatis: vidi ipſe aliquot abhinc annis apud D. *Kazzay* Pharmacopœum Debrecinenſem, hexagonam teſſeram ex ære, quam poſſeſſor adfirmabat in *Tapoltza-fö* inventam, hac inſcriptione inſignem:

SIBILLA VNGVENTARIA
LIBERTA SEPT. SEVERI IMPE. VENDIT
CROCOMAGMA IN . . . RHISPIA.

Hoc monumento prælucente arbitror *Cæſarianam*, ſive *Cæſaream* Pannoniæ non aliam fuiſſe, quam *Rhiſpiam*. Suadet hoc ipſe quoque Ptolemæus, qui *Rhiſpiam* hoc ipſo fere ſitu infra *Savariam* inter civitates Pannoniæ ſuperioris enumerat; ſuadent idem exempla quoque complurium aliarum in diverſis Provinciis urbium, quæ ſub Romanis *Cæſareæ* adpellatæ ſunt, vel retento ſimul, vel abolito antiquiore nomine ſuo. Ita legitur *Cæſarea Antiochia Piſidiæ*, *Cæſarea Bithyniæ*, *Cæſarea Cappadociæ*, de qua Plinius: *Sub monte Argæo*, inquit, *Mazaca, quæ nunc Cæſarea nominatur* r). Non igitur illorum ſententiæ ſubſcribo, qui Veſprimium pro *Rhiſpia* habent. Quam quidem ſententiam alio etiam ex

q) P. 232.
r) Hiſt. nat. lib. VI. cap .

capite rejiciendam autumo: quia nempe ſitus *Veſprimii* in eam Pannoniarum partem cadit, quæ ſub Romanis vocabatur *Pannonia inferior*, cum tamen ex Ptolemæo conſtet, Rhiſpiam fuiſſe urbem *Pannoniæ ſuperioris.*

A *Cæſariana* ad manſionem *Oſonibus* dictam ſunt M.. P. XXVIII., ſeu ſex noſtra milliaria. Tantundem ſpatii eſt a *Tapoltza-fö* ad pagum *Eskö*, qui medio quaſi loco inter *Veſprimium*, & *Palotam* ſitus eſt. In pago *Eskö*, quem pro *Oſonibus* habeo, inventæ ſunt anno 1785. duæ Tabulæ æneæ, quas vulgo *Tabulas honeſtæ miſſionis* vocant Antiquarii. Earum Inſcriptiones RR. Ludovicus *Cſapodi*, Eccleſiæ Veſprimienſis Canonicus, menſe Decembri ejusdem anni ad me transmiſit; ſed ipſum Autographum *Viennam* translatum eſt, ubi in prædivite ſacræ Antiquitatis theſauro Cæſareo adſervatur. Pertinuerunt ille Tabulæ ad militem Pannonium, nomine *Vrſionem*, *Buſturionis* Filium, gente *Azalum*, qui poſtquam XXV. ſtipendia in Cohorte II. Alpinorum feciſſet, ab Imperatore *Antonino Pio* honeſtam miſſionem, civitatem Romanam, jusque connubii obtinuit, cum pluribus aliis equitibus, & peditibus diverſarum Alarum, & Cohortium, quæ tunc in Pannonia ſuperiore ſub *Claudio Maximo* Legato conſtitutæ erant. Nomina *Alarum*, & *Cohortium* illarum jucundum erit cognoſcere ex ipſis Inſcriptionibus, quas Libro III. hujus operis reſervamus.

Floriana millib. paſſ. XXVI. diſtat ab *Oſonibus*. Hoc ſpatio, quod quinque noſtra milliaria, & nonnihil amplius valet, a pago *Eskö* per *Palotam*, & *Albam Regalem* pervenitur ad vicum *Velencze*, cui proinde *Floriana* manſio tribuenda eſſe videtur. Hic loci in Curia D. *Meſzlényi* Judicis Nobilium vidi lapidem Romanum muro inſertum, ex quo ſequens exſcripſi Epitaphium:

AVETA ADNAMATI
F. AN. LI. H. S. E.
M. VLPIVS CASSIVS
MATRI
T. M. P.

In ſuperioris lapidis parte viſitur exſculpta pectore tenus effigies *Avetæ Adnamati filiæ*, quæ, ut inſcriptio habet, *anno* ætatis ſuæ *quinquageſimo primo hic ſepulta erat. Marcus Vlpius Caſſius Matri Titulum Memoriæ Poſuit.* Pro hoc *Florianæ* ſitu facit quoque diſtantia ejusdem ab *Acinco* M. P. XXX. id eſt, noſtra ſex milliaria, & unius fere dimidium. Tantundem enim eſt a *Velencze* uſque *Budam veterem*; nempe ad *Márton-Vásár* 2., ad *Tetteny* 2. hinc *Budam novam* 2.; unde adhuc medium fere milliare uſque *Budam veterem*. Fateor tamen, niſi menſuræ nunc memoratæ obſtarent, mallem *Florianam* tribuere civitati *Albæ Regali*, per quam alioquin ab *Eskö* ad *Velencze* tranſitus eſt, tum ob loci hujus majorem celebritatem, paremque antiquitatem, tum quia plura iſthic Romano-

rum monumenta reperiuntur. Anno 1784. in Baſilica B. M. Virginis marmor ſepulcrale erutum eſt, ſequenti Epitaphio conſpicuum:

D. M.
C. DIGNIVS SECVNDINVS NATIONE
RAET. V. F. SIBI ET AVRELIAE
DECCIAE CONIVGI ET MVNIC - -
PIISSIMAE ET FEMINAE RARISSIMAE
AC PVDICISSIMAE CVIVS MORTEM
DOLENS PER ABSENTIAM MEI CONTIGISSE
PER CVLPAM CVRANTIVM CONQVEROR.
VIX. AN. XXVIII. M. X. DIEB. XVIIII.
ET C. DIGNIO DECORATO FIL - - ANN. XXIV.
DIEB. XVII. ITEM - - - - - -
DIGNIAE DECORATAE ET AVRELIAE SECVN
DIANAE FILIABVS.

Occurrit *Floriana* etiam in alio itinere, ſed longe alio ſitu, quæ proinde manſio eſt a priore diverſa, ſoloque conveniens nomine, inter *Herculiam* videlicet, ac *Bregetionem* ſita, & quidem a *Bregetione* tantum M. P. VIII. id eſt, noſtris duobus haud integris milliaribus remota. Quamquam ipſe arbitror deſcriptionem alterius itineris nonniſi mancam, & erroneam ad nos perveniſſe, ſic enim hodie legitur *pag.* 264.

ITER A SOPIANIS BREGETIONE M. P. C. *ſic*:

Jovia	M. P. XXXII.
Gurtiana . . .	M. P. XXV.
Herculia . . .	M. P. XX.
Floriana . . .	M. P. XV.
Bregetione . . .	M. P. VIII.

Notat autem *Weſſelingius*, in Regio MS. adſcribi ſummam hujus itineris *M. P. CX.*, & omitti in eo manſiones *Herculiam*, & *Florianam.* Quamobrem etſi in reliquis exemplaribus, quæ *Weſſelingio* viſa ſunt, deſcriptio itineris ita, ut eam iſthic exhibuimus, habet, merito tamen de illius integritate dubitare licet, præſertim, quia diſtantia inter *Sopianas*, & *Bregetionem*, id eſt, inter *Quinque-Eccleſias*, & pagum *Szöny* Comaromio vicinum, quæ hic exprimitur per *M. P. C.* (quod noſtra 21. milliaria tantum valet) reipſa longe minor eſt, quam ut vera eſſe poſſit. Id ipſum etiam arguere licet, quod in eodem Itine-

Tab. I. ad pag. 45. et. 47.



Fischer ad Nat.m del. Schuch. A. Leicher sc.

Sabariæ partim in Nova, partim in Veteri Arce Episcopali.

rum mon
pulcrale

C
manſio e
licet, ac
noſtris d
ptionem
enim hoc

N
M. P. C
etſi in re
ut eam i
licet, pr.
Quinque-Eccleſias, & pagum *Szöny* Comaromio vicinum, quæ hic exprimitur per *M. P. C.* (quod noſtra 21. milliaria tantum valet) reipſa longe minor eſt, quam ut vera eſſe poſſit. Id ipſum etiam arguere licet, quod in eodem Itine-

rario *pag.* 264. a *Sopianis Acincum* numerentur M. P. CXXXV. tametſi *Acincum* (utpote *Budam veterem*) conſtet longe minus a *Sopianis*, id eſt, a *Quinque-Eccleſiis*, quam *Bregetionem*, civitatem videlicet hodierno *Comaromio* quondam vicinam, abfuiſſe. Neceſſe igitur eſt, ut inter *Florianam*, & *Bregetionem* quædam manſiones ſuis cum numeris in deſcriptione alterius hujus itineris interciderint. Quod ſi admittatur, jam *Floriana* in utroque itinere unius ejusdemque manſionis nomen eſſe poterit. Sed ſatis jam de itineribus; nec enim hoc poſtremum ad nos magnopere attinet, cum inter ejusdem manſiones non recenſeatur *Sabaria.*

CAPUT VI.

Deſcriptio monumentorum Sabarienſium. Inſcriptiones in lapidibus ſuperſtites.

VETERUM itineribus, in quibus memoratur *Sabaria*, perluſtratis, ſubjungo deſcriptionem monumentorum Sabarienſium, & quidem præſente Capite referam Inſcriptiones Romanas, quæ etiamnum in hodierna Sabaria, ejusdemque vicinia ſuperſunt.

Tab. I. N. 1. Baſis lapidea quadrilatera, ornata anaglypho, exhibente cornucopiæ cum prominente ſtrobilo, & ſequentem epigraphen:

NEMESI	
AVG. SAC.	*Auguſtæ Sacrum*
HELIODORVS	
AVG. N. VIL.	*Auguſti Noſtri Villicus*
STAT. SAVAR.	*Stationarius*, vel *Stationis Savariæ*
PRO SAL. SVA	*Pro Salute ſua*
ET SVORVM	
V. S. L. M.	*Votum Solvit Libens Merito.*

Hunc lapidem votivum primus, quod ſciam, æri inciſum, ſed ſine anaglypho edidit Comes Marſilius Tomo II. Danubii Pannonico-Mœſici *Tab.* 38. hoc præfixo titulo: *Savariæ hodie Stein am Anger.* Eandem inſcriptionem ex Marſilio poſtea vulgavit Muratorius *T. I. Novi Theſauri Veterum Inſcript. pag.* LXXXVIII. 7. ſed admiſſo errore geographico, quod Sabariam Daciæ adſcriberet. *Sabariæ*, inquit, *in Dacia,*

Marſilius hæc: AVG. N. VIL. STAT. SAVAR. interpretatur: *Auguſti Noſtri Villicus Stationarius Savariæ.* At Muratorius exiſtimans *Villico* nihil rei eſſe poſſe cum *Stationario*, utpote militari officio, aliam affert conjecturam: *Si Sabariæ*, inquit, *Statio navium fuiſſet, arbitrarer Heliodorum hunc Auguſti noſtri Villicum ejusdem Stationis fuiſſe procuratorem, præpoſitum.* Ita nempe viro doctiſſimo, cum hæc ſcriberet, in mentem non venerat; apud veteres Romanos ut *Stationis*, ita *Stationarii* varias fuiſſe ſignificationes. Illas ergo hoc loco nonnullorum in gratiam recenſere libet ex Gloſſario Nomico Theodoſiani Codicis; ubi hæc leguntur: *Primo*: *Statio*, locus, in quo milites conſiſtunt. Lib. 7. C. Th. t. 3. l. 2. *Secundo*: *Statio*, pro Officialium adminiſtratione. Lib. 8. t. 4. l. 24. *Tertio*: *Stationes* pro *Manſionibus*, in quibus Officiales conſiſtebant ſuſcipiendis tributis, & annonis. Lib. 12. t. 6. l. 19. *Quarto*: Navium *Stationes*. Lib. 7. t. 16. l. 2.

De *Stationariis* autem hæc ſunt: *Primo*: *Stationarii* dicebantur, qui certis, ac deſignatis locis, ac Stationibus erant poſiti ad reos nunciandos. Lib. 6. t. 29. l. 1. &c. *Secundo*: Milites *Stationarii*. Lib. 7. t. 20. l. 3. *Tertio*: *Stationarii* Primipilarium. Lib. 8. t. 4. l. 2.

Quod ad *Villicum* attinet, hoc nomine non ſemper intelligebatur *villæ*, aut *prædio* præfectus, ſed ſæpe alius, qui alteri cuipiam rei curandæ præpoſitus erat; uti rurſus ex Codice Theodoſiano, aliisque monumentis certum eſt.

Quo ergo ſenſu, inquis, in hac Inſcriptione *Diodorus* eſt *Auguſti Villicus Stationarius Savariæ?* Id quidem hodie obſcurum: apparet tamen, illum ab Auguſto præfectum fuiſſe ſimul curſui publico, ſimul reis denunciandis, aut puniendis. Imprimis enim *Savariam* fuiſſe in via curſus publici *Stationem*, ſeu *Manſionem*, conſtat ex Itineribus veterum ſupra deſcriptis; deinde *Stationariis*, & iis, qui curſui publico præerant, datam eſſe poteſtatem puniendi nonnullos prævaricatores, Lex Conſtantini Magni docet, quæ hujus eſt tenoris: *Si quis iter faciens bovem, non curſui deſtinatum, ſed aratris deditum, duxerit abſtrahendum, per Stationarios, & eos, qui curſui publico præſunt, debito vigore correptus, aut Judici, ſi præſto fuerit, offeratur, aut Magiſtratibus municipalibus competenti cenſura tradatur s*). Favet huic interpretationi iſtud etiam, quod in hac inſcriptione idem *Diodorus* votum ſuum *Nemeſi*, quæ fuit criminum vindex, ſolviſſe legatur.

Cæterum fieri poteſt (idque veriſimilius arbitror) ut iſthic VIL. STAT. SAVAR. ſignificet Cæſareum *Villicum Stationis Savariæ*, id eſt, Præfectum *Stationis Sabarienſis*, in qua jumenta pro curſu publico, & annonæ adſervabantur. Sic enim in aliis Inſcriptionibus occurrit: *Villicus domus urbanæ*, *Villicus Aquæ Claudiæ*, &c. Opinor præterea hanc Inſcriptionem factam antea, quam *Sabaria*

---

s) Lib. 8. Cod. Theod. tit. 5. leg. 1.



Sabariæ in Muro Civitatis verſus Portam Sirmendienſem.

ad Coloniæ Romanæ dignitatem eveheretur. Strobilus, ſive nux pinea, in hoc lapide eleganter expreſſa, ætatem Octaviani Auguſti ſapit. Similem quippe Strobilum habent Auguſtana monumenta, de quo in Numis Auguſti occurrente ſcripſit præter Golzium in *Faſtis*, Oiſelius in *Theſauro Numiſmatico*, Havercampius *T. I. Theſ. Morelliani p.* 447. *ſeqq.* Ezechiel Spanhemius *T. I. de uſu & præſtantia Numiſm.* In Lapidibus, & Numis Auguſtæ Vindelicorum Strobilos exhibuit Marcus Velſerus *Lib. 6. Rer. Aug. Vindelic. p.* 284. *ſeqq.*

Tab. I. N. 2. Tabula marmorea candida, probe polita, muro veteris Arcis Epiſcopalis inſerta, cui hæc ſunt inciſa:

Q. MVLLIVS SEX. F.
CLA. FLORENTINVS
AN VI SII ET CÆNATI
VSTA CONN. T Q. MVLLIQ.
MARCHLLO SEVIR. C. C. S. AN XX
ET MVLLIAE MARCELLINÆ I. L. NP.

Hanc epigraphen C. Marſilius l. ſupr. cit. p. 102. hoc modo interpretatur:

Quintus Mullius Sexti Filius
Claudia (Tribu) *Florentinus*
Anniæ Veſtificæ Natione
- - *uſtæ Conjugi & Q. Mullio Q. Filio*
Marcello Seviro Coloniæ Claudiæ Savariæ Annorum XX
Et Mulliæ Marcellinæ Quinti Filiæ Nepti.

De verſu tertio dubium eſt, an ſic legi debeat; ſi tamen conſtaret, ita legendum eſſe, nihil ambigerem, quin verſus quarti initio fuerit *Piruſta.* Hujus enim nominis Natio non defuerat inter veteres Pannoniæ populos. Meminit *Piruſtarum* in Pannonia Strabo *Geogr. lib.* 7. *p. m.* 366. Apud Ptolemæum *lib.* 2 *cap.* 17. nominantur *Piruſſæ* pro *Piruſtis*, ſed in deſcriptione Illyridis. Ex Itinenerario Antonini pag. 316. & ex Hieroſolymitano pag. 360. conſtat fuiſſe in Alpibus Juliis, quibus Pannonia & Noricum ab Italia dirimebatur, Manſionem quandam, ad *Pirum* dictam: hinc forte gens *Piruſtæ*, vel *Piruſſæ* vocata. Verſu quinto ſcriptum eſt MARCHLLO, nempe græcum H pro E.

Tab. II. Lapis calcarius magnæ molis, muro civitatis Sabariæ extra portam Körmendienſem inſertus, in quo eſt ſequens Inſcriptio:

IMP. CAESAR DIVI VESPASIANI F.
- - - - AVG. PONTIF. MAX. TR.
POT. IMP. II. COS. VIII. DDSIGNAT. VIIII. PP.

Tab. III. Fragmentum Tabulæ marmoreæ cum reſidua Inſcriptione:

IMP. CAES - - -
VESPASIANI F - - -
PONT. MAX. TRIB. PO - - -
COS VIII. DESIGN - - -

Factæ ſunt hæ Inſcriptiones anno primo *Domitiani* Auguſti, cujus nomen in his lapidibus veriſimiliter mox ab ejus interitu eraſum fuit, uti jam a Comite Marſilio obſervatum eſt. Ita enim Suetonius: *Occiſum*, inquit, *Domitianum populus quidem indifferenter, miles graviſſime tulit, ſtatimque eum Divum appellare conatus eſt. . . . Contra Senatus adeo lætatus eſt, ut repleta certatim Curia non temperaret, quin mortuum contumelioſiſſimo, atque acerbiſſimo acclamationum genere laceraret: ſcalas etiam inferri, clypeosque & imagines ejus coram detrahi, & ibidem ſolo affligi juberet: noviſſime eradendos ubique titulos, abolendamque omnem memoriam decerneret.* Quod igitur Senatusconſulto Romæ decretum fuit, id coloniæ quoque in Provinciis executæ ſunt, quemadmodum ex inſcriptionibus iſthic relatis colligere licet.

Tab. IV. Lapis in pariete domus Joannis *Levai* civis Sabarienſis, ornatus exſculpto Grypho, urceolum pedibus ſtringente, & ſequenti Inſcriptione:

SIGN. VICTO.	*Signum Victoriæ*
Q. GAV. MAXIMVS	*Quintus Gavius - .*
Q. POR. PRISCIANVS	*Quintus Porcius - -*
MGG. COL. GEN.	*Magiſtri Collegii Genio*
I. P. SP. ÆL. EXVPE	*Juventutis Pannonicæ Spurius Ælius - -*
RATVS ET T. AVR.	*- - & Titus Aurelius*
PECVLIARIS SCRI.	*- - - - Scribæ*
COLL. DD.	*Collegii Dedicarunt*
MODESTO ET PRO	
BO COS.	


Spectat hæc Inſcriptio ad annum Chriſti 228. ob *Modeſti*, & *Probi* Conſulatum. Eandem Inſcriptionem *Muratorius*, ſibi a P. Eraſmo Frœlich per Dominicum Bricherium Columbum communicatam, edidit *T. IV. Theſ. Inſcript. p.* MMLIII. 7. Sed verſu tertio mendoſe habet Q. TOR. PRISCINVS, nec bene verſu quinto M P S. Hinc erronea Muratorii interpretatio: *Quintus*, inquit, *Gavius Maximus, & Quintus Torquatus Priſcinus, eruditiſſimo Bricherio, & mihi ſunt Magiſtri coloniæ. Sed quid* GEN M P S? *Si conjecturæ locus eſt, pro* G *lego* C, *pro* E *lego* L, *pro* N *lego* AV *geminis literis connexis*, ita ut ſit CLAV.

Fieri

T. III. p. 48.




Sabariæ in nova Arce Epiſcopali



Jac. Schmuzer. fec. *Fiſcher. ad Nat. del.*

1 2 3 *Schuch.*

Sabariæ in pariete domus Joan. Levai civis Sabarienſis



Fischer. ad Nat.m del. K: Stenger sc.

1 2 3 4 5 Schuch

Sabariæ in Domo D. Ladislai Mikos.

Fieri ergo poteſt, *ut heic menſionem habeamus Coloniæ Claudiæ Martiæ Piæ Sabariæ.*

Rejecta ergo hac interpretatione, nobis *Quintus Gavius Maximus* & *Quintus Porcius Priſcianus* ſunt *Magiſtri Collegii Genii Juventutis Pannonicæ*: *Spurius* autem *Aelius Exuperatus*, & *Titus Aurelius Peculiaris* ſunt *Scribæ Collegii* ejusdem. Hi *Signum Victoriæ*, huic lapidi impoſitum, dedicarunt *Genio* ſupra dicti Collegii Juventutis Pannonicæ. Alioquin enim non *Coloniarum*, ſed *Collegiorum* Præfecti apud veteres Romanos vocabantur *Magiſtri.* Præterea certum eſt illo ævo extitiſſe peculiaria quædam *Collegia juventutis*, & *Genios Collegiorum* hujusmodi etiam donis excoli conſueviſſe. Exemplo ſit Inſcriptio Moguntiæ reperta, & a Muratorio *Tom. IV. Theſ. pag.* MMXVI. 3. vulgata hunc in modum:

I. N. M. D.
GENIO COLLEG.
IVVENTVTIS VICI
APOLLINESIS ACVTIVS
VRSVS ET ACVTIA VRSA
DONVM DEDERVNT.
IMP - - - - - - -
- - - - ET COMA
ZONTE COS

Tab. V. Marmor politum quadrilaterum Sabariæ in ædibus D. Ladislai *Mikos*, hac Inſcriptione conſpicuum eſt:

T. GNORIVS SABINIANVS	*Titus Gnorius Sabinianus*
EX PRAEF. ALAE CONTARIO	*Ex Præfectus Alæ Contario*
RVM VE. ET L. VAL. VERVS DEC.	*rum Veteranorum & Lucius Valerius Verus*
C. C. SAVAR. SACERDOTALIS.	*Decurio Coloniæ Claudiæ Savariæ Sacerdot:*
P. P. S. CRYPTAM VI IGNIS	*Provinciæ Pannoniæ Superioris &c.*
EXVSTAM SVMPTIBVS SVIS	
REFECERVNT.	

Contarii, quorum fit mentio in hac inſcriptione, erant Equites, contis, ſeu lanceis pugnantes. *Sacerdotales* differebant a *Flaminibus*, quod hi unius tantum loci, illi autem totius provinciæ ſacra procurabant. *Cryptæ* nomine intelligebant veteres non ſepulcra tantum, aut ſacella ſubterranea, verum etiam partem theatri, ubi hiſtriones exercebantur, & parabantur, uti conſtat e Suetonio in vita Caligulæ. Theatri Sabarienſis meminerunt Acta Sancti Quirini Martyris: quapropter mihi veriſimile eſt, talem fuiſſe *Cryptam*, quam exuſtam Gnorius

Sabinianus Expræfectus Alæ Contariorum, & Valerius Verus Decurio Coloniæ Claudiæ Savariæ, idemque Sacerdotalis Provinciæ Pannoniæ Superioris ſumptibus ſuis refecerunt. Ad *Sacerdotales* enim pertinebat edere ludos in quibusdam ſolemnitatibus, uti conſtat e Cod. Theod. leg. de *Spectaculis*.

Tab. VI. N. 1. Lapis ſepulcralis in Diverſorio Epiſcopali, ornatus anaglyphis. Pars ſuperior intra columellas hanc epigraphen habet:

- - E MEMORI	*Perpetuæ Memoriæ*
AVRELIAE IVS	
TINAE ANN. XL.	*Annorum quadraginta*
CONIVGI KARIS	
SIMAE AVRELIVS	
GAIANVS ET GAIVS	
ET IVSTINVS FILI MA	
TRI PIENTISSIMAE VV. F. F.	*Vivi fieri fecerunt.*

In parte inferiore lapidis reſiduum inſcriptionis:

D. M.
ET FILIA VRICA.

Anaglyphum exhibet duos genios ſpecie migrantium in contrarias partes, ſic tamen ut alter alteri manum encarpo tectam porrigat, inſidente aquila expanſis alis.

Tab. eadem N. 2. Miles Romanus galeatus & haſtatus.

Tab. VII. Fragmentum Lapidis in gradus ſecti, in quo præter alia literarum exeſarum veſtigia ſupereſt:

SEMITATRICIBV - - - CLAVDIA - -

Deæ *Semitatrices* dictæ a *ſemitis*, quibus præſidebant. Uſitatius vocabantur Dii, Deæque *Semitales*, uti et *Compitales*, & *Viales*, colique ſolebant ſimul ut *Dii Præſtites*, urbisque Cuſtodes.

Tab. VIII. Baſis lapidea in Templo Dominicanorum Conventus S. Martini ad Sabariam, in cujus uno latere exſculpta cernitur ampulla, in altero, quod iſthic non apparet, eſt patera; tertium latus hanc habet epigraphen:

1.

2.



1. *Sabariæ in Diverſorio Epiſcopali.*

2. *In Nova arce Epiſcopali.*



Fischer ad Nat.m del. Z. Fry sc.

1 2 Schuch

Sabariæ in nova Arce Episcopali.

T. VIII. p. 50.



In Ecclesia Dominicanorum Conventus S. Martini ad Sabarium.

'er
M.
ur
&

us

æ-
in
ı,
ea

e-
m
In



Jac. Schmu

T. IX p. 51. et 52.



In O' Perént prope Sabariam in domo Franciſci Martinkovits

S. D. S.	*Soli Deo Sacrum*
P. S. Q. R. H.	*Publius Sextius Quinti Romani Heres*
FELICISSI	
MVS PRO	
SE ET SVIS	
V. S. L. L. M.	*Votum ſolvit libens libero munere.*

Eodem modo literas ſolitarias hujus Inſcriptionis interpretatur *Scaliger* Indice viceſimo ad Gruteri corpus Inſcriptionum, niſi quod V. S. L. L. M. legere mallit: *Votum ſolvit libens*, *libens merito*, id eſt, *libentiſſime.* Legitur eadem Inſcriptio etiam apud Lazium *Lib.* 12. *de Republ. Rom. ſect.* 3. *cap.* 2. & apud Gruterum ex Cluſii Schedis *pag.* XXXIII. 2.

Tab. IX. N. 1. Lapis in Sabarienſi vico *Perénth* effoſſus, & in ædibus Franciſci *Martinkovics* muro inſertus, hac Inſcriptione conſpicuus eſt:

MVNICIPIVM FLAVIVM
AVG. SCARBANT. *Auguſtum Scarbantia.*

De hoc monumento, hactenus inedito, jam *Cap. III.* hujus libri, quædam adnotavimus. Anno 1780. cum Sabaria Sopronium proficiſcerer, inveni in pago *Horkau*, qui Sopronio proximus eſt, ingentem Sarcophagum lapideum, in quo pariter *Municipii Scarbantiæ* occurrit mentio. En Inſcriptionem, uti ea modo ſupereſt:

L. F. FORTVNATVS - - - VI.
AVG - - - - M. SCARB - -
NAI - - IX - - V. ET SAN - - -
ET M - - E - - L. MON - - ANN. XXXV.

Id eſt: *Lucii Filius Fortunatus Sevir Auguſtalis Municipii Scarbantiæ.* Reliqua nonniſi divinando ſuppleri poſſunt. Legitur eadem Inſcriptio apud Lazium *Lib.* 12. *de Republ. Rom. Sect.* 3. *Cap.* 7. Sed mendoſe deſcripta. Ait enim: *In columnæ fragmento ante ingreſſum villæ Harka proximæ*:

LE FORTVNATVS VS M. SCARBINATI
VOVI E SANCT ET LIVELI SIMONI ANN. XXXV.

Rectius Comes Marſilius l. ſupr. cit. p. 103. & Tab. 39. N. 9. urnam inciſam eſſe ſcribit, tametſi quasdam literas aliter, ac in lapide adparent, exhibeat; nempe ſic:

M. FORTVNATVS - - - V - - AVGV - - M. SCARB. - - M. NAIV - - VNS - - - ANC - - ET MVL. - - - NA. MON. M. NN. XXXV.

Hæc Veſſelingius *Itin. Ant. pag.* 233. ita legenda exiſtimat;

M. FORTVNATVS M. F. VIVIR
AVGVSTALIS M. SCARABANTIAE

Sed in lapide ipſo non eſt prima litera M. nec poſt cognomen *F. rtunati* ſequitur M. F. præterea nomen Municipii non eſt *Scarabantia*, ſed *Scarbantia*: atque ita reipſa ſcribi oportere, oſtendit alterius lapidis, quem primo iſthic loco recenſuimus, epigraphe: tum tertius quoque lapis *Vinicenſis* prope Varaſdinum erutus cum hac Inſcriptione *t*):

FIRMIA L. F. SCARBANTINA AN. XXXV.
H. S. E. Q. CAESERNIVS IVSTVS FIL. H. F. C.

Ex his ergo lapidibus corrigendi ſunt libri, in quibus hoc nomen aliter expreſſum eſt: ut apud Ptolemæum *Sacarbantia*, apud Plinium, & in Itinerario Antonini *Scarabantia.*

Tab. IX. N. 2. Alius lapis in Sabarienſi vico Perént erutus, ita inſcribitur:

COLONIA SEPTIMIA
SISCIA AVGVSTA.

En *Siſciam* Pannoniæ Saviæ civitatem cum titulis *Coloniæ Septimiæ Auguſtæ*, non quod a *Septimio Severo Auguſto* condita fuerit, ſed quod vel reſtaurata, vel novis colonis aucta, vel alio quopiam ſingulari beneficio ab hoc Imperatore affecta ſit. In hiſtoria enim fit mentio *Siſciæ* jam ante Chriſtum natum. Octavianus Cæſar hac urbe expugnata primum Colapianos, dein relíquos Pannonios in ſuam poteſtatem redegit. Eadem *Siſcia* in coloniarum numero jam a Plinio, qui Imperatorem Septimium Severum uno ſæculo præceſſit, recenſetur.

---

t) Ungriſches Magazin 2 B. p. 114



Fischer ad Natm. del. A. Leicher sc.

1 2 3 Schuch

In Muro Ecclesiæ pagi Szent=Király extra Sabariam.

Veriſimiliter ad Coloniæ Romanæ dignitatem jam ab Octaviano Auguſto evecta eſt: hinc in quibusdam Gallieni Numis appellatur *Sciſcia Auguſta.* Cæterum extat etiam Numus Imp. *Aurelii Probi* cum inſcriptione SISCIA PROBI AVG. quod nempe etiam huic Imperatori beneficio quopiam ſingulari devincta fuerit. Veſtigia *Siſciæ* ſuperſunt hodie in *Siſſek* Capituli Zagrabienſis pago.

Tab. X. Prope Sabariam in pago Szent-Kiraly Lapis muro templi impoſitus hoc epitaphium habet:

M. AVREL. ROMANVS — *Marcus Aurelius - -*
DOM. ANTIOC. — *Domo Antiochia*
VET. LEG. X. G. V. F. — *Veteranus Legionis X. geminæ Vivus fecit*
SIB. ET ATERIÆ SABINÆ - - -
CONI. AN. LX. ET M. AVRELIO ROMANIANO
FILIO AVRELIÆ VALERIÆ CNVG. — *Conjugi.*

Anaglyphum hujus lapidis exhibet duas columellas, duos canes venaticos leporem perſequentes, & caput Meduſæ.

CAPUT VII.

Inſcriptiones Sabarienſes, in libris tantum ſuperſtites.

SEQUENTES inſcriptiones hodie in libris tantum ſuperſunt. Lapides enim interierunt. Scilicet *mors etiam ſaxis marmoribusque venit*: adeo nihil in rebus humanis perpetuum eſt.

1. Apud Jordan de *Orig. Slav. Adpar. Geogr. pag.* 111. Lapis ſub porta veteris Arcis Sabarienſis:

L. VAL. L. FIL. CL. CENS
ORINVS DEC. C. C. S. ITEM
VET. LEG. Ī. AD. EX BF. COS.
A/. V. F. S. ET FLAVIÆ INSE
QVENTINAE CON. A/. IX. ET VAL
ERIS CENSORIANO A/.
FLORENTINO A/. VENERIO
A/. VETERANO A/. ET CEN
SORINILLÆ A/. FILIS ITEMQ
LIB. LIB. SVIS.

„ Hanc Inſcriptionem, inquit Jordan, præter abbreviationem ex A & N „ compoſitam, & ad quodlibet nomen repetitam ſic legit: *Lucius Valerius* „ *Lucii filius Claudius Cenſorinus Decurio Coloniæ Claudiæ Savariæ: Item Veteranus* „ *Legionis I. Adjutricis, Exbeneficiarius Conſulis - - Votum fecit ſibi & Flaviæ In-* „ *ſequentinæ Conjugi - - & Valeriis Cenſoriano - - - Florentino - - - Venerio - -* „ *Veterano - - - & Cenſorinillæ - - - Filiis, itemque Liberis Libertabus ſuis.* „

Reperitur eadem Inſcriptio apud Lazium *Lib.* 12. *de Rep. Rom. Sect.* 3 *cap.* 2. & apud Gruterum pag. CCCLXXXIX. 1. apud quos pro A/ ubique ſcriptum eſt AI. Apud Marſilium l. ſupr. cit. qui pro A/ unicam literam N ſingulis in locis habet, idemque linea octava pro VETERANO edidit VEBRENO.

Linea prima CL. ſignificat *Claudia* de Tribu, non vero *Claudius*. Literæ V. F. S. in linea quarta, quas Jordan interpretatur *Votum fecit ſibi*, ſignificant potius: *Vivus fecit ſibi*. Et, quia *Cenſorinus* in vivis adhuc agebat, dum hoc epitaphium inſculpi juſſit, vivique adhuc fuerunt omnes, quorum hic nomina occurrunt, excepta *Flavia Inſequentina*, Cenſorini *Conjuge*, idcirco huic ſoli additum eſt A/. cum numero IX., immo cum LX., licet in exeſo lapide apparuerit IX. Reliquis autem omnibus adjungitur A/ ſine numero. Jam vero idgenus ſigla modo pro AN, modo pro AV in lapidibus poni ſolet, unde apparet in iſto quoque poſitam eſſe utroque modo. Itaque illud A/. V. F. S. legi debet *Adhuc Vivo Vivus fecit ſibi*: & reliqua omnia A/. ſignificant *Adhuc vivo*, vel *Adhuc vivæ*, dempta linea quinta, ubi A/. LX. eſt pro *Annorum LX.* Nempe *Valerius Cenſorius*, defuncta Conjuge ſua *Flavia Inſequentina anno ætatis ſexageſimo*, Cryptam pro tota familia ſua fieri curavit, eique lapidem hac inſcriptione conſpicuum imponi fecit.

2. Apud Lazium lib. ſupr. cit. Sabariæ in æde S. Martini fragmentum marmoris.

C. ESARI - - ERNAE - - O - - AVGVST. IC. DAC. IO. MAXIMO
ET - - OESTATIS O. S. V. PANIRI - - VGVR. SACER. EX
COLONIA SAVARIA.

Laceram hanc Inſcriptionem Gruterus pag. CCXLV. ita explet:

- - CAESARI NERVAE AVGVST. - - IC. DAC. PO. MAXIM
- - E POTESTATIS · PROCOS · V. PAPIRIVS AVGVR. SACERD.
EX COLONIA SAVARIA.

Ex litera O ante AVGVST. & ex titulo DAC. patet factam fuiſſe hanc inſcriptionem non *Nervæ*, ſed hujus adoptivo filio, & Succeſſori, *Nervæ Trajano.* Itaque rectius hunc in modum redintegrabitur:

IMP. CAES. NERVAE TRAIANO AVGVSTO PARTHICO DACICO PONT. MAXIMO TR. POTESTATIS COS. V. PP. A. NERIVS . . . AVGVR. SACERDOTALIS EX COLONIA SAVARIA.

3. Apud Gruterum *pag.* DCCXLIV. 2. Sabariæ in æde S. Martini:

BENE MEMORANDAE CONIVGI DVLCISS.
QVAE VIX. AN. XXIV. IVL. POMETIVS
AVR. IVSTINAE MARITVS . ET LECT. ORNAM.
ET PROTECTOR CONTRA VOTVM MEMORIAM POSVIT.

Eandem inſcriptionem edidit Gruterus e Schedis Cluſii pag. DCCCXVI. 5. Sed quædam aliter, nempe VIX. AN. XX. M. V. FL. POMENTIVS. Variat quoque lectio apud Lazium l. ſupr. cit. ibi enim eſt: VIX. AN. XX IVI. VEL. POMENTIVS. Nos *Aureliam Juſtinam* in alio lapide Sabarienſi adhuc ſuperſtite edidimus *Tab. VI.* capite præcedente, ſed ab iſta diverſam. quippe Annorum XL. & *Aurelii Gajani* conjugem.

4. Apud Gruterum p. XLV. 5. Sabariæ inventum, & in ædes Lazii translatum Vi ennam:

HERC. AVG.	*Herculi Auguſto*
CANAERIVS AVG. NN. SER.	- - *Auguſtorum Noſtrorum Servus*
D. S. V. S. L. L. M.	*Domo Savaria Votum ſolvit libens libero munere.*

Eadem inſcriptio legitur apud Lazium Lib. ſupr. cit.

5. Apud Muratorium *T. IV. Novi Theſ. p.* MMLXV. Sabariæ inventum miſit Muratorio Dominicus Bricherius Columbus.

C. CAESIO C.	*Cajo Cæſio Caji*
F. CL. VICTORI	*Filio Claudia* tribu *Victori*
AN. L. ET IVLIAE	*Annorum quinquaginta* : & *Juliæ*
TI. F. PROCVLEIAE. CO.	*Tiberii Filiæ Proculejæ Conjugi*
AN. L. C. CAESIVS CA	*Annorum 50. Cajus Cæſius Ca-*
TVLVS ET C. CAESIVS	*tulus & Cajus Cæſius*
OPTATVS ET CAESIA - - -	*Optatus & Cæſia Uri-*
CA PARENTIB. OP	*ca Parentibus Optimis.*
TIMIS	

6. *Ibidem T. III. p.* MDLXXXIII. 2. ex Comite Marſilio Sabariæ in Pannonia.

CAIVS FLAVI. VITALIS AN. XI. H. S. E.
- - - VERNA CONS. EVVO - - S. P. F.

7. Ibidem pag. MMLXV. pariter Sabariæ inventum Muratorio miſit Brichetius Columbus:

DIS MANIBVS
M. COCCEIO EPAPHRO
DITO ET COCCEIANICE
VLPIA CHARIS PARENTIB.
SVIS KAR. EECIT ET M. VLPIVS
PROSENES COGNATIS BENE
MER. LIB. LIBERTABUSQ.
SVIS POSTERISQ. EORVM.

8. Apud Lazium l. ſupr. cit. Fuit Sabariæ in templo ſupra altare in quodam angulo:

HIC POSITVS EST FLORENTINVS
INFANS QVI VIXIT ANNOS SE-
PTEM ET REQVIEM ADCEPIT IN
DEO PATRE NOSTRO ET CHRISTO EIVS.

CAPUT VIII.

Inſcriptiones, in quibus fit mentio Sabariæ, aliis in locis repertæ.

1. APUD Lazium *Lib.* 12. *de Republ. Rom. Sect.* 3. *Cap.* 1. In Carnunti ruderibus, quæ in vico Petronellæ ſuperſunt:

C. IVLIVS C. F. CLA	*Cajus Julius Caji Filius Claudia* Tribu.
SECVNDVS SAV.	*Secundus Savaria* domo
LEG. XV. APO.	*Legionis XVtæ Apollinaris*
IVLI CELERIN. VIX.	*Julii Celerini vixit*
ANN. XXI. MENSES VII.	

Vid. eadem Epigraphe apud Gruterum pag. DXLVII. 10.

2. Apud

2. Apud Muratorium p. DCCCXXII. 7. Romæ apud Marchionem Capponium.

DIS MAN.	*Dis Manibus*
C. IVL. C. F. CLA.	*Cajus Julius Caji Filius Claudia* Tribu
FLORVS SAVARIA MILES	
COH. VIIII. PR. 7. ARRUNT.	*Cohortis nonæ Prætorianæ e Centuria Arruntii.*
MILIT. AN. XVII. VIXIT AN. XXXVI.	*Militavit annis XVII. &c.*
TEST. PONI IVSSIT ARBITR. M.	*Teſtator poni juſſit arbitrio Marci*
ANTONI NIGRI HERED.	*Antoni Nigri Heredis.*

3. Ibidem pag. MMLIII. inventum in vico Cſaba prope Budam veterem. Miſit Bricherius Columbus.

MEMORIAE Q. MVVI RA-EI
AVG. COL. AQ. VIX. ANN. XL. M. M.
AVRELIA D. S. ET L. MVVI D. S.
LIBERTI FI. TR. DES. EX VOLVMIA
TESTAMENTI CVRANTIBVS IE C̄ M
DIONISIO AVG. COL. SS. ET - - -

„ Qualem, inquit Muratorius, accepit deformatam amicus Bricherius „ exhibeo & ego. Quod novi, & heic habemus *Q. Muvium* fortaſſe *Rateum*, „ *Auguſtalem Coloniæ Apulenſis*, & *Dionyſium* pariter *Auguſtalem Coloniæ ſupra* „ *ſcriptæ*. Cetera reſtauret, qui poteſt. „

Ipſe habita ratione, quod hæc Inſcriptio reperta ſit in vico Hungariæ Cſaba, prope Budam veterem, ubi ſita fuit *Colonia Aquincum*, primos tres verſus ita interpretor:

Memoriæ Quinti Muvii Ratei
Auguſtalis Coloniæ Aquinci. Vixit Annis XL. Menſe I. Marcia
Aurelia Domo Savaria, & Lucius Muvius Domo Savaria.

In quarto verſu ſuſpicor pro FI. TR. fuiſſe FF. HER. id eſt, *fieri fecerunt heredes deſignati.* Quinto verſu per IE. C̄ M videtur exprimi ſumma relictæ hæreditatis. Sextus verſus rite lectus eſt a Muratorio.

4. Apud Montfaucon *Diar. Ital. cap. 26. p.* 338.

POSTVMVS FLORENTINVS SAVARIA.
IVLIVS RESTITVTVS SAVARIA.

H

5. Apud Gudium p. CLXXXVIII. 1. & apud Veſſelingium *Itin. Ant p.* 232.

MIL. LEG. II. ADIVTR. *Miles Legionis II. Adjutricis*
FRVM. DOMO SAVARIA. *Frumentarius - -*

6. Apud Fabrettum cap. 5. Inſcript. Rom. p. 86.

CL. SAVARIA. *Claudia Savaria.*

7. Apud Gruterum pag. CLXXIV. 1. e Schedis Cluſii. „ Zolonocci Hungariæ in arce D. Balthaſaris de Batthyan extabat, inquit, elegantis Tabellæ „ fragmentum, in quo palmaribus literis exaratum erat:

COLONIAE CL. SAVAER. (*ſic pro* SAVAR. *errore lapicidæ*)
- - - M. TESTAMENT
— — — —

8. Ex epiſtola Antonii *Mancini*, Poſonio die 10. Auguſti 1780. ad me data: „ Inſcriptiones, inquit, Romanas transmitto, quas curioſa diligentia luſtrans quondam in mea MSS. retuleram. Harum prima in Sabarienſi urna uncialibus deſcripta eſt literis, ex qua producti annuli meo in Opuſculo memineram:

VALERI. L. CALP - - - PI - - FIL. SIBI
ET M. AEMIL - - L. MARITO AETERN - -
HANC DOMV. POSVIT.


„ Reliqua legi nequeunt. Ibidem urna altera producta fuit cum his literis

AVREL - - LV - - - SEMPRO - - -
DE SV - - - PEC.

„ Lapis in *Vörösvár* (aliter germ. *Rotherthurn*) Comitatus Caſtriferrei „ oppido ita habet:

TIBERIO CLAV - - - CAESARI
DIVI OCTA - - - AVG. FIL. P. F. INVICTO
AVG. IMP. VII. - - P. - - A SAV.
MIL. P - - -

T. XI p 59



Saburiæ in nova Arce Epiſcopali

XI. p. 59.



Jac. Schmuzer fec.   ...t. d.

Hactenus *Mancini.* Ceterum poſtrema, quam hic retuli, Inſcriptio lapidis milliarii aut ſpuria eſt, & conficta, aut, cum eſſet multum detrita, illam meus hic amicus, qui jam inter vivos eſſe deſiit, peſſime redintegravit. Neque enim unquam in genuinis monumentis veterum *Tiberius Claudius* appellatur *divi Octaviani Auguſti Filius*, ſed præciſe *Tiberius Cæſar Divi Auguſti filius*, aut *Ti Claudius Divi Aug. Fil.* idque ſemper intelligendum eſt de *Tiberio* Octaviani Auguſti Privigno, ac ſucceſſore: nam *Tiberius Claudius*, qui Caligulæ ſucceſſit, auctorque fuit *Coloniæ Savariæ*, nulla prorſus ratione fuit *Divi Auguſti* filius, verum *Druſi*, ideoque in columnis milliaribus, aliisque monumentis legi ſolet: TI. CLAUDIO DRVSI F. CAESARI AVG. &c. Præterea titulus *Pii Felicis Invicti* paullo ſerius invaluit.

CAPUT IX.

Alia Sabarienſium monumenta diverſi generis recenſentur, & illuſtrantur.

TAB. XI. exhibet fragmenta columnarum lapidearum. De his Petrus *Ranzanus*, apud Regem Mathiam Corvinum legatus, in deſcriptione Comitatus Caſtriferrenſis: *Illic*, inquit, *eſt Sabaria vetuſta olim civitas*, *cujus apparent multa adhuc veſtigia*, *inter quæ ſpectantur columnæ eximiæ magnitudinis u*). Lazius vero: ,, Sabaria Hungaris, ait, nomine adhuc, ſituque veteri extat, tametſi Germani, ,, ut arbitror, a ruinis deſtructi quondam oppidi, & jacentibus in colliculo ,, maximis columnarum fragmentis, de quibus poſtea a nobis dicetur, *Stein am* ,, *Anger* vocant, locum vetuſtate venerandum, divique Martini Turonenſis Epi- ,, ſcopi natale ſolum. . . . Ceterum ſedem, & locum Imperatorum Sabariam ,, maximorum fuiſſe, non ſolum ex Capite 24. libri III. Plinii apparet, qui a ,, Claudio Cæſare primo eam coloniam deductam adſeverat, verum etiam oſten- ,, dunt fragmenta ingentium columnarum, quæ adhuc in ruinis Sabariæ veteris ,, extant, ut deſolato iſto municipio, & ſolo æquato, cum præter iſta magna ,, ſaxa nihil in ruderibus ſupereſſet, a Germanis propterea (ut arbitror, ſub Ca- ,, rolo Magno, qui pulſis Avaribus ea loca Germanis cultoribus muniverat) ,, *Stein am Anger* locus non immerito denominatus ſit. Porro fragmenta iſta co- ,, lumnarum de arcubus triumphalibus remanſiſſe exiſtimandum; quas in Pan- ,, noniis excitaſſe Conſtantium Cæſarem, Ammianus lib. 21. auctor eſt, ut pro- ,, cul dubio autumo in Sabaria: quem præ ceteris locum dilexiſſe hunc Cæſa-

---

u) Epit. Rer. Hung. Ind. I.

„ rem conſtat „ *x*). Idem in epiſtola, opuſculis Sulpicii Severi ab ipſo editis præfixa: „ Jam nihil dico, inquit, de arcubus triumphalibus, quos in Sabaria „ excitaſſe victis Alemannis Julianum Cæſarem Marcellinus lib. 21. eſt auctor, „ & quorum adhuc hodie in ruinis ſæpe dictis ingentes ſaxorum moles, veſtigia ad noſtram ætatem pervenerunt. „ Hic loci Lazius memoria lapſus eſt: nam antea eosdem arcus ab Imperatore Conſtantio excitatos fuiſſe ſcripſerat; idque rectius. Reipſa enim de Conſtantio Juniore, non de Juliano intelligendus eſt Ammianus Marcellinus l. cit. hæc referens: *Ut autem in externis bellis hic Princeps fuit ſaucius & adflictus; ita proſpere ſuccedentibus pugnis civilibus tumidus, & inteſtinis ulceribus reipublicæ ſanie perfuſus horrenda: quo pravo propoſito magis quam recto vel uſitato triumphales Arcus ex clade provinciarum ſumptibus magnis erexit in Galliis & Pannoniis, titulis geſtorum adfixis - - - ſe quoad ſtare poterunt monumenta lecturis.*

At vero in nullis hactenus lapidum Sabarienſium inſcriptionibus reperti ſunt tituli nomenve *Conſtantii* Cæſaris: quamobrem ipſe malim exiſtimare, columnas, de quibus agimus, ad Arcus *Domitiani Auguſti* pertinuiſſe. Supra enim vidimus in geminis lapidibus conſuetos hujus Principis titulos eraſo licet nomine. De ambitione autem & faſtu *Domitiani* ita ſcribit Suetonius: *Janos Arcusque cum quadrigis & inſignibus triumphorum per regiones urbis, tantos, ac tot exſtruit, ut quidam Arcui græce inſcriptum ſit* ἀρκεῖ. Præterea Caſſius Dio narrat: *Domitianum* ſuſcepto adverſus Dacos, & Marcomannos bello in *Pannoniam* veniſſe, ac, licet ab iis victus eſſet, nihilominus triumphaſſe. Hujus ergo triumphi Romæ celebrati occaſione fieri poteſt, ut Domitiano Sabariæ in Pannonia erectus fuerit arcus, mox poſt illius cædem diruendus. *Tot enim*, ait Dio, *ac tanta ei decreta ſunt, ut omnem fere orbem terrarum, qui ſub ditione ejus erat, imagines ejus & ſtatuæ aureæ juxta, atque argenteæ replerent*, Cæterum quis eſt, qui pro certo adfirmare auſit, columnas has pro Arcu triumphali veriſimilius, quam pro Porticu templi, aut theatri, adhibitas fuiſſe?

Comes *Marſilius* T. II. operis ſupra laudati *Tab.* 39. tria fragmenta idgenus columnarum Sabarienſium æri inciſa repræſentat. *Jordan* tertium fragmentum jam pro fulcro Statuæ SS. Trinitatis applicitum fuiſſe prodit, lib. ſupr. cit.

Tabula XII. ſiſtit truncum corporis Statuæ coloſſalis ex marmore candido. Pectus ægide munitum, & ſtola muliebris manifeſtat *Minervam.* Hæc belli & ſcientiarum Præſes apud gentiles Romanos primum inter Deas locum tenuit, ipſique Junoni a dextris locari ſolebat. Imperator *Domitianus*, cujus paullo antea meminimus, hanc Deam peculiari cultu proſequebatur, nam & Quinquatria in ejus honorem inſtituit, & illius effigie numos quamplurimos ſignavit: unde conjectare licet, hanc Statuam, illo imperante, factam, & Sabariæ in ejusdem Deæ fano locatam fuiſſe.


---

x) Lazius Lib. 12. de Republ. Rom. ſect. 3. cap. 2.



Jac. Schmuzer fec. Fischer ad Nat. del.

Sabariæ in nova Arce Epiſcopali



Jac. Schmuzer fec.


Fiſcher. ad Nat. del.

1 2 3 Schuh

Sabariæ in Diverſario Epiſcopli




Sabariæ in Nova Arce Episcopali.




Fischer ad Natm. del. L. Maillard sc.

1 2 3 4 Schuch

Sabariæ in nova arce Episcopali.




Sabariæ in nova Arce Episcopali




Fischer. ad Nat.m del.

L. Maillard ſc.


Sabariæ in Domo Georgii Völgyi Civis Sabarienſis.



Sabariæ in nova Arce Epiſcopali.



Jac. Schmuzer fe:



Jac. Schmuzer. fc.

Fischer ad Nat. del.

Sabariæ in nova Arce Epiſcopali



Sabariæ in Nova Arcæ Episcopali.

Tabula XIII. Corpus nudum viri ex marmore candido, manibus, pedibusque, & capite truncatum, magnitudine pariter coloſſali. Herculis id erat ſimulacrum, uti toroſus, ac lacertoſus corporis truncus, & ex humero ſiniſtro defluens lacinia pellis leoninæ oſtendit. Herculem Sabariæ cultum fuiſſe, teſtatur Inſcriptio lapidis Sabarienſis, *cap. VII. N.* 4. relata, quæ incipit HERC. AVG.

Tabula XIV. Lapis in modum pyramidis ſectus, in quo duæ figuræ exſculptæ; una exhibens larvam, altera puellam cymbala concutientem. Pertinet fortean ad reliquias theatri Sabarienſis, cujus fit mentio apud Ammianum Marcellinum, & in Actis Sancti Quirini Martyris.

Tabula XV. Lapis quadratus, in quo Anubis, ſeu Cynocephalus repræſentatur inter duo alia Numina medius, Iſidemne, & Serapidem? an Hygiæam & Aeſculapium dicam? incertus hæreo. Anaglypha ſtylum Etruſcum ſapiunt.

Tabula XVI. Fragmentum antiquæ cujusdam trabeationis.

Tabula XVII. Tria fragmina vetuſtorum lapidum, unum ex ingente columna cylindrica: alterum, in quo figura mulieris decumbentis: tertium, in quo folia, & flores, binæque aves exſculptæ.

Tabula XVIII. Baſis graduata operis antiqui ex lapide.

Tabula XIV. Suggeſtus quidam lapideus, in cujus latere peregrina quædam avis, & ſerpens exprimitur.

Tabula XX. Duo fragmina Statuarum coloſſalium, ſtolæ muliebris, ut videtur, partem exhibentia.

Hæc etiamnum ſuperſunt; ſed multo plura interierunt. Periit monumentum ſepulcrale exulis Poëtæ Ovidii Naſonis, quod Sabariæ anno 1508. inventum narrant Lazius, Bruschius, aliique. Id quale fuerit, quidve de Ovidii Epitaphio, inter Sabarienſes inſcriptiones referri ſolito, tenendum ſit, Lib. III. Cap. II. hujus Operis exponetur. Perierunt lucernæ ſepulcrales, quarum iidem Auctores meminerunt. Corruptum jam eſt, ac nimia vetuſtate conſumptum pavimentum operis Muſivi, quod Sabariæ anno 1780. effoſſum ipſemet conſpexeram. Conſtabat illud e lapillis teſſellatis varii coloris, inter ſe nexis, & coagmentatis in modum picturæ, multiplices flores, & peregrinæ cujusdam avis imaginem exhibentis. Interruptus jam eſt, deſtructusque longiſſimus ille canalis ſubterraneus, per quem veteres Romani limpidiſſimas aquas ex fontibus montium Rohonczienſium uſque Sabariam corrivabant. Vir quidam fide digniſſimus mihi adfirmabat, viſum a ſe membranaceum Codicem, vetuſtis characteribus exaratum, absque nomine Auctoris, in quo Sabarienſis Aquæductus, Silanique Dianæ ſacri fit mentio. Nec dubium, quin Romani coloniam ſuam *Sabariam*, quam Pannoniæ ſuperioris metropolim, Præſidumque ſedem eſſe voluerunt, variis, iisque magnificis operibus publicis, puta: baſilicis, porticibus, balineis, theatris, aliisque ædificiis exornaverint, quorum hodie vix tenuiſſima ſuperſunt veſtigia.

CAPUT X.

Numi veteres Sabariæ reperti.

Ex Numis veteribus, qui Sabariæ inventi fuere, Illuſtriſſimus D. Joannes Szily Epiſcopus Sabarienſis poſſidet ſequentes *y*):

Octaviani Auguſti. DIVVS AVGVSTVS PATER. Caput nudum Auguſti.
PROVIDENT. S. C. Templum Providentiæ. Æ. II.

Marci Agrippæ Conſulis. M. AGRIPPA L. F. COS. II. Caput Agrippæ corona roſtrata cinctum.
S. C. Stans Neptunus d. delphinum, ſ. tridentem tenet. Æ. II.

Imp. Tiberii. IMP. TI. CAESAR DIVI. F. AVGVSTVS. Caput laureatum.
TRIBVNICIAE POT - - in medio S. C. Æ. II.

Caji Caligulæ. C. CAESAR AVG. GERMANICVS PONT. MAX. TR. POT. in area S. C.
NERO ET DRVSVS CAESARES. Eques uterque. Æ. II.

Ti Claudii. TI. CLAVDIVS CAESAR P. M. TR. P. IMP. Caput laureatum.
Epigraphe detrita. In area duplex cornucopiæ. Æ. I.

Neronis. NERO CLAVDIVS CAESAR AVG. GERMANIC. Caput corona radiata cinctum.
PONTIF. MAX. TRIB. POTEST. IMP. PP. S. C. Nero ſtolatus gradiens cum lyra. Æ. II.

Titi Veſpaſiani. Epigraphe detrita. Caput radiatum Titi.
ROMA VICTRIX. S. C. Genius Romæ Galeatæ armis inſidens. Æ. II.

Domitiani. IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS. XI. CENS. PER. PP. Caput laureatum.
S. C. VIRTVTI. Figura militaris ſtans d. haſtam, ſ. parazonium. Æ. II.

2. - - IMP. CAES. DOMIT. AVG - - P. M. TR. P. XI. Caput laureatum.
IMP. XXII. COS. VII. CENS. P. PP. Pallas navi inſiſtens, ac d. jaculum vibrans, ſ. clypeum tenens; ad pedes noctua. AR.

Nervæ. IMP. CAES. NERVA AVG. P. M. TR. P. COS. III. PP. Caput laureatum.
LIBERTAS. SC. Mulier ſtans d. pileum. Æ. I.

---

y) Compendii cauſa Æ. I. II. III. notat Numum æreum primi, ſecundi, tertii moduli. AR. argenteum denarium. d. dextram, ſ. ſiniſtram.

Trajani. IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GERM - - Caput laureatum.
Epigraphe detrita. SC. Mulier ſedens. Æ. I.

2. - - Epigraphe detrita. Caput laureatum Trajani.
S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. S. C. Typus conſuetus Spei; nempe mulier ſtans d. florem tenet, ſ. laciniam ſuæ ſtolæ ſublevat. Æ. II.

Hadriani. HADRIANVS AVGVSTVS. Caput laureatum.
COS. II. Victoria ſedens. AR.

2. - - IMP. CAES. TRAIAN. HADRIANVS AVG. Caput laureatum.
P. M. TR. P. COS. III. Mars gradivus d. haſtam transverſam, ſ. trophæum in humero. AR.

3. - - IMP. CAES. TRAIAN. HADRIANVS AVG. Caput radiatum.
VIRTVTI AVG. S. C. Miles ſtans galeatus d. haſtam, ſ. parazonium. Æ. II.

4. - - HADRIANVS AVG. Caput laureatum.
COS. III. PP. S. C. Imperator ſtans paludatus d. elevata, ſ. cornucopiæ. Æ. II.

5. - - HADRIANVS AVG. Caput laureatum.
SALVS AVGVSTI. COS. III. S. C. Mulier ſtans d. pateram, ex qua ſerpentem ab arula adſurgentem paſcit. Æ. II.

6. - - Epigraphe detrita. Caput Hadriani laureatum.
Detrita epigraphe. Mulier ſedens cum patera. Æ. II.

Sabinæ Auguſtæ. SABINA AVG. Caput ejusdem.
Epigraphe detrita. Mulier ſtans d. cornucopiæ. Æ. II.

M. Aurel. Antonini. IMP. M. ANTONINVS AVG. Caput laureatum.
CONCORD. AVG. TR. P. XVII. COS. III. Mulier ſedens d. pateram, ſ. cornucopiæ. AR.

2. - - M. ANTONINVS AVG. GERM. SARMATICVS. Caput laureatum.
CLEMENTIA AVG. TR. P. XXX. IMP. VIII. COS. III. S. C. Mulier ſtans d. pateram, ſ. haſtam. Æ. I.

3. - - M. ANTONINVS AVG. GERM. SARM. P. M. TR. P. XXXI. Caput laureatum.
IMP. VIII. COS. III. PP. SC. Fulmen alis inſtructum. Æ. II.

Fauſtinæ Junioris. FAVSTINA AVGVSTA. Caput ejusdem.
Epigraphe detrita. Cybele capite turrito, & cum tympano. Æ. I.

2. - - DIVA AVG. FAVSTINA. Caput ejusdem.
S. C. Rogus. Æ. I.

Septimii Severi. SEPT. SEV. PERT. AVG. DIVI PII. N. Caput laureatum.
DIVI M. PII. F. P. M. TR. P. III. COS. II. PP. SC. Mulier ſtans d. caduceum, ſ. cornucopiæ. Æ. I.

Antonini Elagabali. IMP. ANTONINVS PIVS AVG. Caput laureatum Elagabali.
P. M. TR. P - - COS. III. PP. Mulier ſtans ad arulam cum patera, & cornucopiæ: in area ſtellula. AR.

2. - - IMP. ANTONINVS PIVS AVG. Caput Elagabali laureatum.
PAX AVGVSTI S. C. Mulier ſtans cum ramo olivæ. Æ. III.

Severi Alexandri. IMP. C. M. AVR. SEV. ALEXAND. AVG. Caput laureatum.
P. M. TR. P. III. COS. PP. Jupiter ſtans d. fulmen, ſ. haſtam. AR.

2. - - Eadem inſcriptio, & caput.
PAX AVG. Mulier ſtans cum ramo olivæ. AR.

3. - - Inſcriptio, & caput, uti ſupra.
SALVS AVG. Mulier ſedens d. pateram tenet, ex qua ſerpentem ab arula adſurgentem paſcit. Æ. III.

Gordiani Pii. IMP. GORDIANVS PIVS FEL. AVG. Caput laureatum.
P. M. TR. P. V. COS. II. PP. SC. Imperator ſtans d. haſtam transverſam, ſ. globum tenet. Æ. I.

Valeriani Senioris. IMP. LIC. VALERIANO AVG. Caput laureatum.
P. M. S. COL. VIM. AN. XIV. id eſt: *Provinciæ Mœſiæ Superioris Colonia Viminacium Anno XIV.* Mulier ſtans inter taurum, & leonem. Æ. II.

Claudii Gothici. IMP. C. CLAVDIVS AVG. Caput radiatum.
ANNONA AVG. Mulier ſtans d. ſpicas, ſ. cornucopiæ. Æ. III.

2. - - CLAVDIVS AVG. COS. III. PP. Caput radiatum.
SALVS AVG. Mulier ſtans paſcit ſerpentem. Æ. III.

Aureliani. IMP. C. AVRELIANVS AVG. Caput radiatum.
VIRTVS AVG. Hercules ſtans cum clava. Æ. III.

Aurelii Probi. IMP. C. M. AVR. PROBVS P. F. AVG. Protome Probi capite radiato, cum paludamento, & ſceptro aquiligero conſulari.
VIRTVS AVG. Tropæum adſidente captivo, & adſtante Imperatore d. elata, ſ. haſtam. Æ. III.

2. - - IMP. C. M. AVR. PROBVS P. F. AVG. Caput galeatum pectore tenus, cum haſta, & clypeo.
ROMAE AETERNAE. Templum. Æ. III.

Liciniani Licinii. IMP. LIC. LICINIVS P. F. AVG. Caput laureatum.
IOVI CONSERVATORI. Jupiter ſtans d. fulmen, ſ. haſtam, adſtante aquila. Infra: SIS. id eſt, *Siſciæ.* Æ. II.

Conſtantini Magni. IMP. CONSTANTINVS P. F. AVG. Caput diadematum.
SOLI INVICTO COMITI. Sol nudus ſtans d. elata, ſ. globum. In area ſtellula: in exergo ΔSIS. Æ. III.

2. - - Epi-

2. - - Epigraphe ut ſupra. Caput Conſtantini M. diademate cinctum.
IOVI CONSERVATORI. Jupiter ſtans d. globum cum inſiſtente victoriola, ſ. haſtam: in area Γ. in exergo SIS. Æ. III.

3. - - CONSTANTINVS MAX. AVG. Caput revinctum diademate.
GLORIA EXERCITVS. Duo labara inter duos milites. In exergo: SANE: id eſt, *Signatus Antiochiæ officina quinta.* Æ. III.

4. - - Epigraphe, Caputque Conſtantini Maximi, ut ſupra.
GLORIA EXERCITVS. Labarum monogrammate Chriſti inſignitum inter duos milites. In exergo: SIS. *Siſciæ.* Æ. III.

5. - - CONSTANTINVS AVG. Caput diadematum.
Circa lauream: DN. CONSTANTINI MAX. AVG. intra lauream vero VOT. XX. id eſt, Votis Vicennalibus. Æ. III.

6. - - Epigraphe Caputque, ut in præcedente.
PROVIDENTIAE AVG. Porta Caſtrorum. Æ. III.

Numuli aliquot *urbis Romæ* ſub Conſtantino M. ſignati ſic habent:
VRBS ROMA. Caput Romæ galeatum.
Nulla Epigraphe. Lupa lactans gemellos. Æ. III.

Criſpi Cæſaris. IVL. CRISPVS NOB. C. id eſt, *Nobiliſſimus Cæſar.* Caput laureatum.
VOT. X. intra lauream: circa hanc vero: CAESARVM NOSTRORVM. In exergo: ASIS. id eſt, *officina prima Siſciæ.* Æ. III.

Conſtantii Junioris. CONSTANTINVS IVN. NOB. C. Caput laureatum.
PROVIDENTIAE CAESS. Caſtra Prætoria. Æ. III.

Conſtantis. CONSTANS P. F. AVG. Caput diadematum.
FEL. TEMP. REPARATIO. Imperator ſtans paludatus, clypeoque munitus, barbarum cum equo prolapſum haſta confodit. Æ. II.

2. - - CONSTANS P. F. AVG. Caput diadematum.
VICTORIAE LAETAE. Duæ Victoriæ tenentes ſuper baſi clypeum, cui VOT. PR. inſcriptum. Æ. III.

Conſtantii Junioris. DN. CONSTANTIVS P. F. AVG. Caput revinctum diademate.
FIDES MILITVM. Miles inter duo labara monogrammate Chriſti ſignata. Infra: ASIS. id eſt: *officina prima Siſciæ.* Æ. II.

2. - - FL. IVL. CONSTANTIVS P. F. AVG. Caput diadematum.
FEL. TEMP. REPARATIO. Imperator paludatus inſiſtens navi d. Victoriolam, ſ. labarum monogrammate Chriſti conſpicuum tenet, adclavum ſedente Victoria. Infra: SIS. Æ. III.

Item alii multi Numi ærei ejusdem Conſtantii, in quibus parte averſa epigraphe eſt: CONCORDIA MILITVM. vel GLORIA EXERCITVS. vel GLORIA ROMANORVM. &c.

Magnentii Tyranni. DN. MAGNENTIVS P. F. AVG. Caput nudum.
GLORIA ROMANORVM. Imperator paludatus d. Victoriolam, ſ. labarum cum monogrammate Chriſti; d. pede captivum barbarum conculcat, altero barbaro genuflexo. In area A. infra AQP., id eſt, *Aquilejæ Percuſſa* moneta. Æ. II.

Juliani Apoſtatæ. DN. CL. IVLIANVS P. F. AVG. Caput diadematum.
VICTORIA DN. AVG. Victoria ſtans d. ſertum, ſ. palmam tenet. Infra LVG. id eſt, *Lugduni.* AR.

Valentiniani. DN. VALENTINIANVS P. F. AVG. Caput diadematum.
GLORIA ROMANORVM. Victoria gradiens. Infra. SIS. Æ. III.

Valentis. D. N. VALENS P. F. AVG. Caput diadematum.
SECVRITAS REIPVBLICAE. Victoria gradiens. Infra: SIRM. id eſt, *Sirmii.* Æ. III.

Gratiani. DN. GRATIANVS P. F. AVG. Caput diadematum.
GLORIA ROMANORVM. Imperator paludatus d. captivum crinibus prehenſum rapit, ſ. labarum monogrammate Chriſti inſignitum tenet. Infra: SISC. Æ. III.

Præter hos, aliosque ejusdem ævi Numos Romanos adſunt in eadem collectione etiam Numi barbari iſthic inventi, mole craſſiuſcula, argentei, parte adverſa Caput humanum, averſa Equum rudiſſime expreſſum, referentes, absque omni inſcriptione. Gothorumne, an Hunnorum ea ſuerit moneta? haud facile quisquam determinaverit.

Cum *Sabariæ* eſſem, complures Numos veteres romani commatis, iſthic repertos, alii quoque mihi exhibuerunt, æreos potiſſimum, pauciores argenteos, nonnullos tamen aureos etiam, ut *Valentiniani* cum obvia inſcriptione: VICTORIA AVGG. Nullum tamen vidi, qui *Coloniæ Claudiæ Sabariæ* nomine inſcriptus eſſet. Unde facile intelliget Lector, quænam fides habenda ſit illi, qui tales iſthic frequenter inveniri adfirmat. De Numo Goltziano, COL. SABARIA CLAVDIANA AVG. inſcripto, jam ſupra dictum eſt.

HISTORIAE SABARIENSIS
LIBER SECUNDUS.
DE
BOJIS AGRI SABARIENSIS ANTE ROMANOS COLONIS.

CAPUT I.

De primo Bojorum in Pannoniam adventu variae auctorum ſententiae. Sexto ante Chriſtum ſæculo e Galliis veniſſe adſeruntur.

PRÆMISSA monumentorum, quæ *Sabariæ* antiquitatem commendant, deſcriptione, nunc rerum *Sabarienſium* origines, fata, viciſſitudines, & alia memoratu digna enarrare aggredior. Principium mihi a *Bojis*, agri *Sabarienſis* ante Romanos colonis. De primo horum in Pannoniam adventu variæ ſunt, ut in re pervetuſta, opiniones Auctorum. Quidam enim *Bojos* una cum Scordiſcis, ac Tauriſcis a prima ætate, ad quam hiſtoriarum monumenta non pertingunt, iſthic habitaſſe, ideoque Pannoniæ aborigines, & αὐτοχθονας fuiſſe arbitrantur. Hanc ſententiam præter alios tuetur Simon *Pellouterius* cum in hiſtoria ſua de Celtis, tum in Diſſertatione de Republica Galatarum *a*) : nec aliud voluiſſe videntur *Aventinus*, & *Lazius*, qui *Bojos* ex Armenia primis mox ab univerſali Cataclyſmo temporibus in has terras accerſunt *b*). Verum alii eosdem e Galliis huc migraſſe ſcribunt, non uno tamen tempore, nec uno itinere, aut modo: nam *Wernsdorffius* id factum autumat ſexto jam ante Chriſti natalem ſæculo, cum ſcilicet manus quædam Gallorum, *Belloveſum* in Italiam ſequentium, iter ſuum

---

a) *Pelloutier* l'hiſtoire des Celtes L. 1. p. 51.

b) *Aventinus* L. I. Annal. Bojor. c. 3. n. 8. Lazius L. 7. de gentium migrat. p. 281.

in Illyricum, & Pannoniam avertit *c*). Ex adverſo Marcus *Velſerus*, & *Mezeræus* cenſent, *Bojos* haud prius, quam occaſione expeditionis Delphicæ, quæ tertio ante Chriſtum ſæculo contigerat, partem Pannoniæ occupaſſe; ortos nimirum ex illis, qui duce *Sigoveſo* e Gallia quondam profecti, regionem intra hercynios Germaniæ ſaltus poſitam, & ex ipſorum poſtea nomine *Bojohemum* nuncupatam, incoluere *d*). In idem fere tempus conſentit Sigiſmundus *Calles*, cum hoc tamen diſcrimine, quod is reliquas etiam gentes gallicas tum primum ex Italia, Gallia, & Bojohemo in Pannoniam ſe diffudiſſe malit *e*). Demum *Schönlebenius* negat ullos *Bojos* in Pannonia prius conſediſſe, quam adveniſſent, qui a Romanis ex Italia ejecti fuere: id quod ſerius adhuc acciderat *f*).

Spectatis tamen Veterum teſtimoniis, veriſimilius eſt, originem *Bojorum Pannoniorum* a prima *Celtarum* migratione repeti oportere. Migrationis hujus tempus, cauſa, auctor, duces præcipui, modusque partim e *Livio*, partim e *Juſtino*, Pompeji Trogi epitomatore, colligi poteſt. Nempe, *Tarquinio Priſco* Romæ regnante, annis ducentis ante Cluſium per Gallos oppugnatum, urbemque Romam captam, id eſt, anno ante Chriſtum 589., *Ambigatus* Rex *Celtici*, exonerare prægravante turba regnum cupiens trecenta millia hominum ad ſedes novas quærendas velut ver ſacrum emiſerat *g*). *Celtici* autem tunc nomine, quod poſtea latiſſime patuit, intelligebatur pars tertia Galliarum, teſte Livio *h*), ſeu Gallia Narbonenſis, uti Strabo perhibet *i*). Principes expeditionis duces fuere *Belloveſus*, & *Sigoveſus*, Regis *Ambigati* e ſorore nepotes, impigri juvenes. Ille ſuos in Italiam, hic ad hercynios Germaniæ ſaltus, capto augurio, deduxere. Quædam tamen portio ab illis avulſa Illyricos ſinus per ſtrages barbarorum penetravit, & in Pannonia, atteſtante *Juſtino*, conſedit. *Gens aſpera, audax, bellicoſa, quæ prima poſt Herculem, cui ea res virtutis admirationem, & immortalitatis fidem dedit, Alpium invicta juga, & frigore intractabilia loca tranſcendit k*). In prima hac migratione fuerunt varii nominis gentes gallicæ, ut Bituriges, Arverni, Hedui, Ambarri, Carnutes, Aulerci, Cænomani, Lingones; maximo tamen numero Senones, Tectoſagi, & *Boji*. Itaque ex *Bojis* alii in Italia circa Padum agros Etruſcorum, & Umbrorum occuparunt; alii in Germania ad fontes Albis fluvii conſederunt, ac regioni nomen *Bojohemi* dederunt;

c) *Wernsdorff* de Rep. Galat. p. 102.

d) *Velſerus* L. 2. Rer. Boic. p. 57. Mezeray l'hiſtoire de France avant Clovis L. 1. p. 8.

e) *Calles* P. I. Annal. Auſtr. p. 2. & T. I. Annal. Eccl. Germ. in Notit. prævia Rer. Germ. p. 3.

f) *Schönleben* P. II. Annal. Carniol. p. 69.

g) *Livius* Lib. 5. cap. 19. *Juſtinus* lib. 24. cap. 4.

h) L. ſupr. cit.

i) Geogr. lib. 4. p. m. 205.

k) L. cit.

alii denique in Pannonia contiguum Noricis terræ tractum ſibi vendicarunt, pulſis vetuſtioribus incolis. Cujusnam hi nominis fuerint, altum eſt in hiſtoria ſilentium. *Savaros* quidam, *Vindosque* fuiſſe arbitrantur, hac ſola ducti ratione, quod in hac Pannoniæ parte fuerint amnes quidam vetuſtiſſimis temporibus *Savariæ*, & *Vindi* nomine adpellati.

Ceterum a tempore celticæ hujus migrationis uſque ad expeditionem Delphicam per tria prope ſæcula vix quidquam de novis hiſce Pannoniæ colonis apud priſcos auctores reperitur. Sane *Juſtinus* omne hoc temporis intervallum unica hac propoſitione: *ibi domitis Pannoniis per multos annos varia bella geſſerunt*: abſolvit *l*). Neque id mirum: nam, ſi *Diodoro Siculo* fides, Galli harum partium non prius, quam ſub *Alexandro Magno* (regnavit is in Macedonia ab anno ante Chriſtum 336. ad 324.) Græcis, qui fere ſoli ea tempeſtate res geſtas literis mandabant, innoteſcere cœperunt *m*). Innotuere autem binis legationibus, quibus *Alexandrum Magnum* fama tanti Regis permoti, honorarunt: una ſcilicet, cum ille Thracibus, Triballis, Getisque ſuperatis caſtra ad Iſtrum metaretur; altera vero, dum Perſis debellatis, Indisque domitis, Babylone ſubſiſteret. Priorem legationem *Strabo* deſcribens: *In hac*, inquit, *expeditione, ut Ptolemæus Lagi filius perhibet, Celtæ, qui ad Adriam incolebant, amicitiæ, & hoſpitii jungendi cauſa Alexandrum convenerunt. Quos Rex comiter acceptos inter pocula interrogavit; ecquidnam eſſet, quod maxime pertimeſcerent? ratus dicturos, ipſum. At illi reſpoſuere, nihil a ſe timeri. niſi forte ne quando cœlum in ipſos ruat: interea tamen ſe tanti viri amicitiam plurimi facere n*). Hos Celtas *Adelzreiter* adfirmat fuiſſe *Bojos o*): ſed *Schönlebenius* mavult *Japydes*, gentem quidem gallicam Illyriis permixtam, incertum tamen an *boici* generis *p*). Erant *Japydes* eo tempore ſub Albio monte, qui finis fuit Alpium, admodum alto, ac partim ad Adriam; partim ad Pannonios, & ad Iſtrum pertingebant, ut rurſum auctor eſt *Strabo q*). At manifeſtius eſt, alteram legationem a Gallis Pannoniis, quos inter *Boji* tunc erant potentiſſimi, fuiſſe miſſam. Ita enim *Diodorus*: *ex Europa*, inquit, *Græcorum civitates, & Macedones, tum Illyrii, & plerique Adriæ accolæ, Thracumque gentes, & his finitimi Galatæ, quorum gens tunc primum innoteſcere Græcis cœpit. Hi omnes legatos* (Babylonem ad Alexandrum) *miſerunt r*). Nam, qui Galatæ iſthic memorantur, ab Adriæ accolis

l) Ibidem.

m) *Diodor. Sicul.* Lib. 17. p. m. 901.

n) *Strabo* Geogr. Lib. 7. p. 742.

o) P. I. Annal. Boic. L. 1. n. 31.

p) P. II. Annal. Carniol. p. 58.

q) L. ſupr. cit.

r) L. cit. p. 902.

diſtincti, Thracumque gentibus finitimi, hi procul dubio erant *Galli Pannonii*, ex quibus poſtea, quemadmodum ſuo dicetur loco, orti fuere Galatæ Aſiatici, atque hos inter *Toliſtoboji* e noſtris *Bojis* profecti. Quod, quem in modum evenerit, mox enarrabimus: antea tamen nonnullas, quas in vicinos Thraces, Macedones, aliosque Græcos ſuſcepere expeditiones, deſcribere libet.

CAPUT II.

De præcipuis Gallorum Pannoniorum expeditionibus: ac de origine Boicorum in Pannonia Deſertorum.

PAUCI ab obitu *Alexandri Magni* effluxere anni, cum Galli Pannonii primum Thracas finitimos duce *Cambaule* prædabundi invaſerunt, nondum auſi laceſſere Græcos, quod minoribus, quam oportebat, copiis egreſſi eſſent *s*). At paullo poſt his ipſis, qui *Cambaulem* ſecuti redierant, incitantibus, cunctos majorum expeditionum invaſit cupiditas. Itaque re in conventibus circiter anno ante Chriſtum 280. deliberata, primum duces deligere placuit. Nec enim uni omnes Regi parebant, ſed liberæ cujusdam Reipublicæ tenebant formam. Delecti ſunt, qui majores copias ductarent, *Brennus* cognomine *Prauſus*, ab illo, qui centum abhinc circiter annis Romam ceperat, diverſus; tum *Belgius*, & *Cerethius*. His additi dignitate proximi, & copiis paullo minoribus præfecti, *Acichorius*, *Emanus*, *Theſſalorus*, *Commontorius*, & *Lutarius t*). *Brennus* cum *Acichorio* hac vice in Pœonas, Macedonibus contiguos; *Cerethius* in Triballos; at *Belgius* majore longe gloria in Macedones movit. Rex tunc Macedonum erat *Ptolemæus*, ob audaciam *Ceraunus*, id eſt fulmen, dictus, cædibus cognatorum infamis. Trepidantibus aliis, pacemque ingenti pecunia mercantibus, ipſe ſolus adventum Gallorum Pannoniorum intrepidus audivit, fuitque tanta temeritate, ut Dardanorum legationem viginti millia armatorum in auxilium offerentem ſperneret: *Actum de Macedonia dicens, ſi cum totum orientem ſoli domuerint, nunc in vindictam finium Dardanis egeant. Milites ſe habere filios eorum, qui ſub Alexandro ſtipendia toto orbe terrarum victores fecerint.* Quo audito, *Rex Dardanorum dixiſſe fertur; brevi inclytum illud Macedoniæ regnum immatura juvenis temeritate caſurum u*).

---

s) *Pauſanias* de florentiſſimis Græciæ regionib. L. X. *in Phocycis* p. 750.
t) Collecta ſunt hæc nomina ex Livio Lib. 8. c. 11. e Juſtino L. 24. & ex Panſanía L. cit.
u) *Juſtinus* Lib. ſupr. cit.

Interea *Belgius* legatos ad *Ptolemæum* præmittit, offerentes pacem, ſi emere velit. Cum nihil profeciſſent, haud multo poſt conferitur atrox prælium, Macedones cæduntur: Rex Ptolemæus multis ſaucius vulneribus capitur: caput ejus amputatum, & lancea fixum ad hoſtium terrorem tota circumfertur acie. Paucos e Macedonibus fuga ſervavit: ceteri aut capti, aut occiſi. Deſperantibus omnibus unus tamen e Macedonum Principibus *Soſthenes* ſaluti fuit, qui contracta celeriter juventute, Gallos victoria exultantes, & ad prædam converſos utcunque compeſcuit, excuſſisque magnam partem ſpoliis in Pannoniam reverti coëgit *x*). Hi Galli reduces poſtmodum ex nomine ſui Ducis *Belgites* adpellati ſunt, eoque nomine adhuc a Plinio inter Pannoniæ populos recenſentur *y*). At *Brennus* hac ſuorum victoria, duce *Belgio* reportata, partim lætus, partim excuſſam ipſis opimam prædam indignatus, non deſinebat modo publice univerſos conventus, modo Principes Gallorum ad novam in Græcos expeditionem ſollicitare: cumque, ut ſcribit Pauſanias, identidem repeteret, Græcos non ea eſſe amplius, qua fuerint antea virtute, ſed facile vinci poſſe; cumque ingentes Græcarum civitatum pecunias, donaria templorum, ac elaborati argenti, aurique vim prope immenſam commemoraret, effecit denique, ut ad invadendam Græciam novas, easque longe ampliores copias decernerent *z*).

In hanc igitur jam tertiam expeditionem dederunt nomina peditum centum et quinquaginta millia, equitum autem vicies mille, et quadringenti. Immo verior equitum numerus fuere ſupra ſexaginta millia, amplius mille ac ducenti. Etenim ſingulos equites famuli ſequebantur duo in equis et ipſi, et artium equeſtrium gnariſſimi. Hi præliantibus dominis extrema in acie conſiſtebant, eumque in uſum erant, ut, ſi forte equus domini eſſet amiſſus, illico ſuum ei ſubmitterent; ſi dominus cecidiſſet, ſervus in ejus locum ſuccederet: quod ſi utrumque belli impetus evertiſſet, jam præſto tertius erat, qui pro demortuis locum teneret: ſi vulnera herus accepiſſet, e ſervis alter ex acie illum ſubducebat, alter ſaucii vicem obibat. Hanc equeſtris pugnæ rationem *Trimarciſiam* vocabant. *Marca* enim, vel *Marha* eorum lingua *Equum* notabat *a*).

Hoc adparatu Galli noſtri, inque his Boji Sabarienſes, Brenno duce, ad Jonium mare converſi, adjunctis ſibi ceteris gallicæ originis gentibus, quæ Adriam, ſinumque Jonicum accolebant, confeſtim omnes alios Illyrici populos, et quicquid aliarum gentium ad macedonicum usque nomen patebat, quin et ipſos iterum Macedones, fugato *Soſthene*, oppreſſere. Inde facto in Theſſaliam impetu, mox Phocydem infeſti petunt, Delphos, et opulentiſſimum Apollinis fanum expilaturi.

---

x) *Juſtinus* l. cit.

y) Plinius hiſt. nat. L. 3. c. 25.

z) *Pauſanias* Lib. ſupr. cit.

a) Idem l. cit.

Verum Delphica hæc expeditio inſigni tandem Gallorum noſtrorum ſtrage terminata eſt. *Nam pugnæ dum crebræ committuntur*, ait Diodorus Siculus, *myriadibus ibi aliquot deſideratis, ipſi etiam Brenno vulnera infliguntur. Moriturus igitur convocato ſuorum agmine ad Galatas verba fecit, iisque conſilium dedit, ut tam ipſum, quam vulneratos univerſos interficerent, crematisque plauſtris expediti domum redirent, et Cychorium* (al. *Acichorium*) *ſibi regem conſtituerent. Hoc dicto cum ſeſe mero ingurgitaſſet, vitam ſibi ferro abrupit. Quo tumulato confeſtim Cychorius ſaucios, et a tempeſtate, fameque ægre habentes ad XX millia trucidavit, cum reliquis autem iter domum inivit, perſequentibus eum Græcis. Ad Thermopylas dein progreſſi Galli alia XX millia defectu alimentorum amittunt. Dardanorum poſtremo regionem peragrantes univerſi pereunt, ita ut ne unus quidem domum redierit b).*

Paullo aliter eandem cladem deſcribunt *Juſtinus*, et *Pauſanias c*): ambo tamen ultra veri modum. Non enim credibile eſt, univerſum *Brenni* exercitum hac expeditione ita funditus periiſſe, ut, quod illi ajunt, ne nuncius quidem tantæ cladis ſuperfuerit. Certe ipſe *Juſtinus* hac in re ſibi adverſatur, cum alibi hæc ſcribat: *Galli bello adverſus Delphos infeliciter geſto, in quo majorem vim numinis, quam hoſtium ſenſere, amiſſo Brenno duce pars in Aſiam, pars in Thraciam extorres fugerunt. Inde per eadem veſtigia, qua venerant, antiquam patriam repetivere. Ex his manus quædam in confluente Danubii & Savi conſedit, Scordiscosque ſeſe adpellari voluit. Tectoſagi autem cum in antiquam patriam Tholoſam veniſſent, comprehenſique peſtifera lue eſſent, non prius ſanitatem recuperavere, quam aruſpicum reſponſis moniti aurum argentumque bellis ſacrilegiisque quæſitum in Tholoſatenſem lacum mergerent. - - - Ex gente Tectoſagorum non mediocris populus prædæ dulcedine captus Illyricum repetivit, ſpoliatisque Iſtris in Pannonia conſedit c*). Juſtino, quoad Scordiſcos concordat *Athenæus* hiſce verbis: *Ex Gallis, qui Cordiſtæ* (Scordici) *adpellantur, in ſuam regionem aurum non admittunt, ſed cum alienum depopulantur, non relinquunt intactum. Eſt vero ea gens ex reliquiis eorum, qui cum Brenno duce adverſus fanum Delphicum militarunt. Bathanatius quidam deduxit eos ad ripam Iſtri, unde & ipſa via, qua proceſſerunt, Bathanati dicitur d*). Accedit *Polybius*, auctor illis temporibus longe propior, qui diſerte tradit; haud paucos Gallorum e Delphica clade ſuperſtites, ad Helleſpontum duce *Commontorio* profectos, circa Byzantium conſtitiſſe, ac ſede regni apud Tylen conſtituta, Byzantinos ad pendendum ſibi tributum adegiſſe: idque duraſſe uſque ad Clyari tempora, quibus Gallorum ibi imperium defecerat *e*).

b) Diodor. Sicul. L. 17. p. 902.
c) *Juſtin.* Lib. 24. c 8.
d) *Athenæus* Lib. 6. Dipnoſophiſt. p. 234.
e) *Polybius* hiſt. Lib. 4.

Delphicam prӕterea cladem (quӕ ſecundum Pauſaniam contigit Anaxicate Athenis Archonte , anno altero Olympiadis quintӕ , & viceſimӕ ſupra centeſimam , id eſt , anno ante Chriſtum 279.) prӕceſſit diſſenſio Ducum Gallorum , & ſeditio jam tunc exorta, cum *Brenni* exercitus in Dardanos perveniret. Ibi ad XX. millia hominum ſeceſſione a *Brenno* facta, iter in Thraciam averterant; cumque non multo poſt *Commontorius* cum aliis, de quibus paullo ante dictum eſt, copiis acceſſiſſet, oram Propontidis aliquandiu vectigalem habuerunt. Inde anno ſequente , relictis iis , qui *Commentorio* parebant , ipſi in Aſiam digreſſi alias circa flumen Halym in Paphlagonia terras occuparunt , novumque ſibi regnum, *Galatiӕ* , & *Gallogrӕciӕ* nomine in hiſtoriis poſtea notiſſimum condiderunt. *S*eceſſionis hujus, novӕque expeditionis auctores , & duces *Livius* quidem binos tantum commemorat: *Leonorium* nempe, & *Lutarium f*): ſed *Memnon Heracleotas* ſeptemdecim omnino fuiſſe duces, inter quos tamen duo illi eminuerint , adſerit *g*). Has copias triplex potiſſimum Gallorum natio conflabat, nimirum *Tectoſagi* , *Trocmi*, & *Toliſtoboji*. Fuiſſe autem *Toliſtobojos* gentem *Boicam* e *Strabone* liquet, qui hanc illis adpellationem ex Ducis nomine adhӕſiſſe prodit *h*). Altera Bojorum portio, pariter a *Brenni* exercitu avulſa, in Illyrico ſubſtitit, atque in finibus Dardanorum juxta paludem *Lychnidiam* conſedit. Extat horum memoria apud *Polybium*, qui inter Illyridis civitates, per *Philippum*, Macedoniӕ penultimum Regem, anno ante Chriſtum 217. captas, & everſas, *Bojos* quoque recenſet *i*).

His ergo expeditionibus, & emigrationibus factum fuerit, ut *Bojorum* in Pannonia regio, agerque *Sabarienſis* jam tum in *Deſerta*, & Solitudinem abire cӕperit, paucis videlicet domi remanentibus. Nam cum *Brenni* exercitu profecti ſunt non viri tantum armis habiles, verum etiam alia ingens turba circumforanea, & mercatores plurimi, ſi *Diodoro* fides, bisque mille plauſtra *k*). *Boji* autem, quos novo *Toliſtobojorum* nomine adſumpto, in Aſiam cum *Trocmis*, ac *Tectoſagis* commigraſſe, regnumque Galaticum fundaſſe diximus, ne veteris patriӕ, ex qua digreſſi erant, obliti eſſe viderentur, quӕdam relictorum in Pannonia locorum nomina impoſuere locis recens occupatis. Hujusmodi erant caſtellum *Pejum*, & oppidum *Vinda*. De *Pejo*, Galatiӕ apud *Toliſtobojos* caſtello, ita *Strabo*: *Toliſtoboji*, inquit, *contermini ſunt Bithyniӕ*, & *Phrygiӕ*, *quӕ Epictetus dicitur. Caſtella eorum Blucium*, & *Pejum. Quorum alterum regio fuit Dejotari*, *alterum gazӕ adſervandӕ deſtinatum l*). Pannonici autem *Peji*, a *Bojis*

---

f) *Livius* Lib. 8. c. 11.

g) Apud *Photium* in Myrobiblo pag. 718.

h) *Strabo* Geogr. L. 12. p. 662.

i) *Polybius* Lib. 5. ſub finem.

k) Diodor. Sicul. L. ſupr. cit.

l) Strabo L. ſupr. cit.

K

deſerti, memoriam retinuit lacus, Plinio quidem latina terminatione *Peiſo* dictus; ſed *Bojis*, genti Celticæ, *Pei See*, id eſt, *Peji lacus*, quemadmodum idem hodie germanis eſt *Neuſidler See*, & *Oedenburger See*, ab adſitis nempe id nominum civitatibus. *Vindam* Galatiæ in *Toliſtobojorum* regione recenſet Ptolemæus, *m*), & Itinerarium Antonini, ubi lectio *Vindæ*, & *Vindiæ* variat, in deſcriptione ſcilicet itineris a *Peſſinunte* uſque *Ancyram n*). Atqui hoc ipſum fuerit in Pannonia nomen primigenium *Vindobonæ*, ſive ab amne *Vindo*, ſive a gente *Vindorum* exortum *o*). Apud eosdem *Toliſtobojos* Galatas commemorant medii ævi Scriptores fluvium quemdam *Siberim*; quemadmodum nempe in Pannonia quoque ſuperiore, ex qua profecti erant *Toliſtoboji*, legimus amnem *Sibarim*, antiquius *Savariam* dictum. *Siberis* Galatici meminerunt *Procopius* Cæſarienſis Lib. 5. de ædific. Juſtin. cap. 4. & *Eleuſius* in vita S. *Theodori Syceotæ p*). *Sibaris* vero Pannonici fluvii apud *Sabariam* civitatem fit mentio in ſupra laudatis divi *Quirini Martyris* Actis *q*).

Equidem non ignoro, ſententiæ huic adverſari *Schönlebenium*, qui *Toliſtobojos* negat gentem fuiſſe *Boicam* e Pannonia profectam; tum quia apud *Livium*, & *Strabonem* pro *Toliſtobojis* leguntur *Toliſtobogi*, aut *Toliſtobogii r*): tum vero, quia nullos in Pannonia *Bojos* ante Italicorum adventum habitaſſe arbitratur *s*). Sed, imprimis *Carolus Sigonius*, Auctor gravis, fideque digniſſimus, teſtatur in MSS. *Livii* codicibus, quibus ille optimis uſus erat, & quorum præcipua eſſe debet auctoritas, non *Toliſtobogos*, neque *Toliſtobogios*, verum *Toliſtobojos* plane, & explicate exaratos eſſe, ut adeo *Toliſtobogi* pro *Toliſtobojis* nonniſi mendoſe in libris impreſſis editi videantur *t*). Dein *Appianus* Alexandrinus, & *Stephanus* Byzantinus eosdem in græco vocant Τολιςοβοιες *u*). Ad hæc *Strabo* auctor eſt, *Toliſtobojos* ex Ducis nomine ſic fuiſſe adpellatos *x*). Nec obſtat, quod apud *Livium* duo tantum, *Leonarius* nempe, & *Lutarius*, qui celticas illas copias, e *Toliſtobojis* potiſſimum, *Trocmis*, & *Tectoſagis* conflatas, in Aſiam deduxerunt, nominentur: quippe, ut jam antea monuimus, *Memnon Heracleotes* tradit ſeptemdecim fuiſſe harum copiarum Duces, quorum nomina interciderint. Ex illis itaque ſeptemdecim Ducibus unus fuerit *Toliſtus*

---

m) Geogr. lib. Lib. 5. cap. 4.
n) Pag. 201. ex edit. Weſſelingii.
o) Vide L. 1. hujus Operis Cap. III.
p) Bollandi Acta SS. *T*, III. April. ad diem XXII.
q) Ibidem T. II. Junii ad diem IV.
r) *Livius* Lib. 8. cap. 11. *Strabo* Geogr. L. 4. p. 204. & lib. 12. p. 661.
s) P. II. Annal. Carniol. p. 69.
t) *Sigonius* in Scholiis ad 38. Lib. Livii. Item *Velſerus* Lib. 2. de Rer. Boicar. p. 39
u) Appianus in *Syriacis*: & *Stephanus* Byzantinus Lib. de Urb. & pop. pag. 659.
x) Geogr. L. 12. p. 661.

nomine, a quo *Boji* Galatæ ſe ſe *Toliſtobojos* vocabulo compoſito nuncuparunt. Alii quidem malunt eosdem a ſingulari audacia, & ferocia ſic dictos; *Toll* enim ferocem, *Tolliſt* ferociſſimum lingua celtica, perinde ac hodie germanica, ſignificaſſe nihil ambigunt. Verum *Toliſti* Ducis memoriam etiam vicus quidam Galatiæ *Tolaſta* dictus conſervaſſe videtur, & *Strabonis* auctoritas, qui *Toliſtobojos* ex Ducis nomine ſic dictos adfirmat, omnibus aliis recentiorum auctorum conjecturis potior eſſe debet *y*).

CAPUT III.

De Bojis Italicis ad Iſtrum profectis, ac de vaſtatione Pannoniae Superioris, agrique Sabarienſis per Legatum C. Caſſii Conſulis.

Ceterum ab expeditione Delphica, ac *Toliſtobojorum* ex Pannonia in Aſiam tranſitu jam nonus & octogeſimus, ante Chriſtum vero centeſimus nonageſimus volvebatur annus, cum alii *Boji*, accolæ videlicet *Padi*, multis continenter cladibus attriti, ac poſtremo per Cornelium *Scipionem Naſicam* ad exiguum redacti numerum, relicta Italia ad Iſtrum commigrarunt, atque apud *Tauriſcos* conſederunt. Hi ſunt *Boji*, quos in vacuas *Toliſtobojorum* ſedes ſucceſſiſſe multi arbitrantur: hi ſunt, quos paullo ante laudatus *Schönlebenius* primos omnium ex Gallis *boici* nominis ad Pannoniam Superiorem veniſſe, agrumque Sabarienſem, ac terras circa lacum Peiſonem ſitas inſediſſe autumat. Illud omnino e *Strabone* conſtat, poſteros horum Bojorum a Dacis fuiſſe deletos. Verum an ea clades ad Pannoniam Superiorem pertinuerit, ac Deſerta Bojorum, quæ Plinius commemorat, inde orta fuerint, poſtea videbimus. Nunc vero temporis ordine ſervato, improviſam quamdam Romani militis in has terras procurſionem, quæ dudum ante bella Bojorum cum Dacis geſta contigerat, referemus.

Publio *Licinio* Conſule ſub annum ante Chriſtum 170. contra *Perſeum* Macedoniæ Regem in Theſſalia rem proſpere gerente, *C. Caſſius*, Licinii collega, cum in Gallia, quam ſortitus erat, nihil memorabile geſſiſſet, legiones in Macedoniam per Illyricum ducere vano incœpto eſt conatus *a*). Hanc viam inſcio Senatu ingreſſus repente Iſtrorum, Japydum, Carnorumque fines (tum Pannoniæ quoque partem, ut videtur, complexos) hoſtiliter invaſit, actis paſſim præ-

y) Vid. *Velſerus* L. cit. & in Epiſt. ad Viros illuſtres p. 791.
a) *Livius* Lib. 43. Cap 1.

dis, ſparſisque late incendiis. Legatus vero Conſulis eodem tempore uſque *Carnuntum*, munitam Pannoniæ urbem, cum delecta militum manu procurrit, cumque hanc necquidquam tentaſſet, in reditu bina, quæ prius intacta reliquerat, oppida diripuit. Hæc a *Livio* narrantur, nulla quidem Pannoniæ mentione facta, nec proditis direptorum duorum oppidorum nominibus: verum e ſitu *Carnunti*, quod nominat, veriſimile eſt, oppida illa fuiſſe in Pannonia vel *Pejum*, & *Savariam*, vel alterutrius loco *Scarbantiam*. Hac certe breviſſimus fuit ex *Japydia* uſque *Carnuntum* itus, & reditus, idemque facillimus ob incolarum, qui reſiſtere potuiſſent, paucitatem.

Memini quidem monere *Farlatum*, ne quis *Cluverium*, & *Schönlebenium* ſecutus *Carnuntem*, cujus eo loco apud *Livium* eſt mentio, pro *Carnunto*, perantiquo, ac celebri Pannoniæ oppido (utut & iſtud *Ptolemæus* in deſcriptione Pannoniæ Superioris *Carnuntem* adpellet) accipiat. „ Neque enim, ait ille, veriſimile eſt, ut Conſul e Macedonia, locisque finitimis, in quibus bellum „ gerebatur, Romanoque exercitu, tam longe ſuum legatum abduci cum parte „ copiarum voluerit; præterquam quod nihil tum rei, ſeu belli Romanis erat „ cum Pannoniis, ad quos neque pertinebat Macedonicum bellum, ac ne fama „ quidem ejus belli fortaſſe pervenerat. Adde, quod Pannonia nondum ad jus, „ nomenque Illyricum acceſſerat, cujus finibus *Carnuntem* Livius includit; ne„ que ante Auguſtum arma vexillaque romana viſa ſunt Pannoniis „ *b*).

Verum omnis hæc difficultas evaneſcit, ſi Legatum hunc, de cujus procurſione agitur, non a *Licinio* Conſule, in Macedonia bellum gerente, ſed potius ab hujus collega *C. Caſſio* miſſum fuiſſe intelligas. Id ſane per *Livium* licet, qui eo loco nomen Conſulis, cujus is Legatus fuerit, aperte non exprimit; de *Caſſio* autem ſic ibidem ſcribit, ut illam *Carnuntis* oppugnationem, ac duorum oppidorum direptionem ipſius imperio factam eſſe, prorſus credibile appareat. *Caſſius* enim eſt, cui, ut narrat *Livius*, indignabatur Senatus, qnod tantum auſus fuerit, ut ſuam provinciam relinqueret, in alienam tranſiret, quodque exercitum novo periculoſo itinere exteras inter gentes ducere, viam tot nationibus in Italiam aperire præſumpſerit. Ad *Caſſium* miſſi ſunt e Senatu Nuncii, ne bellum cum ulla gente moveat, niſi cum qua Senatus gerendum cenſuerit. De *Caſſio* Conſule queſtus eſt apud Senatum Legatus, *Cincibili* Regis Gallorum frater, ob vaſtatos ab ejus militibus Alpinorum populorum, ſociorum ſuorum agros, & multa millia hominum inde in ſervitutem abducta. De eodem *Caſſio* apud Senatum queſti ſunt legati *Iſtrorum*, *Japydum*, *Carnorumque* (quorum tunc fines uſque ad Pannonios protenſi erant, & *Carnuns*, ſive *Carnuntum* Pannoniæ oppidum a *Carnis* dictum fuiſſe videtur) queſti ſunt, inquam: *Duces ſibi ab Conſule Caſſio primum imperatos, qui in Macedoniam ducenti exercitum iter mon-*

---

b) *Farlatus* T. I. Illyrici ſacri p. 34.

ſtrarent; pacatum ab ſe tamquam ad aliud bellum gerendum abiiſſe; inde ex medio regreſſum itinere hoſtiliter peragraſſe fines ſuos, paſſim rapinas, & incendia facta. nec ſe ad id locorum ſcire, propter quam cauſam Conſuli pro hoſtibus fuerint c).

Quamobrem ſi quis hæc diligenter expendat, facile intelliget, quinam fieri potuerit, ut licet nullum Pannoniis a Senatu Romano indictum fuerit bellum, legatus tamen Conſulis, vaſtatis Pannoniæ agris, uſque *Carnuntum* procurrerit. At enim, inquit *Farlatus*, illam *Carnuntem* Illyrico adſcribere videtur *Livius*. Nil impedit: ſtylum enim ſui temporis, quo Illyrici nomine jam & Pannonia veniebat, ſequi potuit. Adde, quod præter *Carnuntem* Pannoniæ apud veteres geographos alia nulla reperiatur; idemque hoc oppidum a *Zoſimo* Celticum, ab *Ammiano* autem Illyricum vocetur *d*). Sed ante Auguſtum, inquit, nulla arma, vexillaque romana viſa ſunt Pannoniis. Hoc etiam refellitur teſtimonio Jornandis, qui *Lucium Anicium* omnium Romanorum primum uſque ad Danubium penetraſſe, ac de quodam Pannoniorum Rege victoriam retuliſſe, ex antiquioribus Auctoribus narrat *e*). Quidſi ipſe hic *Lucius* erat, qui legatus Conſulis *Caſſii* procurſionem uſque *Carnuntum*, Danubio adſitum oppidum, fecerit, & in reditu agrum Sabarienſem vaſtarit, binaque illa oppida, quorum ſupra meminimus, everterit? Sane temporis, quo idem *Lucius Anicius* floruit, ratio non repugnat: cauſa quoque non relatæ in faſtos victoriæ adſignari poſſet; quia nempe hæc expeditio Senatu inſcio, atque adeo invito, ac indignante ſuſcepta erat.

Septimo autem poſt anno, id eſt, ante Chriſtum 163. laudatus modo *Lucius Anicius*, cognomento *Gallus*, Prætor Illyrici creatus, bellum adverſus *Gentium* Illyridis Regem prius confecit, quam ejus incepti fama Romam perveniret. Quippe ſpatio triginta dierum, ut refert *Livius*, vel viginti, uti *Appianus* tradit, regnum *Gentii* expugnavit, capto ipſo Rege, hujusque uxore *Etleva*, liberisque, ac fratre *Caravantio f*). Sunt, qui ad eundem *Gentium* partem quoque Pannoniæ Superioris uſque *Sabariam*, *Ginſiumque* pertinuiſſe exiſtiment. Sed conjectura hæc omni caret fundamento, ſolaque *Lazii* ſuſpicione nititur, divinantis, an non *Mogentiana*, quam Itinerarium Antonini proximam *Sabariæ* ſtationem memorat, ex nomine *Gentii* Regis fuerit nuncupata *g*). Profecto fines Regni Gentiani multo arctiores erant, quam ut ab Jonio ſinu eouſque pertingere potuiſſent, cum ex illius temporis Annalibus conſtet, ne Dalmatiam quidem in *Gentii* ditionibus fuiſſe.

---

c) *Livius* Lib. 43. cap. 1.
d) *Zoſimus* hiſt. lib. 2. p. 81. edit. Oxon. *Ammian. Marcellin.* lib. 30. cap. 5.
e) *Jornandes* de Regnorum ſucceſſion. cap. 54.
f) *Livius* lib. 44. cap. 26. *Appianus* de Bell. Illyric.
g) *Lazius* Lib. 12 de Rep. Rom. ſect. 3. c. 4.

CAPUT IV.

De clade Dacica Bojorum, horumque Deſertis in Mœſia, diſtinctis ab aliorum Bojorum Deſertis in Pannonia.

SEQUENTIBUS annis aliæ Illyrici, & Gallici nominis gentes a Romanis partim ſunt repreſſæ, partim domitæ. *Publius Scipio* de Dalmatis, capta & everſa Delminio civitate, triumphavit: *Fulvius Flaccus* de Ardiæis, quorum regio Pannoniis fuit finitima. *Sempronius Tuditanus* de Japydibus: Q. *Marcius* de Carnis: de Scordiſcis vero, gente celtica, quorum pars in Thracia, pars in Mœſia, pars denique in Pannonia Savia tenebat agros, quique *Catonem* Conſulem fuderunt, de his, inquam, victoriam retulere *Didius* Prætor, & M. *Livius Druſus* diverſis vicibus. Sed, quod magis ad rem noſtram facit, *Bœrebiſta* Rex Dacorum *Bojos*, quorum Majores Italia extorres ad Iſtrum commigraſſe, atque apud *Tauriſcos* conſediſſe diximus, funditus delevit, eorumque regionem in ſolitudinem convertit. Accidit ea clades Julio Cæſare Dictatore perpetuo, id eſt, ſub annum ante Chriſtum 45.

Plerique Scriptores hodierni ab hac Dacica *Bojorum* clade repetunt originem Deſertorum, in quibus *Plinius* Sabariam, Scarbantiam, & Juliam collocat, eo quod hæc Noricis, inter quos *Tauriſci* etiam degebant, juncta fuerint. Verum non contemnendæ ſunt rationes, quibus adductus P. *Calles* rem hanc in dubium vocat, adſeritque veritati magis videri conſentaneum, ſi *Bojos*, quos Daci extinxerunt, in Mœſia Superiore, haud procul Tauruno habitaſſe; *Bojorum* autem Deſerta, in confinio Auſtriæ, Styriæ, & Hungariæ poſita, non a clade per Dacos illata, ſed a Bojorum in Græciam migratione, vel a deſertis vicinorum odio, metuque ſedibus nomen accepiſſe credas *h*). Quod ut rectius intelligatur, lubet omnia, quæ circa illos *Bojos*, agrumque boicum, a Dacis vaſtatum apud *Strabonem* ſparſim reperiuntur, iſthic uno ſub conſpectu exhibere. Ex antiquis enim Scriptoribus unicus fere *Strabo* eſt, qui hujus cladis per Dacos *Bojis* illatæ meminit.

Circa fluvium Padum, inquit ille, *quondam Galli habitabant plurimi, quorum maximæ gentes Boji, & Inſubres - - - Bojos Romani ſuis domiciliis ejecerunt, qui deinde ad Iſtrum cum commigraſſent, apud Tauriſcos habitarunt, bellumque contra Dacos geſſerunt, donec tota ipſorum gens funditus eſt exciſa, & agrum, qui ad Illyricum pertinet, deſertum, ac pecoribus paſcuum vicinis* re-

h) *Calles* T. I. Annal. Eccl. Germ. p. 5. & Lib. 1 Annal. Auſtr. p. 4.

liquerunt *i*). Quod quanam ratione acciderit, alibi hunc in modum refert: *Bærebiſtes Geta Iſtrum audacter tranſiens, Thraciamque ad Macedoniam uſque & Illyricum depopulans, Celtas Thracibus, & Illyriis permixtos evaſtavit, Bojos vero, qui ſub Critaſiro erant, prorſus delevit, itemque Tauriſcos, ut ſuæ genti tanto majores eſſent facultates. Uſus autem eſt opera Dicenæi, præſtigiatoris hominis k*). Aetatem geſtæ hujus rei indicat, cum in præcedentibus ejusdem libri paginis dicit, divum *Cæſarem* (id eſt, *Julium Cæſarem* Dictatorem) expeditionem in hunc *Bærebiſtam* paraſſe *l*). Provinciam vero, in qua *Boji* a Dacis debellati erant, generatim vocat partem Illyrici hiſce verbis: *Primum*, inquit, *Illyrica exponamus, quæ & Iſtrum, & Alpes attingunt - - - Hujus regionis partem vaſtam deſertamque reddiderunt Daci debellatis Bojis & Tauriſcis, gallicis gentibus, Cretoſiro ſubjectis, qui eam ſibi vendicabat regionem, quamquam amnis diſtingueret Pariſus, qui a montibus in Iſtrum defluit per Scordiſcos Gallos. Hi enim permixti Illyriis, ac Thracibus habitabant; verum illos Daci deleverunt, his ſæpe uſi ſunt ſociis m*). Denique hanc Illyrici partem ad Mœſiam Superiorem ſpectaſſe, aperte alia pagina prodit: loquens enim de Thracibus, Myſiam Europæam incolentibus, ſubjungit, iisdem permixtas fuiſſe tres has gentes celticas, de quibus paullo ante ſermo erat, nimirum *Bojos*, *Scordiſcos*, ac *Tauriſcos n*).

Hæc proinde ſunt, e quibus doctiſſimus Annalium Eccleſiaſticorum Germaniæ Auctor hunc in modum arguit: „ *Bojos*, *Tauriſcosque* plerique ad „ hodiernæ, Auſtriæ, Styriæque fines conſediſſe autumant, quod & *Taurici* „ montes in Styria commune cum *Tauriſcis* nomen ferant, & *Strabo*, *Pliniusque Deſerta Bojorum* in Pannonia Superiore, locisque finitimis collocent: „ *Noricis*, ait Plinius, *junguntur lacus Peiſo, Deſerta Bojorum: jam tamen Colonia divi Claudii Sabaria, & oppido Scarabantia Julia habitantur o*). *Strabo* „ ea *Vindelicis* propius admovet: *Lacum* (de *Brigantino* loquitur) *Rhæti exigua* „ *parte, majore Helvetii, & Vindelici attingunt, inde eſt Bojorum ſolitudo uſque* „ *ad Pannonios p*). Verum, quod *Bærebiſta* Dacus non Pannoniam, ſed Mœ„ ſiam, Thraciamque ad Macedoniam uſque populatus, Cæſaris Dictatoris, ad „ quem Pannonia nondum pertinebat, iram provocavit: quod *Boji*, *Tauriſcique* „ quos *Daci* delevere, permixti *Illyriis*, ac *Thracibus* habitarint: quod *Pari*„ *ſus* amnis, qui a montibus per *Scordiſcos* Gallos in Iſtrum deflueret, *Bojos*-

i) *Strabo* Geogr. lib. 5. p. 236.
k) Ibidem lib. 7. p. 343. ſeq.
l) Ibid. p. 338.
m) Idem p. 365
n) Ibidem p. 336.
o) Hiſt. nat. lib. 3. c. 24.
p) Geogr. lib. 7. p. 332.

„ *que*, ac *Tauriſcos* a *Dacis*, *Mœſis*, aut *Thracibus* dirimeret, in Auſtria, Styriaque nullus: quod demum idem *Strabo* paullo poſt, *Bojos*, *Scordiſcos*, „ *Tauriſcos*, celticas gentes, permiſtos *Myſis*, *Thracibusque* fuiſſe ſcribat; vero „ propius eſt, eos non procul *Tauruno*, quod a *Tauriſcis* nomen traxiſſe videri poteſt, ad Savi, Iſtrique confluentem ſedes habuiſſe, & *Deſerta Bojorum* „ in confiniis Auſtriæ, Styriæ, ac Hungariæ poſita, non a clade per *Dacos* illata, ſed a *Bojorum* in Græciam migratione, vel a deſertis vicinorum odio, „ metuque ſedibus nomen accepiſſe. „

Quæ cum ita ſint, ut cum illa *Bojorum* ſolitudine, quam *Strabo*, veluti antea dictum eſt, a *Vindelicorum* finibus ad *Pannonios* extendit, conciliari nequeant, dicendum videtur, a *Strabone* diverſis in provinciis duo diverſa *Bojorum Deſerta* commemorari; ſcilicet *Norico-Pannonica*, & *Mœſica*. In *Mœſia* (aliter *Myſia Europæa*) cum eſſent *Boji per Dacos* deleti, Aelius *Catus* ætate *Strabonis* geographi, qui ſub *Auguſto*, ac *Tiberio* floruit, ad vaſtum, deſertumque illorum agrum quinque myriades *Getarum* ex partibus trans Iſtrum ſitis deduxit. Hi poſtea *Myſi* ſunt vocati *r*): & hoc nomine a *Ptolemæo* ſecus fluvium *Ciabrum* (forte *Straboni Pariſum*) in *Mœſia Superiore*, ubi nulla *Bojorum* amplius mentio eſt, recenſentur *s*). At in *Pannonia* non ſic defecit *Boicum* nomen, nec regio *Bojorum Pannoniorum* idcirco vocabatur *deſerta*, quod nullis prorſus pagis, villisque, ſed, quod nullis urbibus, & oppidis ſub id tempus, quo ad Romanos devoluta fuit, habitaretur; ſeu etiam, quod villarum, pagorumque longe minor, quam agri modus poſtulabat, in ea tunc eſſet numerus, ob cauſas videlicet, quarum ſupra meminimus. Rem ita ſe habere teſtis eſto *Ptolemæus*, qui inter ſuperſtites ſua adhuc ætate populos Pannoniæ Superioris etiam *B jos* recenſet, & quidem in eodem terræ tractu, in quo *Plinius* deſcribit *Deſerta Bojorum t*). Idem colligere licet ex vetuſta Inſcriptione, quam ſuperius ex Grutero retulimus. In ea enim ſit mentio duarum civitatum, quarum unam *Boji*, alteram *Azali* efficiebant, ſub *L. Volcatio Primo Cohortis I. Noricorum in Pannonia*, & *ripæ Danubii Præfecto* conſtitutarum, adeoque Romanis jam rerum in Pannonia potientibus.

---

q) *Calles* T. I. Annal. Eccl. Germ. p. 5. & ſeq.

r) *Strabo* Geogr. lib, 7. p. 343. *Equidem noſtra*, inquit, *ætate Aelius Catus a Getis ex partibus trans Iſtrum ſitis, quæ gens eodem cum Thracibus ſermone utitur, in Thraciam quinque myriades hominum traduxit, qui nunc ibi habitant, & Myſi adpellantur.* Sequitur ibidem narratio de Clade *Bojorum*, & vaſtatione agri Boici per *Bærebiſtam* Dacum facta: quo nempe intelligi poſſit, ad illum agrum translatos fuiſſe *Getas*, in quo antea *Boji* habitarunt.

s) *Ptolem.* Geogr. lib. 3. c. 9.

t) Locis ſupr. cit.

HISTORIÆ SABARIENSIS
LIBER TERTIUS.

DE

STATU PANNONIÆ, RERUMQUE SABARIENSIUM SUB ROMANIS.

AB ANNO ANTE CHR. 34. AD ANNUM POST CHR. 193.

CAPUT I.

De expugnatione Pannoniarum per Octavianum Caeſarem Auguſtum: de impopulatione Deſertorum Boicorum: de Statione Sabariae conſtituta: de fine Imperii Auguſti, & initiis Tiberii.

RELIQUIAS *Bojorum*, ac *Deſerta*, de quibus priore libro egimus, *Octavianus Cæſar* eodem tempore, quo univerſam Pannoniam, Imperio Romano adjecit, id eſt, anno ante Chriſtum 34. Tunc enim ſubactis *Japydibus* exercitum in *Pannonios* duxit, non læſus ab iis unquam, non crimen ullum objiciens; ſed militum exercendorum, ut ſcribit *Dio*, ſimul & alienis bonis alendorum cauſa, omne id juſtum cenſens, quod armis potentior contra infirmiorem decerneret *a*). Expugnata igitur *Siſcia* urbe, domitisque primum per ſe, dein per *Fufium Geminum*, Legatum ſuum, *Colapianis*, mox omnes *Pannónios* pacis conditiones accipere coëgit. Sed ſervitutis impatientes *Pannonii* jugum romanum diverſis vicibus excutere tentarunt, utut magno plerumque damno ſuo. Nam anno ante

a) *Dio* hiſt. lib. 54. p. 762.

Chriſtum 15. *Noricis* juncti cum Iſtriam procurriſſent, a *Publio Silio*, hujusque Legatis cæſi, *Noricos* in eandem ſervitutem traxerunt.

Undecimo ante Chriſtum anno novi erant in Pannoniis motus, qui tamen fama adventus M. *Agrippæ* utcunque compoſiti erant. Sed, mortuo in itinere *Agrippa*, rurſus ad arma convolarunt præcipuæ Pannoniorum gentes: has *Tiberius*, Cæſaris *Auguſti* privignus, opera vel maxime Scordiſcorum vicinorum uſus perdomuit, armisque ademptis plerosque juniorum ea lege, ut in alias regiones abducerentur, vendidit. Calamitatem Pannoniæ augebant *Daci*, qui Iſtrum frigore concretum transgreſſi vicinos *Pannoniorum* agros vaſtarunt, prædasque abſtulerunt, *Julio Antonio Africano*, & *Q. Fabio Maximo Coſſ.* *b*) id eſt, anno ante æram vulgarem Chriſtianam nono. Rex tunc *Dacorum* non amplius *Bœrebiſta*, verum *Cotiſo* fuerat, teſtibus *Floro*, & *Horatio* *c*). Falluntur proinde, qui ab hac *Dacorum* incurſione originem *Deſertorum Boicorum* repetunt, vel cum *Velſero* ad hæc differunt tempora *d*). Ceterum *Dacos* Cæſar *Auguſtus*, miſſo cum copiis *Lentulo*, ultra *Iſtrum* repulit, & ad ripam præſidia conſtituit *e*).

Pacata dehinc omnia in Pannoniis erant per annos fere quindecim, ſive ad ſextum uſque annum poſt Chriſti natalem, quo *Auguſtus Tiberium* Cæſarem adverſus *Maroboduum*, Marcomannorum Regem, cum exercitu, qui in Illyrico merebat, proficiſci juſſit. Tunc enimvero *Pannonii* utendum occaſione rati, cum Dalmatis, & aliis finitimis gentibus ad recuperandam priſtinam libertatem conſpiravere. Maturo itaque conſilio, & maximo numero arma corripiunt: Duces novæ rebellionis duo *Batones*; alter Pannonius *Breucus*, Dalmata *Dyſidiates* alter; hisque proximus auctoritate, ac dignitate *Pinetus*. Nec mora: pars petere Italiam decreverat, junctam ſibi Nauporti, ac Tergeſti confinio: pars in Macedoniam eruperat: pars denique ſuis ſedibus præſidium eſſe deſtinaverat. Oppreſſi confeſtim cives Romani; trucidati negotiatores; magnus vexillariorum numerus cæſus; omnia, & in omnibus locis igni, ferroque vaſtata *f*). Poſtremus is erat conatus: cui ut obviam iret *Auguſtus*, illico delectum haberi præcipit: revocat undique veteranos, & pace cum *Maroboduo* facta, *Tiberium* cum exercitu in Illyricum reverti jubet. Interea *Breuci*, gens Pannonica, Duce *Batone* ad *Sirmium* oppugnandum accedunt: ſed advolat *Cæcina Severus*, propinquæ Mœſiæ

b) Idem lib. cit. p. 766.

c) Florus lib. 4. c. 12. n. 18. *Daci*, inquit, *montibus inhærent. Cotiſonis Regis imperio, quotiens concretus gelu Danubius junxerat ripas, decurrere ſolebant, & vicina populari. Horatius III. 8. Occidit Daci Cotiſonis agmen.* Conf. *Strabo* Geogr. Lib. 7. p. 344. ubi dicitur miſſus ab Auguſto exercitus non adverſus *Bærebiſtam*, ſed contra hujus ſucceſſores.

d) *Velſerus* Lib. 2. Rer. boicar. p. 57.

e) *Florus* l. cit.

f) Vid. *Vellejus Paterculus* lib. 2. cap. 118.

Præſes, & ſoluta obſidione *Breucos* ad flumen uſque Dravum conſequitur, conſertoque prælio cædit, ac diſſipat. Nondum tamen belli finis, quamvis eodem fere tempore in Dalmatia quoque *Valerius Meſſalinus* rem proſpere geſſerit. Nam fugatus inde alter *Bato*, cum in Pannoniam veniſſet, animos, viresque auxit Pannoniorum, duoque ſimul *Batones* ad montem *Almum* haud longe *Sirmio* caſtra junxere, *Severo Cæcina* interea in Mœſiam adverſus Dacos, Sarmatasque eam infeſtantes, regreſſo.

Indigne jam ferebat *Auguſtus* bellum protrahi contra hoſtem, quem parvo temporis ſpatio debellari poſſe autumabat. Quamobrem novis cum mandatis *Germanicum* Cæſarem ad exercitum, cui *Tiberius* præerat, dimittit. Confluunt undique copiæ; revocatur etiam ex Mæſia *Severus Cæcina*. Verum *Batones*, obſervato tempore, quo is accederet, improviſo eundem caſtra ad Volcæas paludes ponentem adgrediuntur. Fit ſtrages: equeſtris *Thracum* acies, quam Romanis auxiliarem *Rhæmetalces* adduxit, disjicitur; fugantur alæ; vertuntur cohortes; jamque ad ſigna quoque legionum trepidatum erat, jugulatis ab hoſte nonnullis tribunis, interempto caſtrorum præfecto, cohortiumque præfectis, nec incruentis centurionibus: cum ecce quinque legiones ſemetipſas adhortatæ non modo hoſtem ſubito ſtitere, verum etiam acie perrupta incolumes ad Tiberium pervenere. Ita vero poſtquam in una *Tiberii* caſtra contractæ jam eſſent decem legiones, LXX amplius cohortes, XIV alæ, & plura quam decem veteranorum millia, ad hæc voluntariorum ingens numerus, haud multo poſt finis bello Pannonico impoſitus eſt, reliquiis in Dalmatia manentibus. Quippe cum Pannonii ab exercitu Romano undique concluſi fame premerentur, nullamque ſalutis viam reperirent, projectis tandem apud *Bathinum* fluvium armis, ultro ſe ſe dedidere *g*). Acta hæc erant ad annum Chriſti *octavum*.

Subacta hunc in modum *Pannonia* nunc demum in formam Provinciæ Romanæ redigi cœpit. Ad hoc enim uſque tempus pleræque Pannoniorum gentes, tametſi jam dudum in Romanorum eſſent poteſtate, iisdemque tributa pendere cogerentur, adhuc tamen ſuis vivere legibus, quin Regulos etiam ſuos habere permittebantur; idque ex pacis conditionibus, quas anno abhinc quarto & quadrageſimo, cum ad *Siſciam* vincerentur, ab Octaviano Cæſare accepere. At, poſtquam fidem datam hoc obtentu, quod a Præfectis, tributorum exactoribus, nimium vexarentur, ſæpius violaſſent, viſum eſt Cæſari Auguſto, & eam, quam hactenus iis reliquerat, libertatis umbram adimere. Itaque ab anno Chriſti *octavo*, quo *Bato*, *Breucorum* in Pannonia inferiore, nec non Amantinorum, & Sirmienſium regulus, periit, in omni Pannonia ſublatum eſt jus eligendi Principem ſuæ gentis; jamque ut in alias Imperii Romani provincias, ita in Pannoniam non

g) Idem l. cit.

Quæſtores modo, qui vectigalia procurarent, verum & Prætores, qui jus dicerent, a Senatu Romano mitti cœpere. Et vero profuit *Pannoniæ* ex formula provinciæ Romanæ regi; brevi enim aliam induit faciem. Danubius Imperii limes conſtitutus ripa; frequentibus caſtellis adverſus barbarorum incurſiones munita; Deſerta impopulari cœpta; coloniæ deductæ; municipia erecta; urbes partim conditæ, partim reparatæ; agri exculti; incolæ a feritate, ac barbarie ad humanitatem, vitamque civilem conſuetudine, uſuque legum Romanarum ſenſim traducti. Curatum præterea, ut per univerſam Pannoniam viæ publicæ, ac militares ducerentur, munirenturque, quod id ad res non unius tantum provinciæ, verum totius Imperii Romani rectius, celeriusque bello, paceque adminiſtrandas plurimum expediret. Ductæ igitur ſunt idgenus viæ etiam per *Deſerta Bojorum*, in quibus cum *Sabaria* opportuniſſimo eſſet loco, iſthic *Statio* conſtituta eſt. Atque hoc, opinor, fuerat initium reſtaurandæ urbis, dudum deſertæ, quæ poſtmodum deductione coloniæ Romanæ ita aucta, & ornata eſt, ut ſuper omnes Pannoniæ Snuperioris urbes caput extulerit.

Sabariæ nondum *coloniæ*, ſed *Stationis* duntaxat mentio fit in lapide Romano *Tab. I. N.* 1. quo Heliodorus quidam, Auguſti Villicus, Nemeſi votum pro ſua, & ſuorum ſalute ſolvit. Idgenus *Stationes* Græci σταθμοὺς, latini autem Scriptores crebrius alio nomine *Manſiones*, & *Mutationes* adpellant; hisque uominibus plerumque loca inferioris, quam fuere civitates, conditionis, adficiunt. Liquet id ex vetere Itinerario, quod Hieroſolymitanum, ob itineris a *Burdigala uſque Hieroſolymas* deſcriptionem, nuncupatur. In hoc enim nullus fere locus eſt, cui non aut *civitatis*, aut *manſionis*, aut *mutationis* titulus eſſet præfixus. Inter *manſiones* tamen, & *mutationes* hoc erat diſcriminis, quod per has intelligi conſueverint *Stationes* mutandis duntaxat in curſu publico equis deputatæ; *Manſionum* vero nomine veniebant loca paullo ampliora, quæ nempe ſtativa ſimul interquieſcere, & pernoctare volentibus prabere ſolebant. Hinc fit, ut in libris veterum *Manſio* non ſolum idmodi *Stationem*, verum etiam unius diei iter interdum ſignificet. Solemne præterea fuit, ut expeditionis tempore milites in manſionibus ſubſiſterent, & annonas acciperent, teſte Lampridio *h*). Quocirca Manſiones pluribus non modo privatis, ſed publicis etiam ædificiis conſtabant, inter quæ horrea quoque provinciæ, aut Imperatorum numerabantur. Hæc idcirco potiſſimum commemorare hoc loco viſum eſt, ut ex his, quænam *Sabariæ* fuerit conditio antea, quam in cenſum coloniarum Romanarum veniret, non ſine veriſimilitudine conjici poſſit.

At vero *Auguſtus* pacatis, ordinatisque, uti ſupra diximus, Pannoniæ rebus haud diu ſupervixit. Anno enim Chriſti *quartodecimo* Nolæ in Campania

---

h) In Alexandro Severo cap. 47.

extinctus eſt. Vix fama in Pannoniis de obitu *Auguſti* percrebuit, cum legiones Pannonicas gravis inceſſit ſeditio, nullis novis cauſis, niſi quod mutatus Princeps licentiam turbarum, & e civili bello ſpem præmiorum oſtendebat *i*). Tres tunc legiones, octava, nona, & quintadecima ex hybernis in caſtra æſtiva contractæ erant, præſidente *Junio Blæſo.* Locus caſtrorum in ea Pannoniæ Superioris parte fuit, quæ hodie *Carniolia* vocatur, prope *Nauportum*, & *Aemonam*, ſive, uti nunc vocatur, *Labacum.* Ibi fine *Auguſti*, & initiis *Tiberii* auditis, cum ob juſtitium, aut gaudium, quies tantiſper indulta legionibus eſſet, ea quiete abuſus miles luxum cœpit, & otium cupere, diſciplinam, & pacem aſpernari. Fuit in caſtris *Percennius* quidam dux theatralium operarum, dein gregarius miles, procax lingua, & miſcere cœtus hiſtrionali ſtudio doctus. Is imperitos animos, &, quænam poſt *Auguſtum* militiæ conditio futura eſſet, ambigentes, impellere paullatim nocturnis colloquiis, aut flexo in veſperam die, & delapſis melioribus, deterrimum quemque congregare, poſtremo rem eo ſeditionis adducere, ut, niſi impetraſſent, quæ poſtulabant, occiſis Præfectis, ſe ſe provinciam ad defectionem ſollicitaturos, Romamque petituros minarentur. Summa poſtulatorum fuit: denarius diurnum ſtipendium; miſſio militiæ poſt annos ſeptendecim; præmia finitæ militiæ; &, ne veterani ſub vexillo haberentur. Aegre tandem *Blæſus* perſuaſit, ut legatos his de rebus ad *Tiberium* mitterent, quia ſpem conceperant, ſe omnia, quæ cuperent, in hac imperii mutatione, aut territo *Tiberio*, aut alio quopiam Imperatore ſibi conſtituto, obtenturos. Sed, ubi miſſus a *Tiberio Druſus* Cæſar cum Prætorianis, ac *Sejano* Præfecto, nihil ipſis certi reſpondiſſet, novo, eoque graviore tumultu excitato, nonnullos, qui cum eo erant, conſauciaverunt, ipſum vero *Druſum* ea nocte, ne effugere poſſet, armati circumſederunt. Noctem minacem, & in ſcelus erupturam res inopinata lenivit. Nempe cum lunæ deliquium contigiſſet, miles rationis ignarus id in omen, ac prodigium traxit, & a ſeditione in pacis conſilia inclinare cœpit. Uſus ea inclinatione *Druſus* Cæſar, convocat concionem; præcipuos ſeditionis auctores *Percennium*, & *Vibulenium* e medio tollit, & legiones, jam ſponte ad obſequium reverſas, in hyberna dimittit *k*). Ex his quintadecima Legio Apollinaris per *Sabariam* rediit *Carnuntum*, unde tamen paucis poſt annis in Syriam translata locum in Pannonicis Carnunti hybernis Legioni XIV. Geminæ ceſſit. Supereſt Epigraphe Lapidis Carnuntenſis, in vico Petronellæ eruti, quæ conſervat memoriam *C. Julii Secundi*, e Claudia tribu, *Sabaria* oriundi, qui in Legione XV. Apollinari ſub *Julio Celerino* Præfecto ſtipendia fecit, diemque ſupremum Carnunti obiit *l*). Item alia *Sopronii*, in ruderibus *Scarbantiæ* inventa, quæ meminit *Marci Vibii* in eadem Legione militis veterani, qui annos natus LXXX. deceſſit *m*).

---

i) *Tacitus* Annalium Lib. I. *k*) Idem l. cit. *l*) Vid. Lib. I. cap. VIII. n. 1. hujus Operis.
m) Apud *Lazium* Lib. 12. de Rep. Rom. ſect. 3. c. 6.

CAPUT II.

De Sabarienſi Ovidii Naſonis Sepulcro; ac de rebus Pannoniae ſub Tiberio, & Caligula.

Anno quarto Imperii *Tiberii*, æræ autem Chriſtianæ *ſeptimo* ſupra *decimum*, *Sabaria* ſecundum nonnullos Auctores morte, & ſepulcro Principis Poëtarum *Publii Ovidii Naſonis* nobilitata eſt. Quod tamen an veritati conſentaneum ſit, inveſtigare libet. Nam *Euſebius* Cæſarienſis in Chronico ſuo diſerte ſcribit, *Ovidium* exulem anno ſupra dicto *Tomis*, oppido Mœſiæ inferioris, defunctum ac tumulatum fuiſſe. Addit *Georgius Trapezuntinus*; Scythas Tomitanos mortuo apud ſe *Ovidio* propter ingenii nobilitatem magnificum tymbon, ſeu ſepulcrum, collato publice ære, ante oppidi portam extruxiſſe *n*). Quænam igitur antiquiora his teſtimoniis opponantur documenta, videndum eſt. Narrant nimirum, ſepulcrum, & epitaphium *Ovidii* apud oppidum *Stein am Anger* inter antiquæ *Sabariæ* rudera fuiſſe repertum. Hanc narrationem primi ad poſterorum memoriam literis conſignarunt Wolfgangus *Lazius*, medicus & hiſtoricus Viennenſis, anno 1555. vita functus; & Gaſpar *Bruſchius*, laureatus Germaniæ Poëta, idemque hiſtoricus, Lazio ſynchronus.

Lazii verba ſunt: *Relatum eſt mihi a fide digno ſene, Friderici III. Cæſaris ætate tumulum effoſſum cum oſſibus, in cujus ſaxis P. Ovidii Naſonis nomina adſcripta fuiſſent: eaque a Jauinenſi Epiſcopo, cujus illa diœceſis eſt, ablata eſſe. Ut credendum ſit, exulem Ovidium, poſteaquam, impetrata gratia, e Ponto rediiſſet, Sabariæ rebus humanis ereptum eſſe, & ſepultum o*). Bruſchius autem: *Sabaria*, inquit, *civitas Hungariæ, hodie Stein am Anger lingua germanica dicta, S. Martini Turonenſis Epiſcopi, & S. Patritii Hiberniæ Epiſcopi, qui fuit nepos S. Martini e Sorore, ſolum natale, duobus milliaribus a Girſio oppido: ubi inventum eſt anno D.* 1508. *Publii Ovidii Naſonis ſepulcrum ex teſtudine magnificum, in quo repertæ ſunt lampades ſex lapideæ, & duæ laminæ, inſcriptæ verſibus: una cuprea, altera aurea, quas Schleinicenſis arcis Præfectus, Clemens dictus, emit. Teſtis Leonhardus Creuzerus Poſonianus, Concionator S. Stephani Viennæ, qui tabulas vidit, & verſus legit, ſed non retinuit p*). Hæc illi. Sed, ſi relatione *Bruſchii*, qui ſepulcrum *Ovidii* anno 1508. *Sabariæ* inventum ſcribit, ſtandum eſt,

n) Apud *Pontanum* Lib. de Magnificentia cap 14.

o) *Lazius* Lib. cit. ſect. 3. cap. 2.

p) *Bruſchius* de Laureaco veteri p. 31. in margine.

patet *Lazium* non rite hujus inventionis tempus ſignaſſe ætate Imperatoris *Friderici III.* cum hic jam anno 1483. e vivis exceſſerit.

Narrationi *Bruſchianæ* modo deſcriptæ poſteriores quidam Scriptores ſequens epitaphium aſſuerunt:

FATUM NECESSITATIS LEX.

Hic ſitus eſt vates, quem divi Cæſaris ira
Auguſti patria cedere juſſit humo.
Sæpe miſer voluit patriis occumbere terris;
Sed fruſtra: hunc illi fata dedere locum.

Referunt hoc epitaphium, tamquam in Sabarienſi *Ovidii* Sepulcro repertum, *Bonbardus* in Topographia Regni Hungariæ; Gabriel *Szerdahely* in Chorographia celebrium Hungariæ urbium; nec non *Loydius* in Dictionario hiſtorico-geographico-poëtico, paſſimque alii, ad *Bruſchii* teſtimonium adpellantes: verum temere; nihil enim horum apud *Bruſchium* invenies. Sunt autem verſus illi e Polonico potius lapide ſumpti. Meminit hujus lapidis primum *Poſſevinus* in hiſtoria Familiæ *Gonzagarum*, ubi ſcribit: Polonos quosdam, cum ad Pontum uſque Euxinum procurriſſent, in ruderibus antiquæ, & celebris cujusdam urbis reperiſſe ſaxum ingens, his ipſis, quos paullo ante vidimus, verſibus: *Hic ſitus eſt vates, quem divi Cæſaris ira &c.* inſculptum; idque ſaxum ſex bobus in Poloniam advectum, & *Gneſnæ* a ſe viſum fuiſſe, unde *Cracoviam* transferendum erat, niſi mors Regis *Stephani Bathori* interveniſſet. Eundem lapidem commemorat *Sarnicius* hæc de *Ovidio* ſcribens: *Vivus*, inquit, *epitaphium ſibi ſcripſerat, & vir quidam e Ruſſia ſpectatæ nobilitatis dixit, ſe reperiſſe lapidem quemdam in planicie quadam ad oppidum Aſau, cui hoc carmen inciſum fuit, quod venam Ovidii refert: Hic ſitus eſt vates* &c. uti ſupra q). Alii lapidem ſepulcralem, hiſce verſibus inſignem, tradunt effoſſum fuiſſe in *Beſſarabia*, Moldaviæ provincia, apud pagum *Iſaccium* inter *Akierman* (Romanis olim *Albam Juliam*, Græcis *Moncaſtron*, Polonis *Bialogrod*) & *Kiliam*, antea *Lycoſtomon* vocatam, poſitum; & quidem prope lacum, quem Moldavi *Lacul Ovidului*, id eſt, *Lacum Ovidii* nuncupant. Quapropter ſunt, qui ipſam *Kiliam* exiſtiment urbem *Tomitanam* fuiſſe, a vero procul aberrantes, quoniam ex antiquis Geographis, & ex Itinerario Antonini, atque ex ipſis *Ovidii* elegiis aperte conſtat, *Tomos* in ſitu *Kiliæ* non ſtetiſſe, cum *Tomi* reſpectu Italiæ cis Danubium fuerint, *Kilia* vero cum tota Beſſarabia trans Danubium poſita eſt. Omitto illos, qui hoc epi-

q) *Sarnicius* Lib. 2. Annal. Polon. cap. 4. ſub finem.

taphium *Kioviæ* apud Ruſſos erutum ſcribunt: hi enim *Kioviam* Ruſſiæ confundunt cum *Kilia* Beſſarabiæ, errore non minus craſſo, ac illi faciunt, qui *Temeſvarinum* Hungariæ urbem *Tomos* interpretantur, eo quod urbs *Tomorum* lingua moldavica *Tomiſvara* hodie vocetur.

Quid igitur, inquies, de gemino hoc *Ovidii* monumento ſepulcrali, Moldavico ſcilicet, ac Hungarico tenendum? Moldavicum quidem eruditus *Büſchingius*, in ſuis ad Demetrii Cantemiri Moldaviam notis, & animadverſionibus, ſuſpicatur eſſe ſpurium, a Polono quopiam confictum, ac imperitis pro genuino obtruſum *r*). Verum Petrus *Belorius*, Chriſtinæ Suecorum Reginæ Antiquarius, ſincerum eſſe autumat hac potiſſimum de cauſa, quod Antonius *Poſſevinus*, antiquitatum æſtimator peritus, illud viderit, nec improbaverit. *Samuel* quoque *Timon* de illius ſinceritate non ambigit; qui tamen arbitratur, ſaxum illud ſepulcrale principio *Tomis* fuiſſe poſitum, atque inde nonniſi ſerius in Beſſarabiam translatum. Sed juvat ipſa *Timonis* verba iſthic excitare, cum nonnulla iis inſint, quæ alii Scriptores aut reticuerunt, aut aliter retulerunt: *Illud mirabile*, inquit, *videtur, quod procedente tempore monumentum Ovidii latum ſit trans omnia Iſtri oſtia: Cum enim Stephanus Rex Poloniæ circa annum* 1572. *in Podolia conſiſteret, nonnulli ex ejus comitatu curioſiores longius ad Pontum excurrerunt, ubi prope Achillæam, quam Chiliam adpellant, remota humo, Græcus quidam oſtendit eis monumentum lapideum, cui inſcripti ſunt ſex verſus de rebus, morte, & ſepultura Naſonis. Verſus eos, cui libitum fuerit veritatem exquirere, inveniet apud Michaelem Iſeltium in continuatione Surii s*). Eodem modo variant judicia recentiorum circa Sabarienſe *Ovidii* ſepulcrum in Hungaria. Nam, ſi Stephanum *Zamoſium* audias, *Euſebius* juxta ac Georgius *Trapezuntinus* fide antiquioris hujus, immo coævi monumenti lapidei, redarguuntur, & *Ovidius* reapſe non *Tomis* in Mœſia inferiore, ſed *Sabariæ* in Pannonia ſuperiore obiit, ac ſepultus eſt. *Credo*, inquit ille, *Ovidium exulem non uno in loco conſtitiſſe, ſed in Pannonias quandoque divertiſſe, ut tædium ſolitudinis levaret doctorum virorum conſortio, qui iſthic ex Italia frequentes adventabant, ubi eum tandem mors inſperata oppreſſerit t*). Ex adverſo *Timon* rejecta hac *Zamoſii* opinione, quod ea tam elegis Poëtæ eſſet diſſona, quam nullo veterum teſtimonio communita, conjecturam ſuam hunc in modum proponit. *Potuit Ovidio*, inquit, *Sabariæ ab amico quopiam honorarium monumentum poni. Hunc enim morem non fuiſſe inuſitatum Romanis, auctor eſt Suetonius, dum ſcribit, Druſo ejusmodi tumulum factum fuiſſe a militibus in Germania, cum reliquiæ ejus Romam devectæ eſſent u*).

---

r) Vid. Büſchings Magazin III. Theil p. 551.
s) Imag. Hung. antiq. Lib. I. c. 16. ſub finem.
t) *Zamoſius* in Analect. Daciæ Antiquit. cap. 4.
u) *Timon* l. ſupr. cit.

His

His ergo utramque in partem expoſitis, penes Lectorem arbitrium eſto, ecquidnam propius ad verum accedat. Utinam vero Sabarienſe Ovidii monumentum quispiam iſtorum, qui de illo ſcripſerunt, ſuismet conſpexiſſet oculis, ſinceramque ex illo epigraphen in ſuos commentarios retuliſſet! Nam verſus iſti, quos ſupra vidimus, neutiquam ex laminis, quarum *Bruſchius* meminerat, *Sabariæ* in ſepulcro repertis, ſed ex lapide, quem *P Jſevinus* Gneſnæ in Polonia viderat, deſcripti ſunt. Nihilominus tamen omnibus rite ponderatis exiſtimo; exulem *Ovidium* apud *Tomitanos* quidem extinctum, ac ſepulcrali monumento honoratum fuiſſe, verum poſtea cineres ejusdem, & oſſa, urnæ incluſa, ab amicorum quopiam *Sabariam* eſſe translata, ubi ineunte tandem ſexto decimo æræ Chriſtianæ ſæculo reperta ſunt. Hac interpretatione & *Euſebio* ſua conſtat auctoritas, & adfirmatæ tot teſtibus traditioni de invento Sabariæ ſepulcro *Publii Ovidii Naſonis* non penitus denegatur fides. Sane non defuerunt inter priſcos Romanos, qui memoriam illuſtris hujus Poëtæ, quamvis exulis, ob miram, quæ in ejusdem operibus relucet, ingenii elegantiam, & ſuavitatem, publicis monumentis alibi quoque locorum celebraverint. Teſtem adduco *Bellorium*, qui in ſepulcro *Naſoniorum*, quod ſæculo ſuperiore *Romæ* in via Flaminia repertum fuit, *Ovidium Naſonem* laureatum, ac principe loco depictum obſervavit *x*). Erat etiam alius quidam veterum Romanorum, qui argenteum *Ovidii* calamum memoriæ cauſſa adſervabat. Inventus is erat Tauruni anno 1540., atque ad *Iſabellam* Reginam, *Joannis Zapoliæ* Conjugem, delatus, atteſtante *Hercule Cioſanio*, qui hæc ſcribit: *Iſabella Pannoniæ Regina circiter annum MDXL. Ovidii calamum ex argento Tauruni, quæ eſt urbs inferioris Pannoniæ, oſtendit Petro Angelio Bargæo, qui hoc ipſum mihi narravit, cum hac inſcriptione:* OVIDII NASONIS CALAMVS: *qui non multo ante id tempus ſub quibusdam antiquis ruinis fuerat repertus. Eum Regina ipſa plurimi faciebat, & velut rem ſacram carum habebat y*). Sed, utcunque hæc ſint, indicium ſaltem *Ovidiani* monumenti *Sabariæ* reperti, ſive illud Epitaphium, ſive Cœnotaphium fuerit, hoc loco minime prætereundum exiſtimavi, quod ea res argumento eſſe poſſit, *Sabariam* jam antea, quam ad *Coloniæ Romanæ* dignitatem eveheretur, locum non plane incelebrem fuiſſe.

Ovidii exulis mortem ſubſecutus eſt anno ſequente interitus *Germanici* Cæſaris, pui toti Romano Imperio ſane quam luctuoſus fuit. *Tiberius* enim, ſublato *Germanico*, quem unicum adhuc verebatur, mox omni quaſi metu ſolutus, in ſævitiam, & enormia flagitia prorupit, factoque in Capream inſulam ſeceſſu, curam Reipublicæ adeo abjecit, ut poſtea non decurias equitum ſupple-

---

x) Apud *Grævium* T. XII. Theſauri Antiq. Rom. p. 1021. ſeqq. in Diſſ. de Picturis antiquis Sepulcri Naſoniorum in via Flaminia.

y) *Cioſanius* in vita *Ovidii* p. 29.

verit, non tribunos militum, præfectosque; non provinciarum præſides ullos mutaverit: Hiſpaniam, & Syriam per aliquot annos ſine conſularibus legatis habuerit: Armeniam a Parthis occupari, Mœſiam a Dacis, & Sarmatis, Gallias a Germanis vaſtari neglexerit, magno dedecore Imperii, nec minore diſcrimine, uti refert *Suetonius* z). Quamobrem mirum eſt, *Pannoniam* in fide manſiſſe, præcipue cum in ea binæ tantum legiones ad cuſtodiam ripæ attinerentur, videlicet octava, & quintadecima; nam nona fuit Romam evocata, indeque præſidio Africæ miſſa duce *Junio Blæſo*, *Sejani* avunculo. Verum id rebus Romanis percommode hoc tempore accidit, quod *Druſus* a *Tiberio* patre ex Illyrico in Germaniam miſſus, excitatis inter Germanorum principes diſcordiis, *Maroboduum*, Norico, & Pannoniis antea formidabilem, in exitium præcipitaverit. Hunc nobiles inter Gotones juvenis nomine *Cataulda*, injuriæ memor e regno proturbavit, coegitque apud Romanos perfugium quærere, eandem & ipſe quidem haud multo poſt expertus fortunam. Præclara tunc ſe ſe offerebat occaſio impopulandi hanc Pannoniæ partem, in qua erant Bojorum deſerta, agerque Sabarienſis: ſed magis e re publica viſum eſt, *Maroboduo* Ravennam in Italia, *Catualdæ* Forum Julium in Narbonenſi Galliæ provincia locum habitationis adſignare, Barbaros autem, utrumque comitatos, ne quietas provincias immixti turbarent, ultra Danubium, ad oppoſitam Pannoniæ ſuperiori plagam transferre, iisque terras inter flumina *Marum*, & *Cuſum*, id eſt, inter fluvios *Moravam*, & *Vagum*, tribuere, dato iisdem rege *Vannio* e gente Quadorum a).

Tiberio ſub annum Chriſti 37. defuncto, ſucceſſit *Cajus Caligula*, degener *Germanici* filius: qui, poſtquam immenſam pecuniæ vim, a deceſſore ſibi relictam, nempe *ſepties millies HS* b), non toto vertente anno abliguriviſſet, ad rapinas convertit animum, paſſimque locupletiores vita, & fortunis ſpoliabat. In horum numero erat *Calviſius Sabinus*, *Pannoniæ* Præfectus, vir Senatorii ordinis. Hic a *Caligula* Romam revocatus ad cauſam dicendam (nam ejus uxor *Cornelia* incuſabatur, quod mala cupidine viſendi ſitum caſtrorum per noctem militari habitu ingreſſa, vigilias, & cetera militiæ munia temeraverit) intentatum ſibi judicium ſpontanea morte anteverterat c). At *Caligulam*, Principem omnibus flagitiis contaminatiſſimum, facta conjuratione, *Caſſius Chæreas*, & *Cornelius Sabinus*, Prætorianorum Tribuni, anno Imperii quarto jugularunt.

---

z) In Tiberio cap. 41. ex edit. Hauriſii.

a) *Tacitus* Annal. lib. I.

b) *Septies millies ſeſtertium* ſignificant ſepties millies centena millia ſeſtertiorum, ſive ſeptingentos milliones *aureorum*: nam centum ſeſtertii numi valebant unum aureum. *Aureus* autem Romanus illius temporis æquat pondere noſtros *Cæſareos* 2 & fere 1/8.

c) *Dio* Lib. LIX. pag. 922.

CAPUT III.

De Colonia civium Romanorum Sabariam deducta, imperante Tiberio Claudio: ac de nonnullis aliis ejusdem Claudii operibus publicis.

TIBERIUM *Claudium*, viſa *Caligulæ* nece, latebras quærentem, miles primum, dein Senatus Auguſtum ſalutavit. Erat is *Druſi* majoris filius, *Germanici* Cæſaris frater, *Liviæ* Auguſtæ nepos, annumque jam agebat quinquageſimum, quo tempore ad Imperium evectus eſt. Imperavit autem ab anno Chriſti 41. ad 54. medius inter optimos, & peſſimos Principes, ſed in hiſtoria *Sabarienſi* præcipuis adnumerandus, quod ejus Principatu *Sabaria* facta eſt *Colonia* civium Romanorum. Breviter id memoriæ prodidit *Cajus Plinius* hiſce verbis: *jam tamen colonia divi Claudii Sabaria d*). Cui ſuffragantur vetuſtæ Inſcriptiones, in quibus hæc urbs vocatur *Colonia Claudia Savaria.* Omitto Golczianum Numiſma, utpote ſpurium, certe de novitate ſuſpectum, in quo legitur: COL. SABARIA CLAVDIANA AVGVSTA: non quod credibile non ſit, aliquos *Coloniæ Savariæ* nomine ſignatos fuiſſe Numos, ſed, quia ſoli Golczio, ut jam ſupra diximus, non ſatis tuto habetur fides, &, quia ipſa hæc epigraphe Numiſmatis, quæ *Claudianæ* titulum nomini *Sabariæ* poſtponit, novitatem reapſe ſapit.

Colonias Romani variis ex cauſis deducebant: ac *primum* quidem, ut Imperii caput *Romam* interdum allevarent, ſuperfluam inde multitudinem velut ſanguinem emittendo: *deinde*, ut loca in provinciis impopularent, excolerent, ac perpolirent novorum hoſpitum adventu, & invectione artium: *tertio*, ut per colonias Romanorum ſanguinem quam latiſſime propagarent, eoque ſuum in provinciis imperium firmarent: *quarto*, ut veteranis militibus hoc pacto prœmia largirentur. *Sabariam* deducti ſunt coloni ex tribu *Claudia* potiſſimum; id quod, ſilentibus hiſtoricis, ex lapidum *Sabarienſium* inſcriptionibus pronum eſt colligere: nec enim alterius fere, quam *Claudiæ tribus* in illis occurrit mentio. Fuit hæc *Romæ* una ex antiquiſſimis, & numeroſiſſimis tribubus. Ejus auctor erat *Actius Clauſus*, poſtea nomen *Appii Claudii* adeptus. Hic ab *Regillo* e Sabinis magna clientum manu ſtipatus cum *Romam* veniſſet, inter patricios adſumptus eſt, datusque illi ager, quem ſuis dividere poſſet, *Fidenas* inter, & *Piculiam* ſitus. Qui proinde in hoc agro locati erant, hi deinceps *Claudiam tribum* effecere: alii vero, qui ex *Appio Claudio*, hujusque filiis, ac nepotibus prognati fuere, ad

d) Hiſt. nat. L. 3. c. 24.

gentem, familiamque *Claudiam* relati ſunt: atque ita idem *Appius Claudius* ſimul tribus, ſimul gentis *Claudiæ* ſtator fuit. Rem hanc *Virgilius* exprimit ſequentibus verſibus:

Ecce Sabinorum priſco de ſanguine magnum
Agmen agens Clauſus, magnique ipſe agminis inſtar,
Claudia nunc a quo diffunditur & tribus, & gens e).

Colonia vero *Sabaria* duplici ex capite dici *Claudia* potuit; nempe primum, quia imperio, & auſpiciis *Claudii* Auguſti, e patricia *Claudiorum* gente orti, deducta fuit; dein autem, quia cives novos e *Claudia* tribu accepit.

Ratio, modusque colonias deducendi apud Romanos hic erat: captis auſpiciis, & luſtratione adhibita, peractoque ſacrificio, curatores lege creati eos, qui aut ſua ſponte nomina dederant, aut ſorte exierant, ſub vexillo duxerunt in regionem, locumque deſignatum. Ibi agri viritim a duumviris diviſi, & pomœria urbis circumducto aratro definita: tum in ipſa urbe omnia ad imitationem matris *Romæ* diſpoſita; vici, fora, curiæ, templa, collegia, Magiſtratus, ſacerdotia. Conſueti coloniarum Magiſtratus erant *Duumviri*, Conſulum inſtar. *Decuriones* loco Senatorum; *Seviri*, e quibus Decuriones legebantur; tum *Cenſores*, *Aediles*, *Quæſtores*; item alii, qui res ſacras curabant; ut *Sacerdotales*, *Flamines*, *Auguſtales*, *Pontifices*, *Augures*. Spectatis porro juribus, ac privilegiis, tria fere fuere *coloniarum* genera, nempe Juris *Romani*, *Latini*, ac *Italici*. Primi generis coloniæ conſtabant e civibus Romanis, gaudebantque jure ferendi ſuffragii, ſed eadem non ſecus, atque ii, qui *Romæ* vivebant, Romanas obſervare leges, & omnia civium Romanorum onera ſuſtinere cogebantur. Hinc eſt, quod *Gellius* potiorem, ac præſtabiliorem nonnunquam *municipiorum*, quæ propriis legibus vivebant, & a multis oneribus exempti erant, conditionem fuiſſe ſcribat *f*). In coloniis, quæ jus *Latii* habebant, civitatem Romanam ii ſoli, qui Magiſtratus geſſiſſent, indipiſcebantur. At coloniæ juris *Italici*, extra Italiam poſitæ, ne iſto quidem privilegio fruebantur. Nihilominus tamen *jus italicum* in hoc reliquis commodius erat, quod coloniæ hujus juris a pendendis tributis eximi, atque ideo *immunes* vocari ſolitæ ſint, Ulpiano teſte *g*). Quidam quartum coloniarum genus conſtituunt, colonias nempe *militares*; & quintum, *auguſtales*. Sed ambæ iſtæ ad priores tres referendæ ſunt. *Militares* enim coloniæ hac ſolum de cauſa ita vocabantur, quod ex veteranis militibus, honeſta miſſione donatis, conſtiterint: *Auguſtales* autem, quod Auguſti cujuspiam imperio, & auſpiciis deductæ, aut beneficiis ornatæ fuerint, non vero, quod peculiari

---

e) Aeneid. VII. 706.
f) Noct Attic XVI 13.
g) *Ulpian.* ff. de cenſibus L. 1. & L. 8.

quopiam jure, a tribus paullo ante deſcriptis diſtincto, uterentur. Quod attinet ad *Sabariam*, hæc primi generis colonia fuit: conſtabat enim e civibus Romanis *Claudiæ tribus*; eadem erat in *Auguſtalium* coloniarum numero, quia imperio, & auſpiciis *Claudii* Auguſti deducta fuit. Quod vero in eandem veterani etiam milites ſubin cooptati fuerint, hoc ex lapidum inſcriptionibus colligitur: hujusmodi eſt, quam Lib. I. hujus Operis Cap. VIII. n. 1. retulimus. Ibi enim legitur *L. Valerius Cenſorinus ex Veterano Legionis I. Adjutricis* factus *Decurio Coloniæ Claudiæ Savariæ.*

De anno, quo *Sabaria* coloniæ Romanæ dignitatem adepta eſt, arduum eſt decernere. *Cornelius Tacitus* duarum tantum coloniarum ſub *Claudio* Auguſto deductarum meminit, *Agrippinenſis* videlicet in Germania, & *Camalodunenſis* in Britannia. Prior illa nomen accepit ab *Agrippina* Claudii uxore. Hæc enim, quo vim ſuam ſociis quoque nationibus oſtentaret, in oppidum *Ubiorum*, in quo genita erat, veteranos, coloniamque deduci impetravit: poſteriorem autem ipſe *Claudius*, durante expeditione Britannica in agris captivis valida veteranorum manu condidit, ſubſidium adverſus rebelles, & imbuendis ſociis ad officia legum *h*). De colonia tamen *Sabariam* deducta nihil apud *Tacitum*, ſed apud *Plinium* ſolummodo; licet & ipſe, perinde ac lapidum inſcriptiones, nonniſi generatim innuat, eam ſub *Claudio* (adeoque intra annos Chriſti 41. & 54. fuiſſe deductam. Interea, ſi quis conjecturæ locus eſt, arbitror, hanc deductionem referri poſſe ad tertium *Claudii* Conſulatum, ſive ad annum Chriſti 43. Ad hunc enim annum hæc notat *Caſſius Dio*: *Quia*, inquit, *fere omnibus in rebus Romani peregrinis potiores habebantur*, *multi civitatis jus ab ipſo* (Claudio Auguſto) *petebant multi a Meſſalina*, *ac libertis Cæſaris redimebant. Itaque jus illud*, *magna quondam pecunia venditum*, *adeo tunc vile factum eſt*, *ut vulgo jactaretur*, *etiamſi quis alicui vaſa vitrea confracta dediſſet*, *civem Romanum fore i*). Idem auctor ſcribit, Imperatorem *Claudium* in tertio Conſulatu ſuo complures tuliſſe leges, provinciis Imperii Romani perutiles: inter has erat, ut provinciarum Præfecti ſorte conſtituti moras *Romæ* non necterent, ſed ante medium Aprilem in ſuas provincias diſcederent. Conſtitutus tunc fuerat *Pannoniæ* Præfectus *Publius Attilius Hiſter*, cui forte negotium quoque deducendæ *Sabariam* coloniæ impoſitum erat. Solebant enim idgenus negotio præfici viri graves, prudentes, atque dignitate conſpicui. Sic *Lucius Munacius Plancus* erat vir Conſularis, qui, jubente *Auguſto*, colonias *Lugdunum*, & *Rauricum* deduxerat: ſic teſte Lapidis apud Lipſium inſcriptione; Curator Coloniæ Claudiæ Agrippinenſium *M. Maius Titius Rufinus* fuit Conſul, & Legatus Legionis primæ Minerviæ *k*).

---

h) *Tacitus* Lib. 12. Annalium cap. 27. & 32.

i) *Dio* Hiſt. Rom. L. LX. p. 955.

k) Vid. *Lipſius* in Not. ad Taciti Annal. XIII. 63.

Sub annum Chriſti *quinquageſimum* metuebatur quieti *Sabarienſium* ob exortos in vicino *Quadorum* regno motus. *Quadis*, genti Suevicæ, imperabat *Vannius*, ope Druſi Cæſaris, ut ſupra meminimus, regnum adeptus. ,, Is prima ,, imperii ætate clarus, acceptusque popularibus, poſtea ob diuturnitatem ſuper- ,, bior factus, odium ſuorum incurrit, domeſticisque diſcordiis circumventus ,, regnum amiſit. Auctores fuere *Jubilius* Hermundurorum Rex, & *Vangio*, ac ,, *Sido*, ſorore *Vannii* geniti. Sæpius oratus eſt Imperator *Claudius*, ut arma ,, certantibus interponeret; qui tamen nil aliud, quam tutum *Vannio* perfugium, ,, ſi pelleretur, promiſit; ſcripſitque *Publio Attilio Hiſtro* Pannoniæ Præfecto, ,, ut legionem, ipſaque e provincia lecta auxilia pro ripa componeret, ſubſidio ,, victis, & terrori adverſus victores, ne fortuna elati, Romanam quoque pa- ,, cem turbarent. Nam vis innumera *Lygii* (verba ſunt *Taciti*) aliæque gentes ,, adventabant, fama ditis regni, quod *Vannius* per triginta annos prædationi- ,, bus, & vectigalibus auxerat. Ipſi manus propria pedites; eques e *Sarmatis* ,, Jazygibus erat, impar multitudin hoſtium, eoque caſtellis ſe ſe defenſare, ,, bellumque ducere ſtatuit. Sed Jazyges obſidionis impatientes, & proximos ,, per campos vagi, neceſſitudinem pugnæ attulere, quia Lygius, Hermundurus- ,, que illis ingruerant. Igitur digreſſus caſtellis *Vannius* funditur prælio; quam- ,, quam rebus adverſis laudatus, quod & pugnam manu capeſſiit, & corpore ,, adverſo vulnera excepit. Ceterum ad claſſem in Danubio operientem perfugit. ,, Secuti mox clientes, &, acceptis agris, in Pannonia locati ſunt *l*). ,,

Reddita hoc modo Pannoniis quiete, dubium non eſt, quin *Sabaria* in- dies majora acceperit incrementa, *Claudio* Auguſto coloniam ſuam fovente; cu- jus quanta fuerit in curandis operibus publicis liberalitas, & magnificentia, e ſumptibus, quos ſeu Romæ in Aquæductus, ſeu extra Romam in emiſſarium lacus *Fucini*, & in portum *Oſtienſem*; nec non in vias publicas ſternendas, ac muniendas fecerat, arguere licet. *Vicit antecedentes aquarumductus*, ait Plinius, *noviſſimum impendium operis inchoati a C. Cæſare, & peracti a Claudio. Quippe a lapide quadrageſimo ad eam excelſitatem, ut in omnes urbis montes levarentur, influxere Curtius, atque Cæruleus fontes. Erogatum in id opus ſeſtertium ter millies. Quod ſi quis diligentius æſtimaverit aquarum abundantiam in publico, balineis, piſcinis, domibus, euripis, hortis, ſuburbanis, villis, ſpatioque advenientis ex- ſtructos arcus, montes perfoſſos, convalles æquatas, fatebitur nihil magis miran- dum fuiſſe in toto orbe terrarum m*). Nomen huic Aquæductui *Claudia Aqua*. Ejusdem *Claudii* Auguſti inſtar maxime commemoranda referunt antiqui Scripto- res emiſſionem lacus *Fucini*. Per tria paſſuum millia partim effoſſo monte, par- tim exciſo, canalem fecit ægre per undecim annos abſolutum, quamvis conti-

l) *Tacitus* L. I. Annal. cap. 30.
m) *Plinius* Hiſt. nat. L. 36. cap. 15.

nuis triginta millibus hominum ſine intermiſſione operantibus *n*). Incredibili quoque impendio Portum Oſtienſem extruxerat, circumdato dextra, ſiniſtraque brachio, & ad introitum profundo jam ſalo mole objecta; quam quo ſtabilius fundaret, navem antea demerſit, qua magnus obeliſcus ex Ægypto fuerat advectus, congeſtisque pilis ſuperpoſuit altiſſimam turrim in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes curſum navigia dirigerent *o*). Sed hæc omnibus notiſſima. De operibus autem viarum publicarum, quæ *Imperator Claudius* perfecit, multa nonniſi ſerius ex columnis milliariis, per *Gruterum*, *Reineſium*, *Bergierium*, *Hennenium*, & *Muratorium* vulgatis, innotuerunt; nec tamen etiamnum omnia. Etenim anno primum 1787. effoſſus eſt in agro *Belunenſi*, apud vicum *Ces* dictum, Lapis cum elegantiſſima prorſus inſcriptione, quæ docet rem a nemine hactenus traditam, videlicet, quod Imperator *Claudius* viam, a Druſo patre Alpibus bello patefactis derivatam, muniverit ab *Altino* uſque ad flumen *Danubium* per millia paſſuum trecenta quinquaginta; quæ valent noſtra ſeptuaginta quatuor milliaria. Notitiam hujus monumenti in acceptis debeo Eminentiſſimo S. R. E. Cardinali Josepho e Comitibus Garampi, cujus in rem literariam merita notiora ſunt, quam ut iſthic debeant commemorari, longeque majora, quam poſſint a me pro dignitate celebrari. Sic autem habet hæc Inſcriptio:

TI CLAVDIVS DRVSI F
CAESAR AVGVSTVS GERMA
NICVS PONTIFEX MAXV
MVS TRIBVNITIA POTESTA
TE VI COS IV IMP XI PP
CENSOR VIAM CLAVDIAM
AVGVSTAM QVAM DRVSVS
PATER ALPIBVS BELLO PATE
FACTIS DERIVAVIT MVNIT AB
ALTINO VSQVE AD FLVMEN
DANVVIVM MI--- CCCL.

Deliberabam principio, an non iſthæc *via Claudia*, incipiens ab *Altino* per *Aquilejam*, ac per *Sabariam* tranſierit, duxeritque ad civitates Pannoniæ Danubio adſitas, vel *Carnuntum* ſcilicet, vel *Vindobonam*: ſed poſtea re melius expenſa, deprehendi ab iſta penitus diverſam fuiſſe. Vicus enim *Ces* agri Belunenſis, in quo hic lapis milliarius eſt inventus, priſcis Romanis Manſio ad *Ceraſias* vocabatur: *Alpes*, quas *Druſus Major*, Claudii Auguſti pater, bello patefecit, non *Pannonicæ* erant, verum *Rhæticæ*, & quidem *Tridentinæ*. Ita enim

---

n) *Suetonius* in Claudio. *o*) Ibidem cap. 20.

Dio ſcribit: *Rhæti, qui inter Noricum, & Galliam, ad Alpes Tridentinas Italiæ finitimas, ſedes ſuas habent, vicinam Galliam frequenter populati, etiam ex Italiæ finibus prædas egerunt. . . . Eapropter Auguſtus principio Druſum contra eos cum exercitu miſit; isque Rhætos apud Alpes Tridentinas obviam ſibi factos, prælio congreſſus, celeriter fudit; ejusque victoriæ cauſa prætorios honores adeptus eſt p).* His proinde ſpectatis; *Via Claudia Auguſta* ab *Altino* per *Cepaſias*, perque *Tridentum* producta fuit uſque ad flumen *Danubium* eo itinere, quo non plura, nec pauciora, quam *CCCL millia paſſuum* comprehendebantur. Nunc, quanam ratione omnes itineris hujus manſiones ex Itinerario Antonini collegerim, paucis indicabo: *Pag.* 280. deſcribitur Iter ab *Opitergio Tridentum* per manſionem ad *Cepaſias* dictam, ita, ut hoc itinere colligantur M. P. CX. Erat autem *Opitergium* oppido *Altino*, ad oſtium *Silis* fluvii in mare Adriaticum exeuntis poſito, tam vicinum, ut vix majore, quam M. P. VIII. intervallo ſejunctum fuerit. Quare ab *Altino* per *Opitergium*, & per alias, quæ ſunt in Antonini itinerario manſiones *Tridentum* non plura, quam M. P. CXVIII. numerata fuerint oportet. Hoc unum eſt ſegmentum totius itineris, in quod inquirimus. Alterum in eodem Itinerario reperio *pag.* 274. & *ſeq.* ubi inter *Tridentum*, & *Auguſtam Vindelicorum* per manſiones mox recenſendas colliguntur M. P. CCXII. Hæc duo ſegmenta jam conficiunt M. P. CCCXXX. Jam vero *pag.* 250. ab *Auguſta Vindelicorum* ad proximam *Danubio* manſionem, *Summontorium* dictam, notantur M. P. XX. Quæ proinde, ſi ad paullo ante memorata M. P. CCCXXX. addantur, jam ſumma totius itineris ab Altino uſque ad flumen Danubium habetur eadem, quæ eſt in Lapide, nimirum M. P. CCCL. En igitur *Viæ Claudiæ Auguſtæ* integram jam deſcriptionem:

AB ALTINO USQUE SUMMUNTORIUM DANUBIO ADJACENS M. P. CCCL.

Opitergium	M. P. VIII.
Ad Cepaſias (hodie *Ces*) .	M. P. XXVIII.
Feltria	M. P. XXVIII.
Auſugo	M. P. XXX.
Tridento	M. P. XXIIII.
Endidæ	M. P. XXIIII.
Sublavione	M. P. XXIIII.
Vipiteno	M. P. XXXII.
Veldidena	M. P. XXXVI.
Parthano	M. P. XXX.
Abuzaco	M. P. XXX.
Auguſta Vindelicum . . .	M. P. XXXVI.
Summuntorio	M. P. XX.

p) Lib. LIV. p. 751.

Sed

Sed hæc velut in tranſitu. Plures, easque doctiores ad præſtantiſſimum hoc monumentum animadverſiones procul dubio fecerint, aut facturi ſunt eruditi Itali, apud quos illud repertum eſt. Nobis vero hac præcipue de cauſa commemorandum erat, quod id ad commendandam *Claudii* Auguſti, auctoris coloniæ *Sabariæ*, in extruendis operibus publicis munificentiam haud parum facere videretur. Hinc enim facilis eſt conjectura, etſi taceant Scriptores, de ipſa quoque colonia *Sabaria* per *Claudium* Auguſtum non vulgaribus ædificiis publicis, templis, porticibus, theatris, foris, aquæductibus, balineis exornata. Quod quidem eo veriſimilius eſt, quo magis conſtat, *Sabariam* deinceps totius Pannoniæ Superioris metropolim factam, ſedemque Præſidum Provinciæ. Sed *Claudium* anno Chriſti 54. *Agrippina* conjux porrecto venenato boleto ex numero hominum ſuſtulit, interque Divos ſolemni apotheoſi, qua ſuum facinus celaret, referri fecit. Atque hæc ratio eſt, cur Plinius poſt ejus obitum ſcribens, *Sabariam* non Claudii Auguſti, verum *divi Claudii coloniam* vocaverit. Quin etiam templum honoribus *Claudii* Romæ in Cœlio monte poſitum eſt, quod ab *Agrippina* inchoatum Veſpaſianus ad faſtigium perduxerat *q*).

CAPUT IV.

De ſtatu Imperii Romani, rebusque Pannoniae, ſpeciatim Sabariae, a morte Claudii uſque ad Hadrianum.

ARTIBUS Agrippinæ ſublato Claudio in imperio ſucceſſit *Nero* anno Chr. 54. *qui*, ut ſcribit Eutropius, *Caligulæ avunculo ſuo ſimillimus, Imperium Romanum & deformavit, & diminuit. Inuſitatæ luxuriae, ſumptuumque. - - - Infinitam partem Senatus interfecit, bonis omnibus hoſtis. Ad poſtremum ſe tanto dedecore proſtituit, ut ſaltaret, & cantaret in ſcena citharædico habitu, & tragico r*). Hoc ultimum Numus quoque apud *Sabariam* repertus, ac lib. I. cap. X. n. 6. iſthic deſcriptus, confirmat. Sub tali Principis monſtro annis fere quatuordecim orbis Romanus ingemuit. Interitum vero *Neronis* ſubſecuta ſunt bella civilia, quæ *Sarienſes* quoque perſenſere. *Galbæ* ſeptem duntaxat menſibus faſces Imperii geſſit, *Othoniana* factione oppreſſus. Is Legionem I. Adjutricem inſtituit, quæ primum in Hiſpania, poſtea in Pannonia multis annis hybernabat. Eadem poſt *Galbæ* cædem ab *Othonis* partibus contra *Vitellium* ſtetit. Verum *Otho*, accepta Bedriacenſi clade, tertio poſt ſuſceptum Imperium menſe ſibimetipſi manus intulit.

q) *Suetonius* in Veſpaſiano cap. 9.
r) *Eutropius* Brev. Rom. cap. 29.

Poſt cædem *Othonis* de ſumma Imperii diſceptarunt *Vitellius*, & *Veſpaſianus*. Illum Germanicus, hunc Syriacus exercitus proclamavit Auguſtum. Sed *Veſpaſiani* cœpta plurimum accelerata ſunt ſtudio Illyrici, & ſpeciatim Pannonici exercitus. Ac primæ quidem illius partibus acceſſere in Mœſia, cui tunc *Aponius Saturninus* præfuit, legiones tertia, octava, & ſeptima Claudiana: his continuo ſe ſe junxerunt in Pannonia legiones tertiadecima, & ſeptima Galbiana, quæ mox Dalmaticum quoque militem traxere. *Pannoniam* eo tempore *Titus Ampius Flavianus*, *Dalmatiam* vero *Pompejus Sullanus* Proconſulari imperio regebant. Auctores tamen belli, pro *Veſpaſiano* gerendi, erant præcipui, *Antonius Primus*, Legionis VII Galbianæ eo tempore Præfectus, & *Cornelius Fuſcus* Procurator Pannoniæ, ac Dalmatiæ.

Igitur, qui *Veſpaſiani* partes contra *Vitellium* ſecuti ſunt duces, Pœtovionem, ut refert *Tacitus*, in hyberna tertiæ decimæ legionis convenerant. Illic agitavere, placeretne obſtrui Pannoniæ Alpes, donec a tergo vires univerſæ conſurgerent; an ire cominus, & certare pro Italia conſtantius foret. Quidam cenſebant, inſeſſis Alpibus expectandum eſſe, dum a *Veſpaſiano* miſſus veniret *Mucianus* cum copiis orientis. Verum *Antonius Primus* evicit, ne expeditio differretur: idem perſuaſit *Cornelius Fuſcus*, fruſtra adverſante *Tito Ampio Flaviano*, quem legiones Pannonicæ odiſſe jam cœperunt, tamquam affinitatis cum *Vitellio* memorem. Itaque profectio in Italiam decernitur. Ne tamen interea nudatæ copiis provinciæ Mœſia, Pannonia, Noricumque incurſionibus Barbarorum exponerentur, Principes Jazygum Sarmatarum adſciſcuntur in commilitium; in partes quoque trahuntur *Sido*, ac *Italicus*, Quadorum Reges, & Marcomannorum. Tum, ne quid a Rhætis, qui *Vitellio* ſtudebant, detrimenti acciperetur, miſſus eſt *Sextilius Felix* cum ala *Tauriana*, & octo cohortibus, ac Noricorum juventute ad occupandam ripam *Aeni*, qui Rhætos, Noricosque interfluebat *s*).

His ita diſpoſitis, *Antonius Primus*, & *Arrius Varus* cum parte Illyriciani exercitus tranſcendunt Alpes, locaque *Aquilejæ* proxima occupant. *Opitergii*, & *Altini* lætis animis accipiuntur. Relictum *Altini* præſidium adverſus claſſem Ravennatem, quæ tamen cum ex Dalmatis, & Pannoniis potiſſimum conſtaret, projectis *Vitellii* imaginibus in partes *Veſpaſiani* ſuapte tranſierat. Atrox dein prælium ad *Cremonam*, quo demum franguntur *Vitelliani*. Cumque ſub idem fere tempus *Fabius Valens*, dux *Vitellii* præcipuus, ad *Stœchadas* Maſſilienſium inſulas captus eſſet, cuncta mox ad *Veſpaſiani* opes convertuntur; initio facto per Hiſpaniam a prima legione Adjutrice, quæ memoria *Othonis* infenſa *Vitellio*, decimam quoque, & ſextam traxit. Neque Galliæ cunctabantur; & Britanniam inclytus erga *Veſpaſianum* favor, quod illic ſecundæ legioni præpoſitus, & clarus bello egerat, adjunxit *t*).

---

t) *Tacitus* hiſt. lib. 3. *s*) Ibidem cap. 44.

Dum hæc in Italia geruntur, *Daci* Mæſiam, exercitu Romano vacuam, invadunt, expugnatisque cohortium, & alarum hybernis, utraque Danubii ripa potiuntur. Jamque caſtra legionum exſcindere parabant, procurſuri in vicinam Pannoniam, dum fortuna populi Romani *Mucianum*, viresque Orientis tulit, ac Barbaros e provincia fugavit. *Dacis* fugatis, relictoque in Mœſia *Fontejo Agrippa* cum parte copiarum, ipſe *Mucianus* in Italiam feſtinabat, ut bello civili finem imponeret. Verum eo non expectato, jam exercitus Illyricus, duce *Antonio Primo*, Romam occupavit. Fœda tunc urbis facies: Capitolium a furente milite exuſtum, prælia intra ipſam urbem multa, & varia; donec interceptus *Vitellius* Imperio, & vita ſpoliaretur *u*).

Sublato *Vitellio*; imperavit *Veſpaſianus* ab anno Chriſti 69. ad 79. Princeps miræ ſobrietatis, urbanitatis, ac moderationis, cui, ut ſcribit *Suetonius*, per totum Imperii tempus nihil antiquius fuit, quam afflictam, nutantemque Rempublicam ſtabilire primo, dein & ornare. Sub hoc itaque Imperatore, uti & ſub *Tito* Veſpaſiani filio, qui ob ſingulare de omnibus bene merendi ſtudium amor, ac deliciæ humani generis adpellatus eſt, colonia *Sabaria* lætiſſimis procul dubio incrementis adoleſcebat. Certe plurimas per totum orbem Romanum urbes ab iis fuiſſe renovatas, & excultas, auctores ſunt *Suetonius*, & *Aurelius Victor*. Quorum teſtimoniis haud modicum robur addunt Inſcriptiones Lapidum, in quibus complures urbes, quod a *Flavio Veſpaſiano*, ejusve filio variis beneficiis affectæ eſſent, ſe ſe *Flavias* nuncupant. Idgenus Inſcriptionem unam, etiam apud *Sabariam* repertam, in qua *Scarbantia* urbs titulo *Municipii Flavii Auguſti* ornatur, exhibemus iſthic *Tab. IX n.* 1.

Poſt breve *Titi* Imperium ſucceſſit anno Chriſti 81. *Domitianus*. Is principio clementiam ſimulans omnia beneficia a patre, fratreque, ac prioribus aliis Auguſtis conceſſa, civitatibus confirmavit *x*). Quod cum ad *Sabarienſes* quoque pertineret, hi primum Imperii *Domitiani* annum Lapidibus, qui etiamnum ſuperſunt, inſculpſerunt. Sed, poſtquam idem reliquos Imperii annos ſævitia, rapacitate, faſtu intolerabili, aliisque ſceleribus contaminaſſet, ideoque a conjuratis interfectus fuiſſet, Senatus ſibi temperare non potuit, quin mortuum contumeliis laceraret, ejusque imagines in curia detrahi, ſoloque affligi juberet. Immo ad abolendam ſæviſſimi Principis memoriam Senatusconſulto ſancitum erat, ut illius nomen ex omnibus monumentis eraderetur. Hoc a noſtris etiam *Sabarienſibus* obſervatum eſſe, oſtendunt ipſæ Inſcriptiones, quas ex Lapidibus iſthic *Tab. II. & III.* æri inciſas ſiſtimus. In his enim, tametſi ceteri tituli permanſerint illæſi, ipſum tamen *Domitiani* nomen ſic obliteratum eſt, ut veſtigia veteris raſuræ non caſu, non temporis diuturnitate, ſed ſtudio, dataque opera factæ, etiamnum ad-

u) Ibid. cap. 71.
x) Ibidem.

pareant. Ceterum *Sabarienſibus* peculiares inſuper cauſæ erant, cur *Domitiani* nomen deteſtarentur. Quippe *Domitianus* poſt iteratas clades a *Dacis* acceptas in Pannoniam venit, eoque tempore, quo bellum *Quadis*, & *Marcomannis* indixit, legatis ipſorum interfectis, veriſimiliter *Sabariæ* utpote præcipua tunc Pannoniæ Superioris urbe, moratus eſt. Tunc enimvero *Sabarienſes* exitialem *Domitiani* tyrannidem, atque omne flagitiorum genus coram viderunt, & experti ſunt. Hujusmodi fuit illud, cum is a Marcomannis haud multo poſt victus, & in fugam conjectus, nuncios ad *Decebalum* Dacorum Regem miſit, pacemque ingenti pecunia, datisque variis artificibus, & promiſſo inſuper annuo tributo, mercatus erat, ac nihilominus tamquam victor Barbarorum Romam ad triumphum rediit, ductis, quos auro civitatibus extorto emit, obſidibus & captivis *y*).

Feliciora ſubſecuta ſunt tempora imperantibus *Coccejo Nerva*, *Ulpio Trajano*, *Aelio Hadriano*, & *Antonino Pio*. Imprimis enim *Nerva*, qui ad Imperium anno Chriſti 96. evectus eſt, reſciſſis *Domitiani* actis, civitates remiſſione tributi, a deceſſore nimium exaucti, relevavit *z*). Quo proinde favore *Sabarienſes* quoque recreati fuere. *Trajanus* autem *Nervæ* adoptivus filius, & ſucceſſor ab anno Chriſti 98. eum ſe ſe in Imperio præſtitit, ut merito a Senatu, Populoque Romano titulum *Optimi Principis* conſecutus fuerit. Duas expeditiones adverſus *Dacos* ea felicitate ſuſcepit, ut victo, & occiſo Decebalo, *Daciam* fecerit Imperii Romani provinciam. Ad *Trajani* Imperium refero originem *Lancleariorum Sabarienſium*, quos Notitia Imperii Occidentis inter Legiones Palatinas commemorat. Conſtat enim, *Trajanum* occaſione belli Dacici complura e *Pannoniis* legiſſe auxilia, ex iisque aliquot tum Alas Equitum, tum Cohortes peditum, quas ex gentili ſuo nomine *Ulpias* vocavit, inſtituiſſe. Teſtes hujus rei proferam ſequente capite *Tabulas honeſtæ miſſionis*, in quibus legemus inter quinque Alas, quæ in *Pannonia Snperiore* hybernabant, *Primam Ulpiam Contariorum*; & inter totidem Cohortes, *Primam Ulpiam Pannoniorum*. Præterea *Sabariæ* habitaſſe *T. Gnorium Sabinianum Expræfectum Alæ Contariorum* prodit Inſcriptio Lapidis *Tab. V*. Unde haud improbabile argumentum duci poteſt, *Alam Contariorum* e *Sabarienſi* potiſſimum juventute conflatam, ac ſucceſſu temporis ex illa Legionem Palatinam *Lanceariorum Sabarienſium* factam eſſe. Alioquin enim ut *Contus*, & *Lancea*, ita *Contarii*, & *Lancearii* nomina fuere priſcis Romanis idem ſignificantia, niſi, quod *Lancea* vox origine ſit *hiſpanica*, teſte *Varrone*, apud *Gellium* XV. 30: vel *gallica* ſecundum illud *Diodori* lib. 5. p. 213. *Jaciunt haſtas, quas ipſi lanceas appellant*. Memoriæ Imperatoris *Trajani* etiam a *Sabarienſibus* monumentum quodpiam poſitum fuiſſe, indicat marmoris *Sabariæ* reperti Inſcriprio, quam *Lib. I. Cap. VII. N.* 2. retulimus.

---

y) Vid. *Dio* hiſt. Rom. Lib. LXVIII. p. 1106.

z) *Sex. Aurel. Victor* in Epitome cap. 24.

CAPUT V.

Nonnulla de rebus Pannoniae, ſtatuque Sabariae ſub Hadriano Auguſto, Aelio Caeſare, & Antonino Pio.

Defuncto in itinere poſt expeditionem Parthicam *Trajano* ſucceſſit *Hadrianus* ſub annum Chriſti 117. notus jam antea *Pannoniis*: apud hos enim *Legioni II. Adjutrici* apud *Aquincum* (*Budam veterem*) hybernanti præfuerat. Durante autem ſecunda expeditione Dacica illum Imperator *Trajanus Legioni I. Minerviæ* præfecit; ac poſt bella Dacica eundem cum poteſtate Legati Prætorii iterum in Pannoniam inferiorem ad compeſcendas Sarmatorum incurſiones miſit. In hac provincia *Hadrianus* diſciplinam militarem tanta cum laude tenuit, ut idcirco Conſulatum adeptus fuerit. Imperator demum factus, Pannoniis, Dacisque ſimul Præſidem dedit *Marcium Turbinem*, & poſt hunc ſoli deinceps *Pannoniæ* præpoſuit *Lucium Aelium Verum*, quem & Cæſarem creavit, ſucceſſorem in Imperio futurum, niſi fata obſtitiſſent. De hoc ita Spartianus: *Lucius Aurelius Verus eſt dictus, ſed ab Hadriano adſcitus in Aeliorum familiam, hoc eſt, In Hadriani tranſcriptus, & appellatus eſt Cæſar. - - - - - Adoptatus Aelius Verus ab Hadriano eo tempore, quo jam parum vigebat, & de ſucceſſore neceſſario cogitabat: ſtatimque Prætor factus, & Pannoniis dux ac rector impoſitus: mox Conſul creatus, &, quia erat deputatus Imperio, iterum Conſul deſignatus eſt. Datum etiam populo congiarium cauſa ejus adoptionis, collatumque militibus HS. ter millies: Circenſes editi; neque quidquam prætermiſſum, quod poſſet lætitiam publicam frequentare. Tantumque apud Hadriunum Principem valuit, ut præter adoptionis affectum, quo ei videbatur adjunctus, ſolus omnia, quæ cuperet, etiam per literas impetraret. Nec provinciæ quidem, cui præpoſitus erat, defuit. Nam bene geſtis rebus, vel potius feliciter, etſi non ſummi, medii tamen ducis obtinuit famam.* Ex his colligere licet, felicem tali ſub Præſide fuiſſe *Pannoniam*, ac ſpeciatim *Coloniam Sabariam*, ubi tunc ſedes erat Præſidum. Ceterum *Aelius Cæſar*, cum hinc Romam rediviſſet, acturus gratias pro adoptione, gravi correptus morbo interiit.

Extincto *Aelio*, Hadrianus ſtatuas coloſſeas per totum fere orbem Romanum poni curavit, immo nonnullis in urbibus templa quoque: dein ejus loco adoptavit *Antoninum Pium*. Hic vero poſt *Hadriani* obitum imperavit ab anno Chriſti 138. ad 161. ea vitæ honeſtate, juſtitia, & æquitate, ut ipſæ adeo finitimorum Barbarorum nationes, depoſitis armis, ad illius tribunal controverſias, liteſque ſuas deferrent, ejusdemque ſententiæ obtemperarent. Inter hos *Quadi* ipſum adeo Regem ſibi dari, ab *Antonino Pio* petiverunt, ac datum receperunt:

id, quod ſilentibus hiſtoricis Numiſma hujus Imperatoris, cui inſcribitur: REX QVADIS DATVS; prodit, ac manifeſtat.

Ad annum 17. Imperatoris *Antonini Pii* (Chriſti 154. vel 155.) pertinent *Tabulæ duæ honeſtæ miſſionis*, quarum iteratis jam vicibus memini, quasque hoc loco deſcribere, ac interpretari opportunum, nec lectoribus ingratum fore arbitror. Inventæ ſunt (quemadmodum jam in deſcriptione *Itineris a Sabaria Aquincum* admonui) in Comitatus Veſprimienſis pago *Eskö* anno 1785 indeque Vindobonam ad Cæſareum Antiquitatum Muſeum translatæ. Continent hæ Apographum *Decreti*, quo Imperator *Antoninus Pius* variarum nationum militibus, qui in *Pannonia Superiore* ſub *Claudio Maximo Legato* in quinque Alis Equitum, ac totidem Cohortibus Peditum annis XXV, pluribusve militarunt, miſſionem honeſtam, & civitatem Romanam, ſi qui eam nondum habuerunt, jusque connubii concedit. Hoc Apographum pro ſe deſcribi, recognoſci, ac firmari curavit miles quidam Pannonius, *Uſio* nomine, gente Azalus. Sic autem habet:

Tabulae I. Pars antica a).

IMP. CAES. DIVI HADRIANI F DIVI TRA
IANI PARTHIC NEP T AELIVS HADRIA
NVS ANTONINVS AVG PIVS PONT MAX
TR POT XVII IMP II COS IV PP
EQVITIB ET PEDIT QVI MILTI * IN ALIS V
QVAE APPEL I VLPIA CONTARIO ᛗ ET I THCR **
VICTR ET I CANNANEF CR ET I HISPAN ARVAC
ET III AVG THRAC SAG ET COH V I VLPIA PAN
NON ᛗ ET I THRAC CR ET II ALPINOR ET V
CALLAEC LVCENS ET XIIX VOLVN ET ET *** SVNT
IN PANNON SVPER SVB CLAVDIO MAXI
MO LEG AN † PLVRIBV E STIPEND EMERIT
DIMISS HONEST MISSION QVOR NOMIN
SVBSCRIPT SVNT CIVIT ROMAN QUI EOR
NON HABER DEDIT ET CONUB CVM VXOR
QVAS TVNC HAVBVIS †† CVM EST CIVIT IS DATA
AVT CVM IS QVAS POSTEA DVXISS DVMTA
XAT SINGVLI S AD III NON NOV.
C IVLIO STATIO SEVERO
T IVLIO SEVERO COS.

---

a) Apud Celeberr. *Joſ. Eckhel* hæc Tabula ſecundo loco deſcribitur in Sylloge I. Numorum vet. Anecdotor. p. 115. * Errore Inciſoris pro MILIT. ** Pro THRAC. *** ET redundat. † Supple XXV. uti in poſtica eſt. †† Pro HABVISſent.

COH II ALPINOR CVI PRAEST †††
M LONGIVS LONGVS
EX PEDITE
VRSIONI BVSTVRONIS F AZALO
DESCRIPT ET RECONIT †††† EX TABVL AEREA
QVAE FIXA EST ROMAE IN MVRO POST
TEMPL DIVI AVG AD MINERVAM

Ejusdem Tabulæ I. Pars poſtica.

IMP. CAES DIVI HADRIANI F DIVI TRA
IANI PARTH N DIVI NERVAE PRON *
T AELIVS HADRIANVS ANTONINVS AVG.
PIVS P M TR POT XVII IMP II COS IV PP
EQ ET PED Q M IN ALIS V Q A I VLP CONT ℕ ET I
THR VICTR ET I CANNAN CR ET I HISPAN
ARVAC ET III AVG THR SAG. ET COH V I VLPIA
PANN ℕ ET I THR CR ET II ALPIN ET V CALL
LVCENS ET XIIX VOLVNT ET SVNT IN
PANN SVPER SVB CLAVDIO MAXIMO
LEG XXV PLV E ST EM DIM HON MIS QVOR
NOM SVBSCR SVNT CIV ROM QVI EO
RVM NON HAB DED ET CON CVM VX
QVAS TVNC HAB CVM EST CIV IS DATA
CVM IS QVAS POST DVX DT SINGVLI S.

Tabulæ II. Pars antica b).

AD III NON NOV
SEVERO ET SEVERO COS
COH II ALPINOR CVI PRAEST
M LONGINIVS LONGVS
EX PEDITE
VRSIONI BVSTVRONI F AZALO
DESCRIPT ET RECOGNIT EX TABVL AEREA
QVAE FIXA EST ROMAE IN MVRO POST
TEMPL DIVI AVG AD MINERVAM.

††† Pro PRAEEST. †††† Pro RECOGNITum. * In antica deeſt *Divi Nervæ Pronepos.*
b) Apud Eckhel cit. l. eſt Tab. I.

Tabulæ II. Pars poſtica.

M	SERVILI	GETAE
L	PVLLI	CHRESIMI
M	SENTILI	IASI
TI	IVLI	FELICIS
C	IVLI	SILVANI
C	POMPONI	STATIANI
P	OCILI	PRISCI

Conferendo invicem, quæ in utraque hac Tabula ærea occurrunt compendia vocum, ita interpretor, ac lego:

Imperator Cæſar Divi Hadriani Filius, Divi Trajani Parthici Nepos, Divi Nervæ Pronepos, Titus Aelius Hadrianus Antoninus Pius Pontifex Maximus Tribuniciæ Poteſtatis XVII Imperator Iterum Conſul IV Pater Patriæ: Equitibus Et Peditibus Qui Militarunt In Alis V Quæ Appellatur Ima Vlpia Contariorum, Et Ima Thracum Victrix, Et Ima Cannanefatum Civium Romanorum, Et Ima Hiſpanorum Arvacorum, Et IIItia Auguſta Thracum Sagittariorum. Et Cohortibus V. Ima Vlpia Pannoniorum, Et Ima Thracum Civium Romanorum, Et IIda Alpinorum, & Vta Callæcorum Lucenſium, Et XVIIIva Voluntariorum: Et Sunt In Pannonia Superiore Sub Claudio Maximo Legato, XXV, Pluribusve Stipendiis Emeritis, Dimiſſis Honeſta Miſſione, Quorum Nomina Subſcripta Sunt, Civitatem Romanam, Qui Eorum Non Haberent, Dedit, Et Connubium Cum Vxoribus, Quas Tunc Habuiſſent, Cum Eſt Civitas Iis Data, Aut Cum Iis, Quas Poſtea Duxiſſent, Dumtaxat Singuli Singulas. Ad III. Nonas Novembris Cajo Julio Statio Severo, Tito Junio Severo Conſulibus. Cohors IIda Alpinorum Cui Præeſt Marcus Longinius Longus Expedite, Vrſioni, Buſturonis Filio, Azalo. Deſcriptum Et Recognitum Ex Tabula Aerea Quæ Fixa Eſt Romæ In Muro Poſt Templum Divi Auguſti Ad Minervam.

Sequuntur nomina ſeptem teſtium:

Marci Servilii Getæ: Lucii Pullii Chreſimi:
Marci Sentilii Jaſi: Tiberii Julii Felicis:
Caji Julii Silvani: Caji Pomponii Statiani:
Publii Ocilii Priſci.

En! quam variis e nationibus lectæ Alæ, & Cohortes hoc tempore hybernarunt in *Pannonia Superiore*, cujus caput erat *Sabaria.* Videlicet inter quinque

que Alas Equitum, *Ala Prima Vlpia Contariorum*, ſive, uti mea fert opinio, *Lanceariorum Sabarienſium* per *Ulpium Trajanum* inſtituta. Dein *Ala Prima Thracum Victrix*, & *Prima Cannanefatum*, civitate Romana jam alias donatorum. *Cannanefates*, gens Belgica, partem inſulæ Rheni colebat, lingua, virtute par Batavis, uti ſcribit Cornelius *Tacitus c*). Dubitat Celeberrimus *Eckhel*, an additæ iſthic Siglæ C. R. quæ & infra ad Cohortem primam *Thracum* occurrunt, recte expleri poſſint legendo *Civium Romanorum*. „ Nam ſi, inquit, *Cannanefates* „ jam antea cives Romani fuere, cur iis nunc civitas Romana datur, uti iſtud „ enunciat præſens tabula? „ Sed hoc dubium tollit ſimilis Tabula *Domitiani* apud *Gruterum* pag. DLXXIV. n. 5. ubi ad COHortem VIII. VOLVNTariorum integre additur CIVIVM ROMANORVM. Et alioquin hæc Tabulæ verba: *Civitatem Romanam*, *qui eorum non haberent*, *dedit*: non fruſtra ſunt; indicant enim, ad illos, qui jam antea cives Romani facti erant, id non pertinere, ſed aliud ſolummodo, quod ibidem ſequitur, nempe *Connubium legitimum*. Quarto loco nominatur in Tabula *Ala prima Hiſpanorum Arvacorum*, id eſt, *Arevacorum*, qui erat populus Hiſpaniæ Tarraconenſis ad flumen Durium prope Numantiam, teſte *Plinio*, & *Ptolemæo d*). Quinto loco eſt *Ala tertia Thracum Sagittariorum*.

Sequuntur *Cohortes quinque* hoc modo: ET COH V I VLPIA PANNON. &c. ſupra laudatus *Eckhel* hæc interpretatus eſt: *Cohors VIta Vlpia Pannoniorum e*). Sed legendum eſt, *Cohortibus V. Ima Ulpia* &c. Nam uti præceſſit diſerte: *Qui militarunt Alis V.* ſic nunc neceſſe eſt, ut legatur: *Et Cohortibus V.* Totidem enim reapſe enumerantur. Nempe Cohors *Ima Vlpia Pannoniorum*: tum *Ima Thracum Civium Romanorum*: poſtea *IIItia Alpinorum*: quarto dein loco *Cohors Vta Callæcorum Lucenſium*. Ptolemæus *Callæcos Lucenſios* recenſet inter populos Hiſpaniæ Tarraconenſis a Minio fluvio verſus Aſtures *f*). Quinto demum loco eſt *Cohors XVIIIva Voluntariorum*. Aliæ difficultates, quæ in eadem Tabula occurrunt, ſunt adhuc ſequentes: in parte antica verſu 12 poſt LEG ſequitur AN ſine numero. At vero in poſtica poſt eandem vocem LEG omittitur AN, hujusque loco eſt numerus XXV. Hoc rectius eſt: illud vero AN inter menda Inciſoris referri debet. *Quina & vicena ſtipendia* integre exſcripta leguntur in ſupra laudata *Domitiani* Tabula apud Gruterum; id, quod noſtram interpretationem confirmat. Totidem ſcilicet, plurave ſtipendia emereri, ſive annos militiæ numerare debebat, qui dimittendus erat honeſta miſſione. Aliæ id genus Tabulæ meminerunt *Stipendiorum ſex & viginti*, puta *Veſpaſiani* apud *Gruterum* pag. DLXXI. n. 1. *Trajani* ibid. n. 2. &c.

---

c) Hiſt. lib. IX. cap. 25.

d) *Plinius* hiſt. nat. lib. IV. cap. 20. Ptolemæus Geogr. lib. 2. cap. 6.

e) L. ſupr. cit. p. 120.

f) L. cit.

In iiſdem, aliisque tabulis formula conſueta, qua Connubium militibus conceditur, his verbis terminatur: *Dumtaxat Singuli Singulas.* Quocirca in præſente Tabula τὸ SINGVLIS diſpungendum cenſui SINGVLI. S. ut ſit pariter: *Singuli Singulas.* Alioquin enim Inſcriptio hujus Tabulæ caret alibi quoque punctis conſuetis.

Quod demum ad Conſules in his duabus Tabulis nominatos attinet: in Faſtis quidem Conſularibus occurrit *C. Julius Severus* ad annum V. C. 908. ſeu Chriſti 155. ſed cum *M. Rufino Sabiniano*, non vero *T. Junio Severo*, ut in præſentibus Tabulis. Vnde patet, eum præcedente anno *Conſulem ſuffectum* dumtaxat fuiſſe, adeoque Tabularum præſentium Inſcriptionem ſpectare ad annum V. C. 907. ſive Chriſti 154. Id quod etiam ex Imperatoris *Antonini Pii Tribunicia Poteſtate XVII.* illhic expreſſa, & ex adnotato die *ad III. Nonas Novembris* eruitur. Nam, cum *Antoninus Pius Tribuniciam Poteſtatem* in ipſo ad Imperium aditu, id eſt, exeunte Februario, vel ſecundum Petavium circa medium Julii, anni 138. ſumpſerit, liquet, illum *ad III. Nonas Novembris* non potuiſſe ſcribi *Tribuniciæ Poteſtatis XVII*, præterquam anno V. C. 907. ſive Chriſti 154. quippe ſequente anno *ad III. Non. Novembr.* jam ſcribebatur *Tribunicia Poteſtatis XVIII.* Atque ſic, opinor, ſolvitur nodus, quem hoc loco Celeberr. *Eckhel* intexit g). Sed ad cœptum tramitem ab hoc diverticulo jam regrediendum eſt.

CAPUT VI.

Continuatio rerum Pannonicarum, ac ſpeciatim Sabarienſium ſub Marco Aurelio Antonino, & Lucio Vero.

PIO Nonis Martii anno Chriſti 161., demortuo ſucceſſere, *Marcus Aurelius Antoninus*, cognomento *Philoſophus*, & *Lucius Aelius Verus*, ambo ſimul Auguſti. Sub his exortum erat bellum *Marcomannicum* adeo grave, ut ab *Eutropio* cum Punicis conferatur. Nam, præter Marcomannos, horumque ſocios Quados, & Jazyges Sarmatas, multæ aliæ gentes, a ſuperioribus Barbaris pulſæ, in provincias Romanas irruebant, ut: Nariſci, Hermunduri, Victovali, Latringes, Soſibes, Sicobotes, Roxolani, Baſtarnæ, Alani, Peucini, Coſtoboci, Vandali, Obii, Longobardi, & omnis fere Barbaria, ab Illyrici limite uſque ad Gallias. Ad hanc belli formidoloſiſſimi calamitatem acceſſerunt multæ aliæ ærumnæ, quibus tunc Imperium Romanum conflictabatur, videlicet frequentes terræ motus, non

g) L. ſupr. cit. p. 117. ſeq.

ſine urbium ruinis, inundationes fluviorum, locuſtarum ſpecies quædam agris infeſtiſſimæ, dira fames multis locis, ac cœli peſtilentis tanta gravitas, ut per illam integri exercitus abſumerentur. Verbo: is tunc erat rerum Romanarum ſtatus, ut, quemadmodum ſcribit Aurelius Victor in Epitome, uno quaſi lapſu ruiſſent omnia, niſi *Marcus Antoninus* ad hæc tempora natus, & ſervatus fuiſſet.

Initium belli Marcomannici a direptis Norico, & Pannonia, hujusque capite, ut reor, *Sabaria*. Inde in Italiam uſque factus impetus. Perruptæ Alpes Juliæ: *Furius Victorinus* Præfectus Prætorio, ſiſtendæ impar tantæ multitudini, victus, cæſusque cum parte militiæ Romanæ. Jam Opitergio exciſo, Aquileja obſidebatur a Marcomannis, Quadisque, cum adventus utriusque Imperatoris, *Marci Aurelii* ſcilicet, ac *Lucii Veri*, eum incuſſit hoſtibus terrorem, ut e direptis Imperii provinciis continuo ſe ſe retraherent, pacisque conditiones acciperent. Acta hæc fuere ſub annum Chriſti 172., quo alter Imperatorum *Lucius Verus*, cum Romam redire vellet, apud Altinum in ipſo itinere apoplexia proſtratus interiit *h*).

Verum ſequentibus annis mox patuit, bellum Marcommanicum ſopitum magis, quam extinctum fuiſſe. *Aelius Baſſus* Pannoniorum Præfectus, qui tunc *Sabariæ* reſidebat, novos toto Danubio motus exoriri identidem nunciabat. Huic ergo procellæ obviam iturus Imperator *Marcus Aurelius*, imprimis ad ærarium, bellis prioribus exhauſtum, e ſuis etiam facultatibus ſupplendum toto pectore incubuit. Facta eſt Romæ auctio ſuppellectilis Cæſareæ in foro Trajano, tenuitque duos menſes. Poſtea in Pannoniam iter ſuſcepit; ubi jam alternis cladibus res gerebatur. Nam licet ſex millia Obiorum, & Longobardorum, qui Danubium trajecerant, per *Candidum*, *Macrini Vindicis* Legatum, feliciter ſint rejecta, ipſe tamen *Macrinius Vindex* Prætorio Præfectus, cum Marcomannis congreſſus, in acie cecidit, viginti millibus ſuorum deſideratis. Hoc nempe is commodi tulit, quod ad virtutem bellicam, ſuaſu Alexandri Pontici, præſtigias quasdam adjecerit, dum binos leones, floribus, & odoratis herbis ornatos, inter diras imprecationes Danubio immergi, & in hoſtes præmitti juſſit, quos tamen Marcomanni pro canibus, lupisve habitos fuſtibus occiderunt. Verum Imperator *Marcus Antoninus*, ut cladem hanc excidio hoſtium ulciſceretur, copias, quam potuit maximas, celerrime reparavit, adſumptis etiam, quemadmodum olim bello Punico factum erat, ſervis, quos *Voluntarios*, ut ſcribit *Capitolinus*, exemplo *Volonum* adpellavit. Quin & gladiatores armaverat, *Obſequentium* nomine: nec non Latrones Dalmatiæ, atque Dardaniæ in militiam adſcivit: ac demum ipſa adeo Germanorum auxilia contra Germanos coëmit *i*).

---

h) *Aurel: Victor* Epitom. cap. 32. *Dio* ſublatum eſſe veneno ſcribit Lib. LXXI. p. 1178.
i) *Capitolinus* cap. 21.

Refecto igitur hunc in modum exercitu, movit in Barbaros incredibili qua virtute, qua felicitate. Ac primum quidem Marcomannos in ipſo Danubii tranſitu fudit, prædamque Pannoniis, ac Noricis reddidit. Cum Jazygibus pugnatum eſt ſequente hyeme. Hi, cum fugam per adſtrictum gelu Danubium tentarent, deprehenſi a victore in ipſo flumine, ac ſuper ipſa glacie contis obtriti, aut gladiis enecti ſunt. Reſtabant belli Marcomannici reliquiæ apud Quados. At ecce, dum in his perſequendis longius progreditur, parum abfuit, quin univerſus exercitus Romanus ab hoſtibus, ſaltus, montiumque ſumma tenentibus, circumſeptus, aut ſiti, aut telis ſine congreſſu conficeretur. Saluti fuit Legio e chriſtianis militibus conflata, quæ, ipſo Imperatore jubente, fuſis ad Deum ſuum precibus, exercitui Romano pluviam, hoſtibus vero fulmina impetravit. Qua de re ita *Oroſius*: *Tanta vis*, inquit, *pluviæ effuſa eſt*, *ut Romanos quidem largiſſime*, *& ſine injuria refecerit*; *barbaros autem crebris fulminum ictibus perterritos*, *præſertim cum plurimi eorum occiderentur*, *in fugam coëgerit*: *quorum terga Romani uſque ad internecionem cædentes*, *glorioſiſſimam victoriam*, *& omnibus pene antiquorum titulis præferendam*, *rudi*, *parvoque militum numero*, *ſed potentiſſimo Chriſti auxilio reportarunt.* Eadem fere *Xyphilinus* ex *Dione*; utut *Dio* hoc prodigium *Arnuphi* Aegyptio præſtigiatori, ac *Mercurio*; Julius vero *Capitolinus*, ac *Themiſtius* religioſæ ipſius Imperatoris *Marci Antonini* in Deos ſuos pietati, alii demum *Jovi pluvio* tribuant, ad elevandam nempe Chriſtianæ virtutis fidem. Sed S. *Apollinaris*, Hierapoleos circa illud tempus Epiſcopus, ac *Tertullianus* illi ætati proximus; tum *Euſebius* Cæſareenſis, S. *Hieronymus*, S. *Gregorius Nyſſenus*, aliique Scriptores Chriſtiani hunc eventum diſerte prodigio, precibus legionis Chriſtianæ impetrato, adſcribunt. Sunt, qui Legionem iſtam ab hoc eventu *Fulminatricem* adpellari cœpiſſe credunt; ſed falluntur: non enim hæc, ſed alia prorſus legio in exercitu Romano *Fulminatricis* titulum accepit, & quidem longe ante *Marci Antonini* Imperium. Teſtis eſt Inſcriptio apud *Gruterum* pag. CXCIII. n. 3. ſub Imperatore *Trajano* facta, in qua legitur LEGIO XII. FVLMinatrix, forſitan ab effigie fulminis in ſcutis expreſſa, ut opinantur *Rupertus*, *Fabricius*, & *Reimarus* in Not. ad *Dionem* p. 1184. §. 48. Scuta fulmine inſignita Legionariorum quorumdam viſuntur etiam in Columna Trajani, Romæ ſuperſtite. Geſtum autem fuit hoc bellum non in ipſa Pannonia, ex qua jam ejecti erant Quadi, ſed in Quadorum regione, quæ tunc partem Moraviæ, & hodiernæ Hungariæ a *Maro* uſque ad *Granuam*, id eſt, a Morava fluvio ad Granum porrectam, complectebatur.

Poſt hanc victoriam, ob quam *Marcus Antoninus* Imperator jam ſeptimum ab exercitu fuit acclamatus, ejus vero conjux *Fauſtina* Mater Caſtrorum eſt adpellata, Barbari certatim pacem expetebant. Hanc ut Quadi impetrarent, captivos ad XIII. millia, ſimulque transfugas offerebant, equos etiam, bovesque polliciti. Annuit Imperator, hac tamen conditione adjecta, ne aut Jazygem

aut Marcomannum ſedibus ſuis reciperent, neve priſtina cum iis commercia exercerent. Accepta conditio, ſed non obſervata: quippe haud multo poſt & Jazygibus bellum gerentibus copias auxiliares miſerunt, & Marcomannos hoſpitio acceperunt. Quid quod & *Furtium* Regem ſibi a Romanis impoſitum ejecerint, eique *Ariogæſum* propria auctoritate ſubſtituerint? Deluſum ergo ſe videns *Marcus Antoninus* denuo exercitum in Quados ducit, &, quamvis hi quinquaginta millia captivorum ſe reddituros pollicerentur, ſi novum Regem confirmare, fœdusque cum iis renovare vellet, is tamen ab armis non diſcedit, verum undique illos premens, efficit tandem, ut Rex Ariogæſus in ipſius poteſtatem veniret; quem Alexandriam in Aegyptum transmiſerat. Receptis poſtea in ſocietatem Quadis pax data, uti & Marcomannis, ea tamen lege, ut ad trigeſimum octavum uſque ſtadium a Danubio abeſſent habitantes; Jazygibus vero duplum id genus ſpatium eſt imperatum, ac, ne propriis navibus, vel inſulis Danubii uterentur. Ad hæc octo millia equitum ſocietatis nomine, & captivorum, qui apud Jazyges erant, centum millia recepta. Unde facile patuit, quantas etiamnum vires illa natio habuerit, quantisque detrimentis eo tempore Pannoniam Romanam adfecerint *k*).

Sub idem fere tempus audita eſt *Avidii Caſſii* in Syria perduellio: ad hanc opprimendam profecturus Imperator, ne quid a tergo tumultus per abſentiam ſuam oriretur, exſtructis in oppoſita Danubii ripa caſtellis, viginti ſuorum millia impoſuit. Id frœnum libertati ſuæ injectum cum ægerrime tuliſſent Barbari, præcipue Quadi, & Marcomanni, haud multo poſt ad arma iterum convolant. Quamobrem poſt oppreſſam *Caſſii* Tyrannidem redux in Italiam Imperator *Marcus Antoninus*, cum aliquandiu Romæ moratus eſſet, denuo in Pannoniam profectus eſt, ſactoque per *Sabariam* itinere *Carnuntum* anno 177. venit, manſitque in Pannonia annis fere tribus, demandata *Tarrunio Paterno*, Legato ſuo, cura exercitus. Pugnatum ſæpius, & ſumma utrinque contentione, ac pertinacia, victore tamen plerumque milite Romano, a quo tantis jam cladibus Quadi, & Marcomanni, horumque ſocii Hermunduri, & Sarmatæ fuerunt adfecti, ut penitus debellandi, Romanoque Imperio ſubjugandi viderentur, ſi uno adhuc anno bellum continuari potuiſſet. Verum in fatis erat, ut Imperator *Marcus Antoninus* anno Chriſti 180. Vindobonæ extingueretur, Imperiumque *Commodo*, degeneri filio, relinquere cogeretur *l*).

Commodus enim neglectis paternis, & amicorum, quos ei pater moriens commendaverat, monitis, & conſiliis ſaluberrimis, id unum curabat, ut e ca-

---

k) *Dio* l. ſupr, cit. p. 1187.

l) Conf. *Dio* l. cit. p. 1197. *Capitolinus* cap. 27. Aurel Victor Epitomes XVI. 12. *Tertullianus* Apologet. cap. 25. qui tamen *Sirmii* XVI. Kal. April. mortuum ſcribit, quem apud Vindobonam obiiſſe refert *Victor* l. cit.

ſtris Pannonicis quantocyus ad urbanas delicias reverti poſſet. Itaque deſertis, quæ *Marcus Antoninus* tam provide in hoſtili ripa erexit, caſtellis, pacem cum Barbaris, quos levi jam negotio penitus ſubjugare potuiſſet, confecit, Romamque revolavit, ubi cum ad annum uſque 193. non tam Imperatorem, quam gladiatorem egiſſet, a conjuratis enectus eſt. Succeſſor illi datus *Helvius Pertinax*, vir antiquis moribus, & ſumma præditus gravitate, ſed cum Prætorianorum, & Aulicorum licentiam paullo ſeverius coërcere cœpiſſet, tertio Imperii menſe per eosdem trucidatus eſt. Magna inde rerum perturbatio: Imperium venale factum, & quaſi direptui expoſitum. Primus, qui illud Romæ a Prætorianis emeret, inventus fuit *Didius Julianus*, ingentem illis pecuniæ vim pollicitus. Quam rem cum indigne tuliſſent legiones in Provinciis conſtitutæ, ipſæ quoque novos proclamavere Imperatores; nempe in Syria *Juſtum Peſcennium Nigrum*; in Britannia *Clodium Albinum*, ac denique in Pannonia apud *Sabariam* civitatem *Septimium Severum*.

HISTORIÆ SABARIENSIS
LIBER QUARTUS.

D E

REBUS SABARIÆ, TOTIUSQUE PANNONIÆ SUB ROMANIS.

AB ANNO CHRISTI 193. AD 317.

CAPUT I.

De Septimio Severo Sabariae ad Imperium evecto.

Expositurus modo, quanam ratione *Septimius Severus*, cum eſſet *Pannoniæ* Præfectus, totius orbis Romani Imperium adeptus fuerit, nonnulla prævie de loco, in quo is primum proclamatus eſt Auguſtus, diſceptabo. Junior quidem *Aurelius Victor*, ſeu *Victorinus*, id *Sabariæ* contigiſſe perhibet hiſce verbis: *Hoc tempore Niger Peſcennius apud Antiochiam, in Pannoniæ Sabaria Septimius Severus creantur Auguſti a*). Verum obturbat *Spartianus*, qui de eodem *Septimio Severo* ita ſcribit: *A Germanis legionibus - - - Imperator eſt appellatus apud Carnuntum Idibus Auguſtis b)*. Hanc veterum Auctorum diſcordiam recentiores quidam variis interpretationibus conciliare nituntur. Sunt nempe, qui *Sabariam* apud *Aurelium Victorem* non urbem, ſed provinciam, ad quam Carnuntum quoque pertinuerit, intelligendam putent, ideoque illic non *in Pannoniæ Sabaria*, ſed potius in *Pan-*

---

a) Epitom. cap. 19.

b) *Spartianus* in Severo cap. 5.

nonia Sabaria legi oportere contendunt. Quorum quidem ſententiæ lubens accederem, ſi vel unius veteris monumenti teſtimonio probari poſſet, inter provincias Pannoniæ Romanæ unam fuiſſe *Sabariam*, vel *Sabarienſem* eo tempore adpellatam. Sed hoc juniorum dumtaxat figmentum eſt, veriſimiliter ex hoc ſolo, quem ſupra adduximus, *Victoris* textu, aut non rite lecto, aut male intellecto, exortum. Ac mea quidem opinione primus *Pannoniam Sabariam* adſeruerit *Lazius*, quem incaute ſecuti *Inchoferus*, *Timon*, *Severinus*, ac nonnulli alii idem adfirmarunt. Quamquam & ii inter ſe diſſentiunt: nam quidam provinciam *Sabariam* aliter *Savariam* vocantes eandem eſſe ſtatuunt cum *Pannonia Savia*: alii vero eandem cum provincia *Valeria* confundunt. Quæ omnia nullis aliis, quam confictis, aut non rite explicatis veterum teſtimoniis nituntur. Certe quod ad *Victoris* Epitomen attinet, vera, & genuina lectio habet: *In Pannoniæ Sabaria.* Hinc vetus quoque Auctor hiſtoriæ *Miſcellæ* diſerte ſcribit: Severum in Sabaria Pannoniæ oppido Imperatorem creatum c). Quamobrem quid ſibi velit Schönlebenius, cum ſcribit: *in Pannonia Savaria, ut habet Sixt. Aurel. Victor. Forte,* inquit, *in Pannonia Savia legendum*: haud ſatis intelligo. Ipſe enim complures hujus *Victoris* editiones conſului, ac notas etiam Andreæ *Schotti*, quibus variantes complectitur lectiones, inſpexi, nuſpiam tamen aliter, quam *in Pannoniæ Sabaria* ſcriptum reperi. Non minus miror *Timonem* hæc ſcripſiſſe: *Auctores*, inquit, *ſunt Sextus Rufus, Solinus, Claudianus, nonnullique alii; majoris perſpicuitatis gratia, ab Romanis Pannoniæ partem inter Dravum, & Savum poſitam, Dravumque, & Danubium interjacentem, in eo tractu, in quo eſt Sabaria, trifariam diſtributam fuiſſe. Sabarienſem enim cognominaverunt Valeriam; interjectam vero Dravum inter & Savum Saviam, ac Savienſem regionem, hujusque partem extremam, Danubioque propiorem Bubaliam d*). Profecto de hac *Pannoniæ* in tres hujusmodi provincias diviſione nullus illorum Auctorum, ad quos hoc loco *Timon* provocat, ne verbo quidem meminit. Id certum eſt; primis duobus æræ vulgaris Chriſtianæ ſæculis, ac dimidio circiter, omnem *Pannoniam* nonniſi in *Superiorem*, & *Inferiorem* fuiſſe diviſam. Sub *Galerio Maximiano* demum placuit unam Pannoniæ inferioris partem adpellare provinciam *Valeriam*. Paullo ſerius deinde univerſa *Pannonia* in quatuor Provincias fuit a Romanis ſecta, nempe in Panoniam *Primam*, & *Saviam*, inque *Pannoniam Secundam*, & *Valeriam*. Prior diviſio certa eſt ex *Ptolemæo*, ac *Dione Caſſio*: poſteriorem autem produnt *Sextus Ruffus*, *Aurelius Victor*, *Codex Theodoſianus*, *Notitiaque Imperii Occidentis*, & *Jornandes*. Provinciam autem *Sabariam*, ſeu *Sabarienſem* nemo Veterum nominat, multo minus *Bubaliam*, quæ tantummodo vicus erat agri Sirmienſis. Non equidem nego, fieri potuiſſe, ut Barbari, qui everſo Occiden-

c) Lib. X. cap. 20.
d) Timon L. I. Imag. antiquæ Hung cap. 8.

tis

tis Imperio, *Pannoniam* Romanis eripuere, portionem Pannoniæ Superioris, cujus metropolis olim fuit *Sabaria*, vocarent *Pannoniam Sabarienſem*, quemadmodum reipſa pars Pannoniæ Inferioris dicta fuit ab illis *Pannonia Sirmienſis*, teſte *Caſſiodoro*, apud quem Theodoricus Rex Gothorum in Epiſtola ad *Coloſſeum* data hæc ſcribit: *Proinde proſperis initiatus auſpiciis ad Sirmienſem Pannoniam, quondam ſedem Gothorum proficiſcere e*). Verum hic non agitur de Pannoniæ diviſionibus, quales ſub Gothis, aliisque Barbaris poſterius invaluere, ſed quales dudum antea ſub Romanis in uſu fuerint.

Omnibus igitur æqua lance ponderatis, rejicienda eſt interpretatio de Pannonia *Sabarienſi*, tenendumque potius, *Septimium Severum*, ſpectato Sexti Aurelii Victoris teſtimonio, apud *Sabariam* civitatem, ſecundum vero *Spartiani* relationem *Carnunti* fuiſſe ad Imperium evectum. Nec repugnat, ut ſit utrumque veritati conſentaneum. Quippe fieri potuit, ut *Septimius Severus* a Legionibus *Carnunti* hybernantibus *Imperator* proclamaretur; *Sabariæ* autem, tamquam principe ejusdem Provinciæ, in qua *Carnuntum* erat, urbe ritu ſolemni in ſuprema hac dignitate inaugurraretur. Cæterum *Spartianus* de *Septimii Severi* electione ita ſcribit, ut in quibusdam rerum adjunctis illum aberraſſe, certum ac indubitatum videatur. Nam primo *Carnuntum* Germaniæ adſcribit, cum tamen antiquiorum Auctorum teſtimoniis conſtet, illud Pannoniæ Superioris fuiſſe oppidum. Deinde refert *Septimium Severum* eo tempore, quo Imperator erat renunciatus, *Germaniæ* præfuiſſe: id quod rurſus falſum eſt; quoniam *Caſſius Dio*, qui Septimio Severo fuit coævus, immo familiaris, & *Herodianus*, Dioni ætate proximus, apertiſſime produnt, ipſum tunc *Pannonias* Proconſulari imperio rexiſſe, primasque illius partibus acceſſiſſe legiones Pannonicas, poſtea univerſum exercitum Illyricum, poſt hunc vero etiam Germanicum, & Gallicum. Denique peccat *Spartianus* anachronismo, dum adſerit, *Severum* Conſulibus *Falcone*, & *Claro*, *Idibus Auguſti* Imperatorem fuiſſe Carnunti ab exercitu proclamatum. Id enim jam ante menſem *Junium* ejusdem anni contigerit eſt neceſſe: cum ex *Dione*, quin ex ipſomet etiam *Spartiano* erui poſſit, *Didium Judianum* jam ſub initium menſis Junii Romæ interemptum fuiſſe, adverſus quem tamen, adhuc in vivis agentem, *Septimius Severus* erat Auguſtus a militibus proclamatus; quemadmodum hac in re unanimis eſt Scriptorum conſenſus.

Res porro circa electionem *Septimii Severi* hoc modo peractæ ſunt. Poſtquam in Provinciis innotuit, *Helvium Pertinacem* Romæ a Prætorianis interemptum, illiusque in locum *Didium Julianum* eſſe ſuffectum, primæ ab iſto deſciverunt Legiones *Syriacæ*, Imperatore ſibi apud *Antiochiam* creato *Peſcennio Nigro*, viro Conſulari, *Syriæ* tunc Præfecto. Quod cum inaudiſſet *Septimius Severus*, confeſtim, & ipſe Imperii obtinendi ſpem conceperat. *Fuit is genere Afer*,

e) Variarum lib. 3.

uti *Herodianus* perhibet, *vehemens homo negotiis gerendis, ac ferox, vitæque aſſuetus duræ, & aſperæ; promptus excogitandis, acer exequendis rebus: idemque tunc præerat Pannoniis univerſis; nam unius adhuc regebantur imperio.* Cum igitur probe noſſet, vigere apud Pannonios memoriam *Helvii Pertinacis*, & magnam eſſe omnium indignationem, quod vir tantus tam indigne trucidatus fuerit, arrepta hac occaſione facile iis perſuaſit, ut ſe cædis hujus ultorem conſtituerent, ſibique hunc in finem deferrent ſummam poteſtatem. Dein per literas adiit provinciarum vicinarum Mœſiæ, Dalmatiæ, & Germaniæ Præſides, quibus tam dextre ſe ſe inſinuavit, ut brevi omnis exercitus Illyricianus, & Germanicus ei ſe ſe adjunxerit. Tum vero convocatæ in campum legiones loquentem e ſuggeſtu *Septimium Severum* fauſtis illico adclamationibus excipiunt, *Auguſtum*, *Pertinacemque* adpellant, ac juratam illi fidem pollicentur. Additæ cœrimoniæ procul dubio eædem, aut ſimiles illis, quibus exercitus Syriacus, teſte *Herodiano*, Antiochiæ *Peſcennium Nigrum* inauguraverat. Videlicet imperatoria purpura, reliquoque adparatu aulico, in caſtris ex tempore conquiſito, amictum deducunt *Sabariam*, & in templa primum, poſtea ad ædes, quas ipſe ut Pannoniarum Præfectus inhabitabat, quasque nunc imperatoriis inſignibus adornarunt, ſolemni eum pompa comitati ſunt. At *Septimius Severus* jam Imperator, quo magis ſibi militum animos adſtringeret, quingenta ſeſtertia, quantum nemo unquam Principum, ut ait *Spartianus*, iis diſtribuit, atque in numis, quos primo Imperii ſui anno feriundos curaverat, Legionum illarum, quæ primæ in ejus verba jurarunt, nomina ſignavit.

His actis, cum prævidiſſet fore, ut ſublato *Didio Juliano*, ipſimet triumviri inter ſe colliſi, de Imperio contenderent, ſtatuit propinquiorem interea ſibi devincire, deditque literas ad *Albinum*, quibus eum *Cæſarem* creabat. *Nigrum* noluit, quia *Niger* ſe ſe efferebat, quod ejus fidem, auxiliumque populus imploraſſet. Itaque *Albinus*, qui ſe ſocium *Severi* in Principatu futurum ſperabat, loco ſuo permanſit. *Severus* autem jam ſibi devincta hunc in modum omni fere Europa, armatus Romam feſtinavit *f*). Ibi obtruncato *Didio Juliano*, & exauctoratis Prætorianis, mox etiam a Senatu Auguſtus eſt adpellatus, ceterisque ſupremæ dignitatis titulis exornatus. Abhinc omne fere tempus in opprimendis æmulis *Peſcennio Nigro*, & *Clodio Albino*, atque in expeditionibus contra Parthos, Arabes, Oſroënos, Adiabenos, & Britannos ſuſceptis, conſumpſit. *Nigrum* in Oriente mox anno ſequente, *Albinum* vero in Gallia anno Imperii ſui ſeptimo vicit, & occidit. Ne autem *Clodio Albino* vel natalibus inferior videretur, in *Antoninorum* familiam tranſiit, voluitque *Antonini Pii Nepos*, *Marci Aurelii Antonini filius*, & *Commodi frater* nuncupari. Ejus memoria in multis Romano-Pannonicis Lapidibus etiamnum perſeverat, in quibus plerumque *Arabicus*, *Adia-*

---

f) *Dio* lib. LXXIII. p. 1238.

benicus, & *Parthicus Maximus*, ob deviſtos horum nominum populos, inſcribi ſolet. Inter Pannoniæ civitates hactenus reperi binas, quæ ex nomine hujus Imperatoris ſe ſe *Septimias* adpellarunt, videlicet *Siſciam* in lapide haud ita pridem apud *Sabariam* reperto (*Tab. IX. n.* 2.) & *Aquincum* in Lapide per *Gruterum* p. DXLV. n. 9. vulgato.

CAPUT II.

De Praefectis Pannoniae, qui Sabariae reſidebant ſub Imperatoribus Caracalla, Macrino, Heliogabalo, Alexandro Severo: & quaedam alia.

EXTINCTUS ſub annum Chriſti 211. Eboraci in Britannia *Septimius Severus* Imperium duobus filiis, *Antonino Caracallæ*, & *Septimio Getæ* reliquit, adeo inter ſe diſcordibus, ut *Caracalla* fratrem *Getam* in ipſo Matris gremio poſtmodum confoderit. At *Sabariæ* hoc tempore *Sabinus*, Pannoniæ Præfectus, vir Conſularis magnam ſibi juſtitiæ laudem comparavit. Nam, cum *Polenius Sebennus*, Norici Procurator, de provincia male adminiſtrata incuſaretur, ipſe re ad ſuum tribunal delata, eundem Noricis ad ſupplicium tradidit, luiturum condignas ſcelerum ſuorum pœnas, niſi ſupplicem, atque ad *Sabini* pedes abjectum miſeratus fuiſſet *Aſpaces* patruus, qui veniam homini, caſtigata ſatis tanto dedecore illius ſuperbia, impetravit *g*). Eundem opinor hunc *Sabinum* fuiſſe, qui in Faſtis Conſularibus ad annum Chriſti 214., & iterum ad annum 216. nominatur *Q. Aquilius Sabinus*, nec diverſus fuerit ab illo *Sabino*, cui *Ulpianus*, Jureconſultorum Princeps, libros ſuos dedicavit.

Ad annum Chriſti 213. pertinet profectio *Antonini Caracallæ* ad Pannoniam, Daciamque. In his provinciis Imperator *Caracalla* ſolebat, ut plurimum ſe ſe aurigando, venandoque oblectare, vicinosque Germaniæ populos ſibi adjungere, idque tanto ſtudio, ut ſæpe etiam depoſito Romano amictu veſtem germanicam indueret, atque in illorum ſagulis, argento variegatis, ſe ſe ipſis conſpiciendum daret. Poſt vero, ubi ex iis auxilia, cuſtodesque ſui corporis, pulcherrimo quoque, ac valentiſſimo ejus gentis inter Prætorianos adſcripto, delegiſſet, in Orientem diſceſſit, bellum cum Parthis geſturus. Verum ibi a *Martiale* Centurione, per *Opelium Macrinum* ſubmiſſo, interfectus eſt. Id anno Chr. 217. accidit, ſuccedente mox *Opelio Macrino*. Huic *Dio Caſſius* vitio vertit, quod nullius meriti viros quosdam inter Conſulares retulerit, ſtatimque provinciarum adminiſtrationibus præfecerit. Inter hos erat *Marcius* quidam *Agrippa*,

g) Ibidem pag. 1278.

quem Imperator *Macrinus* primum in *Pannoniam*, poſtea in *Daciam* cum imperio miſit. Nam *Sabinum* ex Pannonia, *Caſtinum* ex Dacia, mox ut ſolium conſcenderat, revocavit, eo quidem obtentu, quaſi eorum conſuetudine opus haberet, re autem ipſa, quod magnos ipſorum animos, & amicitiam cum *Caracalla* habitam pertimeſceret. *Marcio* dein *Agrippæ* in Daciam translato ſucceſſorem in munere Præfecti Pannoniæ dedit *Decium Triccianum*, apud Præſidem hujus provinciæ quondam oſtiarium. Sed breve fuit *Macrini* Imperium; anno enim ſequente, quod ab *Artabano* Parthorum Rege pacem emerit, a militibus, quos *Julia Mæſa* pecuniis corruperat, interfectus locum ceſſit *Antonino Heliogobalo*, fœdiſſimæ vitæ Principi. Hic *Sabinum*, quem a *Macrino* Romam e Pannoniæ Præfectura revocatum diximus, interfici juſſerat, ſed Centurio ſurdaſter cum imperari ſibi crederet, ut illum ex urbe pelleret, hoc ſolummodo executus eſt: atque ita *Sabinus* manſerat incolumis; ex adverſo autem *Heliogabalus* a Prætorianis anno Chr. 222. trucidatus eſt.

Sub *Alexandro Severo*, Heliogabali ſucceſſore, Pannoniis aliquandiu præfuerat *Caſſius Dio*, vir ſenatorii ordinis, idemque hiſtoricus non incelebris. Hic diſciplinam militarem ſub *Heliogabali* Imperio collapſam, in hac provincia egregie reſtauravit; atque idcirco cum Romam rediiſſet, Prætorianis quidem odio fuit, ſed ab Imperatore *Alexandro* maximis honoribus excultus, Conſulque cum eodem in ſequentem annum factus eſt. Poſt *Dionem* Pannonia Præfectum habuit *Varium Macrinum*, Alexandro Auguſto adfinitate junctum; qui *Modeſto & Probo* Conſulibus (id eſt, anno Chriſti 228.) Marcomannos, Quadosque *Pannoniam* incurſantes fortiter repreſſit, & palabundos Illyrico ejecit, teſte *Lampridio h*). Supereſt *Sabariæ* Inſcriptio Lapidi inciſa, eodemque *Modeſti*, *& Probi* Conſulatu ſignata, quæ docet, *Signum* illic *Victoriæ a Q. Gavio Maximo*, *& Q. Porcio Priſciano*, *Magiſtris Collegii*, *Genio Juventutis Pannonicæ* poſitum, atque a *Spurio Aelio Exuperato*, *& Tito Aurelio Peculiari*, *Scribis Collegii*, dedicatum eſſe *i*).

Verum anno Chriſti 234. *Alexandro Severo* poſt confectum bellum Perſicum Antiochiæ tantiſper conquieſcente, non Quadi tantum, & Marcomanni, ſed alii etiam quamplurimi Germaniæ magnæ populi novis, iisque maximis tumultibus provincias Romanas infeſtare cœperunt. Qua de re *Herodianus*: *Nuncii*, inquit, *literæque ab Illyricis procuratoribus adfuerunt*, *qui eum* (Imperatorem videlicet Antiochiæ commorantem) *vehementer perturbarunt*, *curasque ingentes animo injecerunt. Quippe ſignificabant*: *Germanos Rhenum*, *Danubiumque transgreſſos*, *hoſtiliter in fines Romanos intraſſe*, *jamque exercitum ripis inſidentem oppugnare*, *perque urbes*, *& vicos magnis excurrere copiis. Quapropter Illyricas nationes*, *Italiæ conterminas*, *haud leviter periclitari*, *opusque eſſe ipſius præſentia*, *totoque*,

h) In Vita Severi Alexandri.

i) Vid. ſupra Lib. I. cap. VI. n. 4.

quantum ſecum habebat, exercitu. Hæc & formidinem Alexandro, & mœſtitiam Illyricis militibus attulere. Metuebatur præ cæteris Italiæ: neque enim par periculum a Perſis, atque a Germanis impendebat, qui ab Italia ſolis Illyrici anguſtiis dirimebantur.

His ergo nunciis acceptis, Imperator *Alexander* illico ex oriente rediit, &, quamvis ipſemet ex itinere tantisper ob triumphum Perſicum Romam diverterit, exercitum tamen, fidei *Julii Maximini Thracis* commendatum, recta per *Pannoniam* via feſtinare, Germanorumque impetus retundere juſſit. Et vero a ripis Danubii facile rejectus eſt hoſtis: verum pro limite Rhenano frequentes fortuna ancipite dimicationes factæ ſunt. Immo jam Germani perrupto hoc limite Galliam ferro, ignique vaſtabant: quamobrem neceſſarium videbatur, ut iſtud quoque bellum ipſemet Imperator adminiſtraret. Relicta ergo Italia cum ad Rhenum perveniſſet, ponte e navigiis inter ſe junctis facto, copias in hoſticum transmiſit. Certatum dehinc ſæpius, ſed levioribus dumtaxat pugnis; nec apparebat, Germanos tam cito debellari poſſe. Unde viſum eſt Imperatori *Alexandro*, pacem potius ab illis, ac fœdera emercari, quam diuturno cum iisdem bello contendere. At vero, vix ejus conſilii fama in caſtris percrebuit, cum animos militum, præcipue tyronum, quibus *Maximinus Thrax* præfuerat, ſeditio inceſſit. Horum pars major, uti *Herodianus* perhibet, ex Pannonia erat; qui admirati vires, artesque bellicas *Maximini Thracis*, obtrectabant *Alexandro* Auguſto, quod ſub Mammææ matris auctoritate adhuc eſſet, nihilque non ex ejusdem arbitrio, conſilioque adminiſtraret, ideoque præſens quoque bellum ſegniter, ac timide gereret. Illius in Oriente cunctatione factum eſſe, quod provinciæ Romanæ tantum detrimenti a Germanis accepiſſent. Tandem improba quorundam conſilia eo temeritatis proruperant, ut Imperatore *Alexandro*, ejusdemque matre *Mammæa* obtruncatis, Imperium *Maximino Thraci* deferre non dubitarent.

CAPUT III.

De rebus in Pannonia geſtis ſub Imperatoribus Maximino Thrace, hujusque Succeſſoribus uſque ad Valerianum.

MAXIMINUS THRAX militari adclamatione anno Chriſti 235. factus Imperotor Germanos ingenti mox clade affecit, ac multis inde captivis, magnaque præda abacta, pro hybernis in *Pannoniam* reverſus eſt. Non tamen *Sabariæ*, ſed *Sirmii* conſedit, quod urbs illa Dacis, ac Sarmatis propior eſſet. Hos enim interea perdomuit, atque ad pacem petendam coëgit: id quod non ſolum ex *Herodiano* colligi poteſt, apud quem *Maximinus* alloquens milites, inter alia re-

fert, *Sarmatas ipſi quotidie de pace ſupplicare*: verum etiam liquet ex Inſcriptione columnæ milliariæ ad Eſzekinum repertæ, in qua idem *Maximinus* non modo *Germanici*, verum etiam *Dacici*, ac *Sarmatici* titulos habet *k*). Ceterum, quam hic Imperator rebus bello geſtis adeptus eſt gloriam, hanc truculentia, & avaritia adeo obſcuravit, ut brevi univerſos pœniteret, quod mite, ac moderatum *Alexandri* Imperium cum Tyrannide *Maximini* commutaverit. Imprimis enim ad tegendam ignobilitatem ſuam omnes generis ſui conſcios interemit; dein complures exercitibus, aut provinciis Præpoſitos, Conſulares, Triumphalesque viros ob leviſſimam ſæpe culpam corripi de improviſo jubebat, ac ſine ullis miniſteriis ſolos vehiculis impoſitos die noctuque iter facere, & in *Pannoniam* ad ſuum tribunal venire cogebat; poſtea bonis omnibus ſpoliatos, & ignominia adfectos exilio, vel morte mulctabat. Ad hæc pecunias civiles, quæcunque vel ad publicam annonam repoſitæ, vel in plebem dividendæ ſupererant, tum illas etiam, quæ theatris, aut celebritatibus adſervabantur, ſibi adjudicavit.

Ob hæc igitur Senatus Romanus *Maximinum* Reipublicæ hoſtem declaravit, ideoque primum *Gordianos* duos, qui ab Africæ Præfectura dicti ſunt *Africani*, dein iſtis haud multo poſt extinctis, *Balbinum*, & *Pupienum* creavit Auguſtos. Sub his *Maximinus Thrax*, dum Aquilejam obſideret, a propriis militibus anno 237. trucidatus eſt. Verum anno ſequente idem Romæ *Balbino* quoque & *Pupieno* a Prætorianis accidit. Imperium tandem unanimi militum, & Senatus conſenſu defertur *Gordiano*, id nominis *Tertio*, cognomine *Pio*: qui conſiliis, & opera *Miſithei*, Prætorio Præfecti, ſoceri ſui uſus, multa præclare geſſit. Roma in Orientem profectus, in itinere per Pannoniam, & Mœſiam ſuſcepto, Sarmatas, Gothosque, his Provinciis infeſtos, repreſſit. Eodem tempore *Viminacium* Provinciæ Mœſiæ Superioris urbem Danubio adſitam, ex Municipio Coloniam fecit, eidemque privilegium feriundæ ex ære monetæ conceſſit. Hinc eſt, quod frequentiſſimi hodieque tam in Mœſia, quam in vicina Pannonia inveniantur Numi ærei a Colonia *Viminacio* percuſſi, annisque notati, quorum primus incidit in annum tertium Imperii *Gordiani*, quo nempe hæc urbs ad Coloniæ Romanæ dignitatem evecta fuit. Idgenus Numi, quales etiam *Sabariæ* reperiri jam *Libro I. Cap. X.* indicavimus, referunt antica parte Caput Imperatoris laureatum, vel corona radiata cinctum, vel Imperatricis, adſcripto ejusdem nomine, ac titulis: in poſtica vero Mulierem ſtantem inter Taurum, & Leonem cum inſcriptione: P M S COL VIM AN I. vel II. & ſic porro ſub diverſis Imperatoribus uſque ad *Valerianum*, ſub quo poſtremus eſt Anni Numerus XIV. Mulier in hujusmodi numis repræſentat Genium Provinciæ Mœſiæ Superioris (hæc nunc *Servia* vocatur) in qua erat Colonia *Viminacium* (non *Widin*,

---

k) Edita eſt hæc Inſcriptio, & peculiari diſſertatione illuſtrata per P. Petrum *Katancium* Eandem reperies in Adpendice ad P. II. Commentarii noſtri geographici ſupr. cit. p. 161.

ſed *Ram* hodie, uti præclare monet Celeberrimus Franciſcus *Neumann l*); Taurus, & Leo ſunt Symbola Legionis IV. Flaviæ, & VII^mæ^ Claudiæ. Quam interpretationem ſuggerunt ipſi Numi hujus Coloniæ; nam in quibusdam Mulier ſtans inter taurum, & leonem manibus tenet vexilla, quorum uni inſcriptus eſt numerus Legionis IIII^tæ^, alteri vero VII^mæ^.

Memoriam *Gordiani Pii* conſervant etiam nonnulli Lapides Pannonici. In illo, quem Budæ repertum aliquot abhinc annis edideram *m*), Inſcriptio ita habet:

IMP. CAESARI M. ANTONIO GORDIANO PIO
FEL. INVICTO AVG. PONTIFICI MAX. TRIB. POTEST. III
COS. PROCOS. PP. LEG. II. ADI. P. F. GORDIANA
DEVOTA NVMINI MAIESTATIQVE EIVS.

Ex *Trib. Pot. III.*, quæ annum Imperii tertium notat, certum eſt, factam fuiſſe hanc Inſcriptionem eo plane anno, quo *Gordianus Pius* in tranſitu ſuo per Pannoniam, Mœſiamque rem adverſus Sarmatas, Gothosque proſpere geſſit; unde veriſimile fit, *Legionem II^dam^ Adjutricem Piam Fidelem* hac ipſa occaſione titulum *Gordianæ*, quo in præſente monumento gloriatur, ſibi promeritam fuiſſe.

Vicit *Gordianus Pius* Perſas quoque in Oriente, ſed poſt obitum *Miſithei* ſoceri ſui, cum *Julium Philippum* Prætorio Præfectum feciſſet, hujus artibus circumventus, & prope *Cteſiphontem* ſeditione militum interfectus eſt anno Chr. 244. Imperator *M. Julius Philippus*, teſte *Aurelio Victore*, *Eutropio*, & *Capitolino*, fuit natione *Arabs*. Quamobrem fides non eſt habenda nonnullis recentioribus, & medii ævi Scriptoribus, qui illum origine fuiſſe *Pannonium*, & quidem *Arrabonæ* natum ſcribunt. Sat vetus tamen traditio eſt, ex Imperatoribus Romanis primum omnium fuiſſe hunc *Philippum*, qui Chriſtiana ſacra ſuſcepit, tametſi aperte ſe Chriſtianum eſſe profeſſus non fuerit, immo neque ritus ethnicos ex integro dimiſerit. Verum quod idem *Philippus* utramque *Pannoniam*, velut avitum patrimonium poſſederit, quodque Laureacenſem Chriſtianorum Eccleſiam honoribus, ac divitiis auxerit, inter ſomnia & figmenta reponendum eſt. Fuere etiam, qui ſanctum *Quirinum* Siſcienſem, qui *Sabariæ* pro fide Chriſti mortem oppetivit, *Philippo* Auguſto genitum, & Laureacenſis Eccleſiæ Epiſcopum fuiſſe crederent. Sed jam decantatæ huic fabulæ nulla hodie auctoritas. Certiora ſunt, quæ ſequuntur.

Imperator *Philippus Arabs*, adſumpto in conſortium Imperii filio cognomine, redux ex Oriente, provinciam *Daciam* profligatis *Carpis* in libertatem adſeruit, eoque pacto magnum ſibi cum apud *Dacos*, tum apud *Pannonios* nomen pe-

---

l) Popul. & Reg. Numi vet. p. 92.
m) L. ſupr. cit p. 167.

perit. Nam *Daci* ab hac epocha numos quosdam imitatione Coloniæ *Viminacii* ſignare cœperunt, qui usque nunc obvii ſunt in Tranſilvania, & Hungaria, videlicet hujusmodi: in *Adverſa* eſt caput Imperatoris vel Imperatricis, adſcripto ejus nomine; in *Averſa* vero Mulier ſtat inter aquilam, ſertum roſtro gerentem, & leonem; tenetque vexilla Legionum, unum numero V. alterum numero XIII. inſcriptum; addita epigraphe: PROVINCIA DACIA. AN. I. vel II. III. &c. usque ad X. qui poſtremus numerus nonniſi ſub *Valeriano* & *Gallieno* occurrit. In quibusdam idgenus numis Mulier ſtans inter aquilam, & leonem manu dextra tenet enſem incurvum, ſiniſtra autem vexillum, cui inſcriptæ ſunt literæ D. F. id eſt *Dacia Felix*. Quod ad *Pannonios* attinet, hi complures milliarias columnas in honorem *Philippi* erexerunt, & inſcripſerunt. Quaternas ipſemet reperi, ex quibus duas jam alio in opuſculo vulgaveram *n*). Reliquæ infra *Budam* prope pagum *Promontorium* anno 1782. effoſſæ, hanc præſeferunt epigraphen, literis ſaxo inciſis ac ſimul cinnabari coloratis:

IMP. CAES.
M. IVLIO PHILIPPO
F F. AVG. PONTIFICI
MAXIMO TRIB
POTESTATIS. COS
PP. PROCOS ET
MARCIAE OTACILIAE
SEVERE (*ſic*) SANCTISSIMAE
AVG. CONIVGI AVG. N.
AB AQ. M P. VIII.

In altera utriusque *Philippi* nomen exprimitur hunc in modum:

IMP. CAE.
M. IVL. PHILIPPO AVG.
PONTIFI. MAXIMO TRIB
POTESTATIS COS. PP. PRO
COS. ET M. IVL. PHILIPPO
NOBILISSI. CAESARI ET
MARCIAE OTACILIAE SEVERAE
SANCTISSIMAE CONIVGI AVG. N.
AB AQ. M. P.
VIII.

n) Adpendice ad *P II. Commen. geogr. p.* 172. & ſeqq. Ambæ fuerunt erutæ prope pagum *Cſiv* in antiqua via militari, quæ a *Bregetione Aquincum* duxerat. In u a illarum *Philippus* inſcri bitur

Memorabilis fuit annus quintus Imperii *Philipporum* (Chriſti 248.) ob ludos ſæculares annumque Romæ conditæ milleſimum exquiſita cum pompa celebratum. Verum anno ſequente (Chr. 249.) utrumque *Philippum* e medio ſuſtulit *Decius*, Bubaliæ in Pannonia inferiore, agri Sirmienſis vico, natus. Is cum eſſet in Patriam miſſus ad caſtigandos *Marini*, qui tyrannidem arripuerat, complices, ab exercitu coactus erat Imperium ſuſcipere: conflixit ad *Veronam*, vicitque, & occidit *Philippos*. Lapis milliarius, hucusque ineditus, quem ad ripam Danubii in pago *Adony* vidi, hæc *Decii* nomina, ac titulos habet:

IMP. CAES MESSIO QVINTO
TRAIANO DECIO P. F. INVICTO
AVG. PONTIFICI MAXIMO TRIB
POT. COS - - - -
- - M. P. - - -

Poſt *Decium*, qui, poſtquam pluribus prœliis Scythas contudiſſet, in poſtrema tamen expeditione ſimul cum filio perierat, Imperatores a Senatu Romano fuere nominati *Hoſtilianus*, & *Trebonianus Gallus* anno Chr. 251. Quorum ille haud multo poſt ex peſtilentia obiit; hic vero *Voluſianum* filium Imperii conſortem fecit. Imperium & vitam produxit non ultra annum Chr. 254. Quippe hoc ipſo anno *Aemilianus*, Pannoniæ Præfectus, relata de Scythis victoria tumidus, exercitui perſuaſerat, ut ſe Imperatorem renunciarent, *Gallo* & *Voluſiano* exauctoratis, ac Interamnæ occiſis. Verum tertio Imperi menſe & ipſe occubuit, a propriis militibus obtruncatus, metu belli civilis; quoniam ſub idem tempus in Rhætia & Norico *Valerianus* etiam proclamatus fuit Auguſtus.

CAPUT IV.

De rebus Pannoniorum, ac ſpeciatim Sabarienſium ſub Valeriano, & Gallieno, aliisque Imperatoribus uſque ad Diocletianum.

AD clavum Imperii ſedentibus *Valeriano*, hujusque filio *Gallieno*, triſtiſſima erat Orbis Romani facies. Imperium enim in partes diſcerpi cœpit, inſurgentibus triginta ſucceſſive Tyrannis. Funeſtiſſimis præterea damnis provincias afficiebant

bitur *Parthicus Maximus*, quod mirum videri poſſit, niſi jam alius quoque Lapis repertus fuiſſet, qui perinde Philippo *Parthici* titulum tribuit. Idgenus Lapidem apud *Toletanos* in Hiſpania repertum edidit *Hieronymus de la Higuera* in Dypticho Toletano, quem in *Luitprandi* Operibus Antverpiæ 1640. editis p. 552. impreſſum reperies. Hæc Adnotatio deeſt in ſupra dicta Adpendice.

Perſæ, Scythæ, Gothi, Borani, Urgundi, Carpi, aliæque barbaræ nationes. Acceſſerunt peſtilentia, terræ motus, *Valeriani* Auguſti apud Perſas captivitas, & aliæ calamitates. Quod *Pannoniam* concernit; huic regioni præfuerat hac tempeſtate *Lælius Ingenuus*, quem Mœſiacæ & Pannonicæ Legiones, audita Valeriani clade, & captivitate, Imperatorem ſibi delegerunt: ſed infelici prorſus eventu. Nam poſtquam is a *Celere Veriano*, Duce Gallieni, victus & occiſus fuiſſet, ſævitum eſt illico in omnes non modo milites, verum etiam cives, qui partes Ingenui ſecuti erant. Cladem narrat *Trebellius Pollio*, apud quem etſi nulla fiat *Sabarienſium* mentio, ex adjunctis tamen facile patet, ad iſtos quoque eam pertinuiſſe. Tanta quippe fuit *Gallieni* ob hanc rebellionem indignatio, ut poſt caſtigatos crudeliſſime perduelles, omnem pæne harum provinciarum curam abjecerit. Immo partem Pannoniæ Superioris, usque forte *Sabariam*, ceſſerat *Attalo*, Marcomannorum Regi, cujus filiam nomine *Piparam* (alii *Pipam* ſcribunt) adeo deperibat, ut eam ſecundæ conjugis loco haberet. Qua de re *Sext. Aurelius Victor* in hæc verba ſcribit: *Gallienus quidem in locum Cornelii filii ſui Saloninum alterum filium ſubrogavit, amori diverſo pellicum deditus, Saloninæ conjugis, & concubinæ, quam per pactionem, conceſſa parte Superioris Pannoniæ, a patre Marcomannorum Rege, matrimonii ſpecie ſuſceperat Pipam nomine o*).

Multorum opinio eſt, *Saloninam*, & *Pipam* unius ejusdemque perſonæ nomina eſſe, illud nempe Romanum, hoc barbarum. Et vero non aliud fere indicare videntur laudata modo *Victoris* junioris verba. Sed ſenior *Aurelius Victor*, quamvis & ipſe nonnihil obſcure rem hanc attingat, utcunque tamen manifeſtat, *Saloninam* fuiſſe diverſam a *Pipa*. Illam quippe legitimam Gallieni *Conjugem*; hanc vero *Concubinam*, cujus ille flagitioſo amore flagrabat. Ejus verba ſunt: *Inter hæc ipſe* (*Gallienus*) *popinas, ganeasque obiens, lenonum, ac vinariorum amicitiis hærebat, expoſitus Saloninæ conjugi, atque amore flagitioſo filiæ Attali Germanorum Regis, Pipæ nomine. Qua cauſa etiam civiles motus atrociores orti p*). Hæc ita, quemadmodum dixi, intelligenda eſſe, evincunt Numi in Aegypto nomine, & effigie *Corneliæ Saloninæ* Auguſtæ ſignati. In his enim, uti jam *Bandurius* obſervavit *q*), inveniuntur omnes Imperii *Gallieni* anni, a primo uſque ad quintum decimum, ſeu poſtremum, expreſſi; unde manifeſtum fit, *Saloninam* nupſiſſe *Gallieno* dudum ante captivitatem *Valeriani* Auguſti, adeoque longe diverſam fuiſſe a *Pipa*, quam *Gallienus* nonniſi ſerius, poſtquam ſcilicet patre a Perſis capto, ſolus rerum potiri cœpit, ſibi adjunxerat.

Gallieno, in expeditione, contra *Aureolum* Tyrannum ſuſcepta, ſub annum Chriſti 268. perempto, Imperator creatus eſt *M. Aurelius Claudius*, qui ob Go-

---

o) Epitom. 47.
p) De Cæſaribus cap. 33.
q) Numiſm. Impp. Rom. T. I. p. 234.

thos ingenti prælio deviċtos cognomen *Gothici* accepit. Sub hoc Principe res Romana reſpirare videbatur, nam & alios Germaniæ populos fortiter repreſſit, diċtus idcirco *Germanicus*, teſte marmore Pannonico, apud Aquincum ſeu Budam veterem eruto, cum hac inſcriptione:

IMP. CAES. M. AVREL. CLAVDIO GERMANICO
P. F. INVICTO AVG. PONT. MAX. TRIB. POTEST III.
COS. PROCOS. P. P. LEG. II. ADI. VI. P. VI. F. CONSTANS
CLAVDIANA NVMINI MAIESTATIQVE EIVS DICATISSIMA.

Ex qua Inſcriptione ſimul patet, *Claudium* Gothicum ob *Trib. Pot. III.* non ſecundo Imperii ſui anno, uti Calviſius & Petavius ſcripſere, verum tertio Sirmii in Pannonia lue peſtifera obiiſſe.

Ab obitu *Claudii* Senatus *Quintillum* ejus fratrem anno Chr. 270. adpellavit Auguſtum. Sed exercitus maluit *Aurelianum*: cui ille ſeſe imparem ſentiens, poſt paucos Imperii dies ſpontaneam, venis apertis, mortem oppetiit. Tum vero *Aurelianus* illico in *Pannoniam*, patriam ſuam, quam finitimi *Sarmatæ* & *Quadi* rurſus depopulabantur, ſeſe contulit. Dimicatum eſt prælio primum ancipite, dein autem rejeċtis ultra Danubium hoſtibus viċtores abierunt Romani. Verum alia ex parte *Marcomannorum* copiæ usque in Italiam procurrerunt, ac prope Placentiam tanta clade adfecerunt *Aurelianum*, ut is, quod in maximo ſolum diſcrimine fieri ſolebat, libros Sybillinos inſpici, novosque militum delectus celerrime fieri juberet. Poſt hæc novis animis viribusque itum eſt in Marcomannos, bellumque redintegratum usque adeo ſecundo Marte, ut *Aurelianus* tribus continenter præliis viċtor evaſerit, primo nempe ad fluvium *Metaurum*, altero ad urbem *Placentiam*, ac tertio denique apud *Ticinum*. *Marcomanni* ergo tot cladibus attriti non modo Italiam terrore liberarunt, verum etiam Superioris *Pannoniæ* partem, quam eis *Gallienus* paċtione, ut diċtum eſt, ceſſerat, relinquere coaċti ſunt. Non minus favit *Aureliano* fortuna in Oriente contra *Zenobiam* Palmyrenorum Reginam, & in Galliis adverſus *Tetricum* Tyrannum, de quibus triumphavit. *Daciam* tamen provinciam, quam *Trajanus* ultra Danubium inſtituit, cum retineri poſſe deſperaret, Barbaris reliquit, translatisque Legionibus, & civibus Romanis agros in Mœſia adſignavit, partemque Mœſiæ, in qua eos collocavit, itidem *Daciam*, ſed ſuam, id eſt, *Aureliani*, adpellari juſſit.

Aureliano Auguſto ſub annum Chr. 275. fraude Mneſthei Notarii ſui occiſo, dum Senatus & milites poteſtatem eligendi novi Imperatoris mutuo ſibi deferrent, oċto fere menſium erat Interregnum. Demum *Tacitus* per Senatum anno Chr. 276. Imperator renunciatur, cui ſeptimum poſt menſem defunċto ſuccedit *Florianus* frater, altero mox menſe a militibus peremptus, acclamato *Probo* Auguſto. Erat *M. Aurel. Valerius Probus* natione *Pannonius* e civitate Sirmienſi, non tam

genere, quam corporis & animi dotibus nobiliſſimus. Egregia virtutis bellicæ ſpecimina jam ſub Imp. *Valeriano* edidit, quando cum exigua ſuorum manu ingentes Sarmatarum, Quadorumque copias e Pannoniis rejecit, eoſdemque ultra Danubium perſecutus captivos recepit, inter quos præcipuus erat *Valerius Flaccus* Imperatoris *Valeriani* Pater. Ea res *Valerianum* permovit, ut *Probum* licet juvenem adhuc imberbem, Legioni Tertiæ Tribunum conſtituerit, eundemque pro concione laudatum quatuor haſtis puris, ac duabus coronis vallaribus, unaque civica donaverit. Idem *Probus* ab Imperatore *Aureliano* Legionem decimam in Pannonia ſuperiore hybernantem accepit regendam, non ſine Imperii omine: erat enim hoc tempore velut in fatis, ut futuri Imperatores huic Legioni præficerentur. Qua de re *Vopiſcus* producit Imperatoris *Aureliani* ad *Probum* literas, in hæc verba ſcriptas: *Ut ſcias*, inquit, *quanti te faciam*, *decimanos meos ſume*, *quos Claudius mihi credidit. Iſti enim ſunt*, *qui quadam felicitatis prærogativa præſules*, *niſi futuros Principes*, *habere non norunt.* Poſtremo Imperator *Tacitus* eundem *Probum* toti præfecit Orienti, ſecumque Conſulem in annum ſequentem deſignavit.His ergo gradibus *Probus* Imperii ſolium conſcendit. Imperavit autem ea virtute ac felicitate, ut intra quinquennium omnes fere Barbaros, Tyrannoſque ſubegerit: ad eumque ſtatum res Imperii perduxit, ut brevi nullis opus fore militibus quidam exiſtimarent. Soli jam reſtabant *Perſæ* ad obſequium compellendi. Verum ecce in ipſo adparatu, ex Italia in *Pannoniam* redux a propriis militibus indigniſſime trucidatur. Necis cauſa ferebatur, qnod milites ſuos nunquam pateretur otioſos, atque tum, cum id accidit, per eoſdem in agro Sirmienſi paludes derivari, & ſiccari, Almumque montem perſodi, & lecta vite conſeri juſſerit. Defuncto tamen Exercitus honores exhibuit, elatisque aggeribus ingens ei ſepulcrum fecit, addito hoc Epitahio:

HIC PROBVS IMPERATOR ET VERE PROBVS SITVS EST
VICTOR OMNIVM GENTIVM BARBARARVM
VICTOR ET
TYRANNORVM.

Probo ſucceſſor datus eſt *M. Aurelius Carus* anno Chriſti 282. qui re contra Sarmatas primum, dein adverſus Perſas quoque proſpere geſta, in reditu prope *Cteſiphontem* ictu fulminis periit anno Imperii ſecundo, relictis duobus filiis Auguſtis, *Carino*, & *Numeriano*; ſed huic non multo poſt per *Arium Aprum*, ſocerum ſuum, interfecto milites ſuffecerunt *Diocletianum*, invito *Carino*; unde bellum civile exarſit, non aliter quam per *Carini* cædem, a proprio Tribuno patratam, altero poſt anno ſopitum.

CAPUT V.

De ſtatu Imperii ſub Diocletiano: de perſecutione Chriſtianorum: de S. Quirino Sabariae paſſo, ac de nonnullis aliis Martyribus Sabarienſibus.

DIOCLETIANUS, poſt ſublatum *Carinum* anno Chriſti 284. communi jam militum, Senatusque conſenſu Auguſtus nuncupatus, cum videret imperium undequaque partim a Barbaris, partim a Tyrannis infeſtari, ſalubre iniit conſilium, pluresque in conſortium Imperii, & curarum adſciſcere decrevit. Imprimis itaque Cæſarem creavit *Valerium Maximianum*, Sirmio Pannoniæ urbe oriundum, ejusque opera tumultuantes in Galliis *Bagaudarum* nomine ruſticos compeſcuit, ac poſtea eundem in gradu æquali ſecum collocans *Auguſtum* adpellari juſſit, addito *Herculei* cognomento, cum ipſe *Jovius* dici vellet. Sed cum multiplicia inſtarent bella, metusque eſſet, ne plures variis in Provinciis tyranidem arriperent, binos præterea nominavit Cæſares, ſibique *Conſtantium Chlorum* adjunxit, *Valerio* autem *Maximiano* dedit *Galerium Maximianum* anno 291. Qui duo Cæſares, ut aliquo neceſſitudinis vinculo adſtringerentur duobus Auguſtis, *Conſtantio* data eſt uxor *Theodora*, *Herculei* privigna; *Galerio* autem *Valeria*, *Diocletiani* filia. Utrique præterea Cæſari adſignatæ ſunt quædam Provinciæ, quas regerent: *Conſtantio* nempe Gallia, Britannia, & Hiſpania; at *Galerio* Noricum, & Pannoniæ, cum aliis Illyrici Provinciis.

His ita diſpoſitis, expeditiones in varias orbis partes ſuſceptæ ſunt. Anno Chriſti 295. *Carpis*, *Baſtarnis*, ac *Sarmatis* devictis, captivorum ingentes copiæ in Romanis finibus ad Imperii cuſtodiam locatæ. Annis conſequentibus *Perſæ* in Oriente domiti; *Alexandria* in Aegypto recepta; in Africa *Quingentiani* debellati; in Britannia primum *Carauſius*, dein *Allectus*, Tyranni e medio ſublati; in Galliis prope Lingones *Alemannorum* ad LX millia cæſa. Verum has victorias ſubſecuta eſt anno Chriſti 302. ſæviſſima Chriſtianorum perſecutio. Imperatores enim, urgente potiſſimum *Galerio* Cæſare, propoſuerunt Edicta de templis diruendis, de ſacris libris incendio tradendis; utque Chriſtiani, ſi qui Magiſtratu aliquo functi eſſent, gradu ſuo dejicerentur; tum, ut quicunque Diis immolare detrectarent, ultimo ſupplicio adficerentur. Hac ergo tempeſtate innumeri Chriſtiani excruciati, & enecti fuere, ut in aliis Imperii provinciis, ita in *Pannoniis* quoque. Suprema iſthic plectendorum tribunalia erant, unum *Sirmii* in Pannonia inferiore, cui tunc *Probus* quidam præfuit; alterum vero *Sabariæ* in Pannonia ſub *Amantio* Præſide.

Inter *Sabarienſes* Martyres eminuit beatus *Quirinus*, Eccleſiæ Siſcienſis Epiſcopus. Is erumpente perſecutione, ut laboranti Eccleſiæ ſuæ opportunius

provideret, furori *Galerii* tantiſper ſe ſe ſubduxerat: ſed brevi comprehenſus reducitur *Siſciam*, & *Maximo* cuidam, capitalium rerum judici, minoriſque cujusdam tribunalis Præſidi ſiſtitur. Erat *Quirino* ætas admodum jam provecta, corpusque ſenectute fractum, ſed animus virilis, & adeo conſtans, ut nec minis, nec ſollicitationibus ullis a propoſito dimoveretur. Oblatum illi fuit pingue Jovis ſacerdotium, quod cum abominaretur, fuſtibus primum cæſus, dein catenis oneratus, & in ſqualidiſſimum ergaſtulum conjectus eſt. At, cum illic ipſum carceris cuſtodem *Marcellum* ad Chriſti fidem convertiſſet, Siſcienſis Judex in rabiem actus, quod antea minabatur, id jam illico exequi decrevit, *Quirinum*que pro accipienda mortis ſententia ad *Amantium*, Pannoniæ Superioris Præſidem, in vinculis expedivit.

Accidit vero, ut eo tempore *Amantius* Præſes provinciam ſuam obiret, atque civitates ad ripam Danubii ſitas luſtraret, eo igitur & beatus Præſul *Quirinus* ductus eſt. Cum igitur in quadam harum civitatum (nomen in Actis non exprimitur) ſubſiſteret, *Amantio*, qui eadem die ex urbe *Scarbantia* rediturus ſperabatur, præſentandus; Chriſtianæ ibi mulieres deſiderio videndi illuſtrem Chriſti pugilem convenere, eidemque inedia exhauſto epulas hoſpitales adpoſuere. At ille dum oblatum cibum, potumque ſolemni precatione luſtrat, eas non exemplo tantum, verum etiam oſtenſione prodigii (ſubito enim catenas ex ejus manibus, pedibusque decidiſſe viderunt) in fide confirmat. Qua tamen re poſtea comperta Præſes *Amantius* nihil commotus, *Quirinum* denuo vinciri, ac poſtridie *Sabariam* reduci, ſibique per apparitores in theatro ad cauſam dicendam offerri juſſit. Tentata ibi eſt variis modis conſtantia Martyris: ſed, cum impius Præſes nihil proficeret, capitis demum ſententiam pronunciavit, Martyremque in fluvium *Sibarim*, alligato ad collum Saxo molari, præcipitem dari, mergique præcepit. Prodigium, quo mors divi *Quirini* illuſtrata fuit, *Prudentius* celebrat ſequenti carmine:

Summo pontis ab ardui
Sanctæ plebis Epiſcopus
In præceps fluvio datur,
Suſpenſum laqueo gerens
Ingentis lapidem molæ:
Dejectum placidiſſimo
Amnis vortice ſuſcipit,
Nec mergi patitur ſibi
Miris vaſta natatibus
Saxi pondera ſuſtinens.
Jam plenus titulus tui eſt
Jam vis prodita nominis
Qua gentilis hebet ſtupor,
Abſolvas, precor, optime,
Hujus nunc animæ moras,
Quid poſſis, probat amnicus
Qui vectat ſilicem liquor.
Hoc jam nunc ſupereſt, cedo,
Quo nil eſt pretioſius
Pro te, Chriſte Deus, mori.
Orantem ſimul halitus,
Et vox deſerit, & calor:
Scandit Spiritus ardua:
Fit pondus grave ſaxeum,
Corpus ſuſcipiunt aquæ.

De anno martyrii hujus variant ſententiæ Auctorum. Continuator Chronici Euſebiani D. *Hieronymus* annum habet 310. *Ruinartus* cum *Tilemontio* retrahit ad 309. *Baronius* ad 308. Sed veriſimilius eſt, illud jam anno 303. pridie Nonas Junii contigiſſe. Quippe Acta pervetuſta, atque ſecundum Papebrochium, ævo Conſtantiniano ex Proconſularibus monumentis collecta non obſcure innuunt, *Quirinum* Siſcienſem Epiſcopum antea jam paſſum eſſe, quam *Diocletianus*, & *Maximianus Herculius* Imperio ſe ſe abdicarent, adeoque ante annum Chr. 304. Præterea conſtat perſecutionem Chriſtianorum non prius cæpiſſe, quam anno 302. Itaque martyrium S. *Quirini* anno inter hos medio, id eſt, 303. eveniſſe veroſimillimum eſt. Id quod confirmatur eo etiam, quia tempore illius martyrii *Galerius* nondum erat Auguſtus, ſed Cæſar tantum. Participem illum tunc fuiſſe in Regno *Diocletiani* tradunt Acta ſupra laudata; *Prudentius* autem Ducem Illyrico præpoſitum vocat.

Inventum dein fuit corpus beati *Quirini* haud longe ab loco illo, in quo demerſum erat. Ibi Chriſtiani, ceſſante perſecutione, exſtruxerunt Oratorium: corpus vero ipſum intra mœnia civitatis *Sabarienſis* tranſtulerunt, & in Baſilica prope portam Scarbantinam depoſuerunt. Auctor Actorum ſupra laudatorum prodit, multos fideles devotionis cauſa adhuc ſuo tempore Baſilicam illam frequentaſſe. Sacer hic theſaurus permanſit *Sabariæ* usque ad annum Chr. 395. quo Barbari (*Gothos* quidam, alii *Hunnos* intelligunt) Pannonias inundarunt. Tunc enim fugam capeſſentes Chriſtiani ſacra Lipſana Martyris *Quirini* ſecum Romam abſtulerunt, quæ ad Catacumbas in via Appia tertio ab Urbe lapide recondita fuere. Inde ſub annum Chr. 1140. *Innocentius II.* Pontifex Maximus ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ trans Tiberim ea transferri curavit, uti legitur in additamento poſterioris cujusdam Scriptoris, ad Acta toties memorata facto, in MS. *Vaticano*, & in editionibus *Mombritii*, *Surii*, *ac Papebrochii.*

Errorem *Aquilejenſium*, qui noſtrum *Quirinum* inter ſuos Patriarchas numerant, refellunt *Henſchenius* ad diem 25. Martii, & *Papebrochius* ad diem 4. Junii. Quantopere autem fallantur, qui eundem cum *Quirino Tegernſeenſi* confundunt, oſtendit *Heinſizius* r). „ Alter enim, inquit ille, *Romæ*, alter *Sabariæ* „ paſſus eſt: ille ſub *Claudio*, uti dicitur; hic ſub *Diocletiano.* De illius Epi- „ ſcopatu ne quidem Tegernſeenſibus ulla mentio; iſte Epiſcopus. Ille juvenis, „ ſeptem ſupra viginti annos natus; hic vetulus decrepitus. „ Apud eundem legere eſt, quam nullius momenti ſint, quæ *Cuſpinianus*, & *Lazius*, nonnullique alii de noſtro *Quirino* ad Epiſcopatum Laureacenſem promoto, ac de patrimonio ejusdem Laureacenſi Eccleſiæ legato fabulantur. Immo totius fabellæ hujus originem, progreſſumque hiſce verbis *Heinſizius* deſcribit: „ Eſt, inquit, „ in Bavaria celebre Cœnobium Benedictinorum in confiniis Comitatus Tyro-

r) T. I. Germaniæ Sacræ p. 26. ſeq.

„ lenſis, ad lacum *Tegernum*, unde & *Tegernſee* vulgo vocatur: in eo corpus „ *S. Quirini* Martyris quieſcit, Zachariæ Pontificis dono illuc translatum anno „ 752. Cœnobitæ Tegernſeenſes Acta ejus conſcripſerunt, incertum quo tem- „ pore, ſed certe ſæculo undecimo, cujus medio vivebat *Metellus* ejus Cœ- „ nobii monachus, qui vitam *S. Quirini* integro carminum lyricorum libro de- „ ſcripſit, & *Quirinalia* appellavit. Jam vero ante *Metelli* tempora totam hiſto- „ riam exſtitiſſe, ſoluta oratione digeſtam, judicat *Henſchenius*, qui eandem e „ monaſterio impetratam inſeruit Tomo III. Martii ad diem viceſimam quintam. „ In ea igitur hiſtoria, uti & in *Metelli* poëmate ſcribitur *S. Quirinus* fuiſſe „ *Philippi Senioris* & *Severæ* filius, qui cæſo apud Veronam patre natus anno- „ rum ſeptem, ac tum cum Matre baptizatus, inde ad declinandam *Decii* Ty- „ rannidem intra clandeſtinos ſpecus occultatus, erumpente interea ſanctitatis „ fama poſt annos viginti, ſub *Claudio ſecundo* Cæſare conquiſitus, capite ple- „ xus, & in profluentem Tiberim conjectus circa annum 270. cum ipſe eſſet „ annorum ſeptem & viginti. Corpus poſtea inventum, & in cæmiterio S. „ Pontiani ſepultum, inde in Bavariam ad dictum monaſterium transportatum „ eſt. Cum hoc *Quirino* Auctor annalium Patavienſium, uti & Biographus S. „ Maximiliani, & qui illos ſecuti ſunt, confuderunt *S. Quirinum Pannonicum*: „ ipſum enim *Philippi* & *Severæ* filium, ipſum Romæ paſſum, in Tiberim pro- „ jectum, in cœmiterio S. Pontiani ſepultum, Tegernſeam translatum, ex mo- „ numentis haud dubie ejusdem monaſterii mutuati ſunt. Quæ cum forte legeret „ ſciolus quispiam, atque, ut erat ea ætas commentorum ut credendorum, ſic „ gignendorum fœcunda, cum alias etiam traditione erronea accepiſſet, S. „ Quirinum fuiſſe Laureacenſem Epiſcopum, enimvero ita ſecum ratiocinatus eſt, „ ut ſtatueret, ei tamquam primogenito Imperatoris haud dubie fuiſſe ingentes „ opes, pingue patrimonium: cumque pater ejus fuerit Chriſto devotus, colli- „ gebat, eum minime fuiſſe invitum, ut omne illud in rem piam, videlicet fun- „ dandam, aut locupletandam Eccleſiam Laureacenſem, utpote quam *Quirinus* „ filius gubernaret, impenderetur. His ita inventis facile erat addere reliqua *s*).

Præter S. *Quirinum* Siſcienſem Epiſcopum, quem jam oſtendimus longe diverſum fuiſſe ab altero, quem Tegernſeenſes colunt, paſſus quoque fuit *Sabariæ* ſanctus *Rutilus*, ſeu *Ruſtulus* cum ſociis duobus Martyribus, teſte Martyrologio Hieronymiano. Nec dubium eſt, quin durante hac perſecutione alii etiam haud pauci in eadem Pannoniæ urbe ſanguinem pro Chriſto fuderint, tametſi eorum nomina in nullis hodie legantur monumentis. *Heinſizius* Martyribus *Sabarienſibus* etiam S. *Irenæum* Sirmienſium Epiſcopum, aliosque nonnullos, qui vulgo *Sirmii* fuiſſe paſſi creduntur, accenſet *t*). Præcipuum ſententiæ illius fundamentum eſt, primo ex Actis toties laudatis, quæ perhibent S. *Quirinum* a Maximo Præ-

s) L. cit. *t*) Ibidem.

ſide

ſide ex urbe Siſcienſi miſſum fuiſſe *Sabariam*, adeoque e Pannonia Savia ad *Amantium* Pannoniæ primæ Præſidem. Hinc enim arguit, eo adhuc tempore Tribunal Pannoniarum, ad quod Martyres ultimam accepturi ſententiam mittebantur, non alibi, quam *Sabariæ* fuiſſe. Deinde ad Menologium Græcorum provocat, in quo ad diem 23. Auguſti ſcriptum eſt, *Irenæum* Sirmienſium Epiſcopum ſub Imperatore Diocletiano *Sirmii* quidem eſſe comprehenſum, ſed abductum in *Pannoniam*; hoc eſt, ut ipſe interpretatur, in *Pannoniam primam*, adeoque *Sabariam*, quæ fuit hujus Provinciæ caput. *Sirmium* enim tunc erat metropolis *Pannoniæ ſecundæ* tantum.

Verum Acta vetuſta, quæ *Gamanſius* ex MS. Bodecenſi eruerat, aperte tradunt, eundem *S. Irenæum* non alibi, quam *Sirmii*, jubente *Probo*, Pannoniæ ſecundæ Præſide, gladio fuiſſe percuſſum, ejuſque corpus in profluentem *Savum* projectum. Præterea ex Græcorum Menologiis celeberrimum illud, quod juſſu Imperatoris *Baſilii* olim græce conſcriptum, poſtea vero græce ſimul & latine ab Annibale Cardinali Albano editum eſt, Tomo III. ad diem 23. Auguſti, ubi martyrium *S. Irenæi* deſcribitur, nullam prorſus *abductionis a Sirmio* mentionem facit. Quamobrem *Heinſizii* conjectura de *S. Irenæo* non *Sirmii*, ſed *Sabariæ* paſſo, nobis probari nequit. Nec movet *S. Quirini*, ex urbe Siſcia abducti *Sabariam*, exemplum: nam *Siſcia* eo adhuc tempore ad Provinciam Pannoniæ Superioris, cujus Præſes reſidebat *Sabariæ*, pertinuit: quemadmodum id alibi, cum de poſterioribus totius Pannoniæ diviſionibus acturi ſumus, oſtendetur.

CAPUT VI.

De nova diviſione Provinciarum inter Auguſtos, & Caeſares: de inſtitutione Provinciae Valeriae in Pannoniis: ac de Edictis in favorem Chriſtianorum promulgatis.

ALTERO a cœpta Chriſtianorum perſecutione anno, qui erat annus Chriſti 304. ambo *Auguſti*, *Diocletianus* nempe, & *Maximianus Herculeus*, Imperio ſe ſe ſponte abdicarunt, ſuccedentibus in ſuprema dignitate *Conſtantio Chloro*, & *Galerio Maximiano*. Hic poſterior novos nominavit Cæſares, *Valerium Severum*, & *Maximinum Dazam*, tametſi Diocletianus *Conſtantinum*, & *Maxentium* maluiſſet. Eodem tempore Cæſari *Maximino* Aſia, *Severo* Africa, & Italia obtigit regenda: cum interea *Galerius* Auguſtus Illyricum, *Conſtantius* vero *Chlorus* itidem Auguſtus, Galliam, Britanniam, & Hiſpaniam ſibi reſervaverint. Verum hic Imperii ſtatus non diu perduravit. Mortuo quippe in Britannia ſub annum Chriſti 307. *Conſtantio Chloro*, *Conſtantinus* filius in omnibus paternis ditionibus, invito licet

Galerio, ſucceſſerat. Ad hæc *Maxentius*, Herculei filius, ingentibus promiſſis effecit, ut Romæ a Prætorianis Auguſtus adpellaretur. Contra hunc miſſus fuit a *Galerio Valerius Severus*, jam pariter titulo Auguſti ornatus, qui tamen non multo poſt vita ſimul, & Imperio ſpoliatus eſt. Itaque poſt *Severi* interitum *Galerius* confeſtim *Licinium Licinianum* creavit Auguſtum, ſed indignantibus *Maximino*, & *Conſtantino* Cæſaribus, quos, ut ille placaret, novo adinvento titulo *filios Auguſtorum* juſſit nuncupari; cum vero id etiam parvi penderetur, paſſus demum eſt, ut & ipſi vocarentur Auguſti. Anno igitur 308. Imperium Romanum quinque ſimul Auguſtos legitime imperantes habuit, puta: *Galerium*, *Maxentium*, *Licinium*, *Maximinum*, & *Conſtantinum*, ſuperſtitibus adhuc ſenioribus duobus Auguſtis, *Diocletiano*, & *Herculeo*, quos abdicato Imperio ad quietem ſe ſe recepiſſe diximus.

Poſt hæc *Licinio* ad præſidium Illyrici, ac Thraciæ in Pannoniis relicto, *Galerius* Romam profectus eſt adverſus *Maxentium*. Sed cum illic alienatos a ſe militum animos advertiſſet, metuens ne dereretur, in Illyricum receſſit, nec multo poſt in gravem incidit morbum, ex quo *Sardicæ* in Mœſia periit. Ex quinquennali Imperio *Galerii* Pannonia id commodi habuit, quod magnus in ea terrarum tractus, ipſo jubente, in fertiles agros fuerit converſus, exciſis immanibus ſilvis, lacuque Pelſone in Danubium derivato. Hujus rei gratia *Galerius* novam in Pannoniis provinciam inſtituit, quam ab uxoris ſuæ nomine *Valeriam* vocari juſſit. Ita vero in tres jam provincias dividebatur omnis *Pannonia*, ſcilicet in *Pannoniam Superiorem*, & *Inferiorem*, inque *Valeriam* his interjectam, quæ per Danubii ripam ab Arrabonis oſtio uſque ad oſtium Dravi pertingebat. Falluntur enim, qui *Valeriam* vel in Pannonia Superiore circa *Sabariam*, vel inter *Savum*, *Dravumque* in hodierna Croatia, aut Sclavonia extitiſſe arbitrantur, uti jam *Lib. I. Cap. III.* oſtenſum. Falluntur quoque, qui ad eundem *Galerium* referunt diviſionem univerſæ Pannoniæ in quatuor Provincias, nempe in *Pannoniam Primam*, & *Secundam*, inque *Saviam*, & *Valeriam*. Hæc enim diviſio paullo ſerius contigit, quemadmodum infra dicetur.

Mortem *Galerii* ſignat annus Chriſti 311. qui eo etiam memorabilis eſt, quod *Galerius* paullo antea, quam e vivis excederet, Edictum propoſuerit de non perſequendis amplius Chriſtianis. Exemplum hujus Edicti, quemadmodum in aliis præcipuis Imperii Romani urbibus, ita procul dubio *Sabariæ* quoque in publico loco affixum fuit. Poſt *Galerii* obitum quatuor adhuc Auguſtis Orbis Romanus paruit; Gallia nempe, Hiſpania, & Britannia *Conſtantino Magno*: Italia, & Africa *Maxentio*: Oriens cum Aſia minore, & Bithynia *Maximino*: Pannoniæ, & univerſum Illyricum *Licinio*. Anno tamen ſequente, poſt victum, cæſumque *Maxentium*, ad *Conſtantini Magni* ditiones Italia quoque, & Africa acceſſere. Anno autem 313. *Licinius* debellato *Maximino* provincias Orientis ſuo adjecit Imperio. Atque ita demum ſumma Imperii penes duos manſit Auguſtos,

Idem annus nunc memoratus Chriſtianæ Religioni fuit auſpicatiſſimus. *Conſtantinus* enim *Magnus* poſtquam ſibi *Licinium* jam ante cœptum cum *Maximino* bellum affinitatis vinculo, data ipſi in uxorem Conſtantia ſorore ſua, adſtrinxiſſet, novum tam ſuo, quam Licinii nomine, in favorem Chriſtianorum Decretum dedit, Mediolani, ubi tunc nuptiarum ſolemnia celebrabantur, ſignatum. Tenor Decreti fuit: ut omnibus in Imperio Romano liberum eſſet Religionem Chriſtianam publice profiteri: utque templa, ædes, fundi, & quidquid aliud, quod Chriſtiani in commune antea poſſederunt, ereptum fuit, id omne citra moram, & absque omni compenſatione reſtitueretur. Promulgatio hujus Decreti per omnes, quæ *Conſtantino*, & *Licinio* parebant, Imperii provincias facta ingentem bonis omnibus lætitiam attulit. Verum & hanc ſubſecuta brevi inter *Licinium*, & *Conſtantinum* bella civilia interruperunt. Præceſſere ſimultates: mox apertæ inimicitiæ. *Licinius* enim *Baſſianum*, qui a *Conſtantino* jamjam Cæſaris titulo ornandus erat, ad defectionem impulit, uſus opera *Sinicii*, qui fuit *Baſſiani* frater, quemque *Conſtantino* ad pœnas repetenti tradere noluerat. Anno igitur 314. ad arma deventum eſt. Primum prælium ad *Cibalim* Pannoniæ inferioris urbem die 8. Octobris, alterum haud multo poſt in Mardienſibus campis prope *Hadrianopolim* commiſſum fuit. Utroque cæſæ quidem ſunt *Licinii* copiæ, ſed, quia in poſteriore prælio direpta fuere *Conſtantini* caſtra, pacem obtinuit *Licinius*, ea tamen lege, ut Pannonias, magnamque Illyrici partem amitteret. Præterea *Valens*, quem poſt Cibalenſem pugnam *Licinius* Cæſarem creaverat, gradu ſuo dejectus eſt, novique Cæſares *Criſpus*, & *Conſtantinus Junior*, uterque *Conſtantini Magni* filius, renunciati ſunt; quibus tandem tertius quoque Cæſar *Licinius Junior*, ſed non aliter, quam ad preces *Conſtantiæ* Auguſtæ anno 317. additus fuit.

HISTORIÆ SABARIENSIS
LIBER QUINTUS.

DE

REBUS SABARIÆ SUB RELIQUIS IMPERATORIBUS ROMANIS

AB ANNO CHRISTI 317 AD 357.

CAPUT I.

De adventu Conſtantini Magni in Pannoniam: de ejusdem commoratione apud Sabariam: de ſtatu civili, & militari Pannoniae, ac de praerogativis Sabariae.

BELLO civili ad eum, quem præcedente libro diximus, modum compoſito, *Conſtantinus Magnus* frequentes ex Pannonia & Mœſia nuncios de Barbarorum motibus accipiebat. Inter alia ferebantur *Sauromatæ* cum Rege *Rauſimodo*, ingentibus copiis a palude Mæotide egreſſis, imminere, jamque Danubium trajeciſſe & quoddam oppidum acriter oppugnare *a*). Nomen oppidi non exprimit *Zoſimus* hæc narrans; verum *Bandurius* ex quodam *Porphyrii Optatiani* verſu colligit *Camponam* fuiſſe, *Valeriæ ripenſis* oppidum, *Aquinco* vicinum. *b*). Quamobrem his auditis Imperator *Conſtantinus Magnus* iter in *Pannoniam* accelerat, collectoque exercitu Barbaros intrepide adgreditur, fundit, fugatque ultra Danubium reje-

a) Zoſimus lib. 2. p. m. 93. ſeq.
b) T. II. Num. Imp.

ctos, multosque illorum, inter quos ipſe Rex *Rauſimodus* erat, interficit. Reſiduam multitudinem, quæ victas dedit manus, in fidem recepit, eoque pacto cum ingenti captivorum numero ad prætorium reverſus eſt.

Hanc de *Sauromatis* victoriam *Jac. Gothofredus* adfigit ad *Probiani* & *Juliani* Conſulatum, ſeu ad annum Chriſti 322. Quo ipſo Imperatorem *Conſtantinum* in Pannoniis modo *Sirmii*, modo *Sabariæ* conſtitiſſe, ex Codice Theodoſiano certum eſt. Extant enim Leges his ipſis Conſulibus per Conſtantinum in civitatibus nunc memoratis latæ. En eorum unam *Sabariæ* datam:

Imp. Conſtantinus A. ad Luſitanos.

Si qua poſthac Edicta, ſive Conſtitutiones, ſine die, & Conſule fuerint deprehenſa, auctoritate careant. Dat. VIII. Kalendas Aug. SABARIÆ. *Probiano & Juliano VV. CC. Coſſ.* c).

Sub finem ejusdem anni, quo hæc Lex fuit *Sabariæ* data, Romæ celebrati ſunt *Ludi Sarmatici* per ſex continuos dies, extremo ſcilicet Novembris, & initio Decembris, quemadmodum *Gothofredus* ex Calendario Hervagiano adnotavit *d*). *Conſtantinus Magnus* ad hanc ſolemnitatem condecorandam miſit *Criſpum* Cæſarem cum matre *Helena*.

Sequente anno idem *Conſtantinus* Gothos, cum Sarmatis iterum Thraciæ, Mœſiæque infeſtos, repreſſit, captivisque per urbes diſtributis Theſſalonicam ſe ſe recepit. Ibi portu conſtructo novos adverſus Licinium belli adparatus fecit. In hoc altero, jamque poſtremo bello Liciniano tam *Conſtantini* Auguſti, quam *Criſpi* Cæſaris virtus enituit. Ille inita ad *Hadrianopolim* pugna victoriam reportavit; hic vero ad *Callipolim* claſſem hoſtium fere univerſam partim cepit, partim demerſit. Secuta haud multo poſt primum *Byzantii*, dein urbis *Nicomediæ* deditio, in qua & ipſe *Licinius* ſe ſe dediderat, vitam ſolummodo pactus, quam tamen non diu retinuit, occiſus Theſſalonicæ, ubi exulabat.

Itaque ab anno Chriſti 324. quo *Licinius* deceſſerat, unicus jam *Conſtantinus Magnus* toti Imperio Romano præeſſe cœpit. Sub hoc Imperatore magnæ rerum ſecutæ ſunt converſiones, ex quibus præcipuas iſthic commemorare juvat. Imprimis quod ad res civiles, & militares attinet: unicus antea in Imperio Romano, aut ſummum duo Præfecti Prætorio erant: hi cauſas omnes tam politicas, quam militares dijudicabant; hi vice Auguſtorum, Cæſarumque regebant exercitus. *Conſtantinus Magnus* ut nimiam eorum poteſtatem, ipſis Imperatoribus ſæpe formidabilem diminueret, ſanxit, ut deinceps ea dignitas in quaternos divideretur, eſſetque unus Orientis, alter Illyrici, tertius Italiæ, & quartus Gallia-

c) L. I. Cod. Theod. tit. 1. lege 1.
d) Ibidem.

rum Prætorio Præfectus. Singulis binos addidit Magiſtros militum, peditum nempe unum, alterum equitum; ad quos etiam totius rei militaris curam tranſtulit eo potiſſimum obtentu, ut in poſterum Præfecti Prætorio magis occuparentur foro, quam tumultibus bellicis; eſſentque porro non tam in præliis Duces, quam in tribunalibus Judices, & in aulis Adminiſtri ſtatus publici.

Ab hoc ergo tempore per *Pannonias* ſupremam in re civili jurisdictionem habuit Præfectus Prætorio Illyrici: rem vero militarem adminiſtrarunt peditum unus, alter equitum Illyrici Magiſtri. Paullo ſerius, uti ex Notitia Dignitatum Imperii conſtat, univerſa Pannonia fuit Præfecto Prætorio Italiæ attributa, & in quatuor jam provincias diviſa, nimirum in *Pannoniam Primam*, & *Secundam*, inque provinciam *Valeriam*, & *Saviam*. Hæc diviſio non prius, quam circa finem Imperii *Conſtantini Magni*, vel poſt hujus obitum facta fuerit. Nam teſte Lapidis Varasdienſis Inſcriptione, quam Municipes Aquarum Jaſarum *Imperatori Conſtantino Magno* ob reſtaurationem oppidi, incendio conſumpti, fecere, adhuc tunc in uſu erat denominatio Pannoniæ *Superioris*, & *Inferioris*. Quod ex eo liquet, quia ibi *Valerius Catullinus*, quo curante hoc eis beneficium contigit, etiamnum vocatur *Proprætor Provinciæ Pannoniæ Superioris e*). Unde, quia in Actis S. *Quirini*, ſub Diocletiano *Sabariæ* paſſi, *Amantius* adpellatur *Præſes Pannoniæ Primæ*, manifeſtum eſt, illorum Actorum Scriptorem non fuiſſe huic Martyri coævum, ſed aliquanto ſerius vixiſſe. Secutus quippe eſt ſtylum ſui temporis, vocavitque *Amantium*, qui *Pannoniæ Superiori* præſidebat, Præſidem *Pannoniæ Primæ*.

Hac animadverſione præmiſſa referre nunc libet, quosnam ſingulæ Pannoniarum provinciæ Magiſtratus civiles, & militares deinceps habuerint, quibusnam in locis eorum tribunalia, ſedesque fuerint, atque alia hujusmodi. Non aliunde id melius, quam ex Libro Notitiæ Dignitatum Imperii Orientis, ævo Theodoſiano conſcriptæ, intelligi poteſt. Teſte igitur hoc monumento *Pannonia Prima* habuit Præſidem Provinciæ, titulo *Perfectiſſimi* ornatum. Adjuncti erant illi: Princeps Officii; Cornicularius; Tabularii duo; Commentarienſis; Adjutor; Ab Actis; Subadjuva; Exceptores, & Cohortalini. Sedes Officii, ipſumque Præſidis tribunal, ac Theſaurus provinciæ erat *Sabariæ*. Inſigniores Pannoniæ primæ urbes, præter nunc dictam *Sabariam* metropolim, fuere Scarbantia, Vindobona, Carnuntum, & Arrabona. Præfectus *Pannoniæ Secundæ* erat *Conſularis*, titulum *Viri Clariſſimi* habens. Reſidebat *Sirmii*; fuitque ævo Conſtantiniano, ac deinceps ſummus iſte in omnibus Pannoniis magiſtratus; quo factum eſt, ut eo jam tempore non *Sabariæ*, ſed *Sirmii* ſupremum tribunal, ac velut faſtigium totius Illyrici tam in civilibus, quam in epiſcopalibus cauſis conſtitueretur, quemadmodum innuit Juſtinianus *Novell. XI.* Inter celebriores *Pannoniæ Secundæ* urbes numerabantur: *Sirmium*, provinciæ caput; Murſa; Cibalis, ac Taurunum. Provinciæ autem *Saviæ Ripartenſis*,

---

e) Supr. cit. Lib. I. Cap. I.

quæ erat in hodierna *Croatia*, olimque partem *Pannoniæ Superioris* efficiebat, Præfectus vocabatur *Corrector*, id eſt: *Conrector*: quia Præfectus *Conſularis* Pannoniæ ſecundæ, quæ Sirmienſem regionem, & hodiernam Sclavoniam complectebatur, reipſa totius Pannoniæ Saviæ *Rector* erat. Officium *Correctoris* ſedem habuit *Siſciæ*. Ceterum tres hi Pannoniorum Præfecti res dumtaxat civiles in ſuis Provinciis moderabantur: rebus enim militaribus præpoſiti vocabantur *Duces*, titulo *Spectabiles*; erantque tres pariter in univerſa Pannonia, ſubordinati duobus Magiſtris peditum, & equitum totius Illyrici: nempe Dux Pannoniæ Primæ, ſimulque Norici ripenſis; alter Dux Pannoniæ Secundæ, totiusque provinciæ Saviæ; tertius demum Dux provinciæ Valeriæ ripenſis. Officium Ducum ſpectabilium habebat: *Primo*, *Principem Officii*, ſeu primum rei militaris in ea provincia pro Duce Adminiſtrum. *Secundo*: *Numerarium*, qui militum vigilias, aliosque labores, & quæ perſoluta eſſent Stipendia, notaret. *Tertio*: *Commentarienſem*, qui plectendis, & cuſtodia detentis militibus præeſſet. *Quarto*: *Adjutorem*, qui aliis operam in re gerenda locaret. *Quinto*: *Subadjuvam*, id eſt, Adjutoris Vicarium. *Sexto*: *Regerendarium*, qui res Officii in Codicem, ſeu in Regeſta referret. *Septimo*: *Exceptores*, ſeu *Scribas*. *Octavo*: *Singulares*, & reliquos Adminiſtros, ut Viatores, & Apparitores.

Eo tempore, quo Notitia Dignitatum Imperii conſcripta fuit, Duci *Pannoniæ Primæ*, *ac Norici Ripenſis* parebant viginti quinque *Præfecti*, duo nempe Cuneorum equitum; quatuordecim Numerorum aliorum equitum; octo Legionum, ac tres Claſſium. Præterea eidem ſuberant quinque *Tribuni* Cohortium. Duci autem *Valeriæ ripenſis* obtemperabant ſeptem ac viginti *Præpoſiti*; nempe quinque Cuneorum Equitum, ſeptemdecim Numerorum Equitum, & quinque Auxiliorum peditum. Item *Præfecti* novem, ex quibus octo præerant Legionibus, & unus Claſſi. Ad hæc ſub eodem erant ſex Tribuni Cohortium. A Duce demum *Pannoniæ ſecundæ* pendebant *Præfecti* unus ac triginta; nimirum ſex Præfecti Cuneorum equitum; undecim Numerorum aliorum equitum; quinque Legionum; quinque Numerorum militum, & quatuor claſſium. Præterea tres Tribuni Cohortium. Ex hac deſcriptione colligere licet, quænam tunc fuerint vires, ad Pannoniorum ac Norici limites defendendos, Barbaris oppoſitæ. Sed hæc, ut præmonui, ad ætatem Conſtantini Imperio poſteriorem pertinent. Scribit enim *Zoſimus*, Imperatorem *Conſtantinum* peſſimo conſilio majorem militum partem de limitibus ſubmotam, in oppidis a Danubio remotis, nulliusque præſidii egentibus, collocaſſe. Quo pacto, inquit ille, terras a Barbaris vexatas nudavit, tranquillas autem urbes militum peſte gravavit adeo, ut complures earum in ſolitudinem redactæ ſint; milites ipſos theatris & voluptatibus addictos emolliivit; ac denique deſtructioni provinciarum, quæ illo ſæculo ſubſecuta fuit, principium & ſemina præbuit. *f*).

f) Zoſimus lib. 2 p. m. 112.

Hæc ſi vera ſunt, dubium eſſe nequit, quin *Conſtantinus* Imperator etiam *Sabariam* partem copiarum e caſtellis Danubio adſitis tranſtulerit. Fuit enim hæc urbs reliquarum *Pannoniæ primæ* urbium hoc tempore facile princeps: intra ejus mœnia ſub cura *Præpoſiti*, a Comite ſacrarum largitionum pendentis, adſervabantur totius Provinciæ theſauri; id eſt, pecuniæ ex vectigalibus pro ærario publico collectæ, ad quam cuſtodiendam cæteroquin militares expoſcebantur vigiliæ. Illic, ut ſæpius dictum, reſidebat Præſes Provinciæ: illic & *Rationalis Summarum*, ſive Præfectus rationum conficiendarum, degebat. Populus in ea numeroſus: ipſa civitas culta, baſilicis, theatris, balineis, aliisque commoditatibus, & oblectamentis, quæ ad emolliendos reapſe militum animos valuere, inſtructa. Non poſtrema vero *Sabarienſium* prærogativa fuit, quod & propriam *Lanceariorum Legionem* habuerint. *Legio Lanceariorum Sabarienſium* recenſetur inter duodecim *Legiones Palatinas* ſub diſpoſitione Viri illuſtris *Magiſtri peditum Præſentalis.* Inſigne hujus Legionis erat orbis ruber in parma candida, marginem ambiente luteo circulo.

CAPUT II.

Disquiſitio de antiquo Epiſcopatu Sabarienſi.

Hæc ita cum fuerint, quæri nunc poteſt, an non *Sabaria* Sede quoque Epiſcopali ſub Conſtantino Magno vel jam antehac proviſa, & ornata fuerit? Adfirmant *Lazius*, *Inchofferus*, & *Carolus a S. Paulo g*). Sed fatendum eſt, apud veteres nuſpiam reperiri mentionem ſat apertam *Epiſcopatus Sabarienſis.* Aequum nihilominus arbitror, ut hoc loco referantur argumenta, quibus RR. *Salagius* huic ſententiæ magnum adjicit pondus *h*). „ Primum, ait ille, exploratum eſt, „ eam fuiſſe priſcam Eccleſiæ diſciplinam ab Apoſtolis traditam, atque ab eo„ rum ſucceſſoribus obſervatam, ut in urbibus præſertim celebrioribus, ac fre„ quentioribus Epiſcopales ſedes locarent. Hinc enim certum eſt, primum fun„ datas eſſe Eccleſias, in Syria Antiochenam, in Aegypto Alexandrinam, in „ Aſia Epheſinam, in Macedonia Theſſalonicenſem, in Achaja Corinthiam, in „ Africa Carthaginenſem, in Venetia Aquilejenſem, in Dalmatia Salonitanam, „ in Pannonia inferiore Sirmienſem; propterea quod urbes illæ habitatorum, & „ advenarum frequentia reliquis anteſtarent, ex iisque efficacius in omnem vici-

g) *Lazius* de Rep. Rom. Lib. 12. c. 2. *Inchoffer.* P. I. Annal. Eccl. Hung. *Carolus a S. Paulo* in Geographia ſacra.

h) Lib. III. de Statu Eccl. Pann. p. 218. ſeqq.

„ niam

„ niam lux veritatis ſe ſe poſſet effundere. Cum igitur *Sabaria* ſedes fuerit Pro- „ conſulis, Præſidisque Pannoniæ Superioris, in quam negotiorum cauſa ex „ omnibus Provinciæ locis homines convenire oportebat, cumque emporium „ fuerit totius regionis primarium, itaque incolarum, & advenarum multitudine „ refertum, ac juxta Apoſtolicam diſciplinam conſtituendæ Epiſcopali Cathedræ „ plane opportunum; nihil eſt, quamobrem fundatam illic a primis in Supe- „ riore Pannonia Evangelii preconibus ſedem Pontificiam negemus. „ Huic argumento, ex antiqua Eccleſiæ Chriſtianæ diſciplina petito, ſubjungit laudatus Auctor aliud ex Actis S. Quirini Sabariæ paſſi erutum. Nempe horum Actorum Scriptor Anonymus, qui ſæculo Conſtantiniano vixiſſe creditur, narrat; prope locum illum, ubi beatus *Quirinus* erat ſubmerſus, Oratorium a Chriſtianis fuiſſe conſtructum, ipſum vero corpus in Baſilica ad portam Scarbantinam depoſitum, quo magna fidelium multitudo devotionis cauſa convenire ſolebat. Unde hunc in modum ille arguit: „ Baſilica hæc, inquit, quæ magno populi concurſu frequen- „ tabatur: numeroſo utique Clericorum miniſterio proviſa haud dubie fuit, ne- „ que credibile eſt, eam ſedis Epiſcopalis ornamento deſtitutam. „ Eandem conjecturam firmaturus novum depromit argumentum ex Vita S. *Martini* Turonenſium Epiſcopi a *Sulpicio Severo* conſcripta. Ibi enim memoriæ proditum eſt, eo tempore, quo *S. Martinus* redierat *Sabariam*, urbem hanc peſte Ariana fuiſſe infectam, ac præcipue urbis ejusdem Sacerdotes Arianismo laboraſſe: nam hi *S. Martinum* ipſis adverſantem adeo indigne tractarunt, ut virgis cæſum e civitate expulerint. Cum igitur, inquit ille, e *Sulpicio* certum ſit, Sacerdotes Arianos tunc temporis habitaſſe *Sabariæ*, cumque Ariani Epiſcopos ſuæ ſectæ multiplicare conſueverint, cenſendum eſt, etiam in hac tam præclara urbe ſuum illis Epiſcopum non defuiſſe.

His præmiſſis idem RR. *Salagius* ipſa adeo nomina nonnullorum Epiſcoporum Arianorum, qui *Sabariæ* reſederint, eruere conatur. „ Inter Epiſcopos Illyrici, inquit, qui tempore Synodi Ariminenſis partes Arianorum pro- „ pugnabant, recenſentur Valens, Vrſacius, Germinius, Gajus, Migdonius, & „ Megaſius. Valens Murſenſem, Urſacius Singidunenſem, Germinius Sirmienſem, „ Gajus Cibalenſem Epiſcopatum tenebat: *Migdonii*, & *Megaſii* ſedes in „ Illyrico incertæ. Daniel Farlatus nullam duobus illis in Dalmatia ſedem aſſi- „ gnavit; neque Norici Epiſcopis illos adnumerant, qui de Laureacenſi Eccleſia, „ Noricæ provinciæ metropoli, commentarios ediderant. Vero igitur ſimile eſt, „ duos illos Epiſcopos ſedes ſuas in Pannonia habuiſſe. Jam vero annis illis „ ceteras Epiſcopales ſedes Pannoniæ alterius nominis Epiſcopi occupabant, „ uti de Sirmienſi, Murſenſi, Cibalenſi conſtat; Petovionenſi autem vel Apria- „ num, vel Marcum ea tempeſtate præfuiſſe ſupra declaratum eſt. Reliquum igi- „ tur eſt, ut alterum eorum Siſcienſi, alterum Sabarienſi Eccleſiæ inſediſſe exi- „ ſtimemus. Qua opinione admiſſa facile intelligitur, qua ratione Ariana hæ-

,, reſſi *Sabariæ*, teſte *Sulpicio Severo*, itemque Siſciæ, teſte *S. Ambroſio* in epi-
,, ſtola ad *Conſtantium*, dominaretur. Porro *Migdonius*, & *Megaſius* cum aliis
,, octo legati ex parte Arianorum miſſi ſunt e Synodo Ariminenſi ad *Conſtantium*
,, Imperatorem, impiamque illam epiſtolam nomine hujus Synodi mendaciter ad
,, *Conſtantium* Auguſtum conſcripſerunt, quam recitat *S. Hilarius* in fragmentis,
,, eisdemque inſcripta habetur orientalium Arianorum epiſtola ab eodem Hilario
,, relata. Poſt horum obitum *Sabariæ* ſediſſe exiſtimo *Rufinianum*, vel alium ali-
,, quem ex Arianis illis, quibus inſcripta eſt epiſtola *Germinii*. - - - Perſtiterit
,, Epiſcopatus *Sabarienſis* uſque ad generalem vaſtationem Pannoniarum ſæculo
,, quinto per Barbaros illatam: tum vero & fugatos Sacerdotes, & populum
,, Chriſtianum diſperſum eſſe, facilis eſt conjectura. ,, Huc usque Salagianæ de antiquo Epiſcopatu Sabarienſi conjecturæ.

Nos inter cetera *Sabarienſium* indubitatæ fidei monumenta unum iſthic *Tab. V.* exhibemus, in quo *Decurio Coloniæ Claudiæ Savariæ*, idemque *Sacerdotalis Provinciæ Pannoniæ Superioris* nominatur *Lucius Valerius Verus*. Erant *Sacerdotales* apud priſcos Romanos quidam velut *Epiſcopi*: differebant enim a *Flaminibus*, quod hi uni tantum civitati, illi vero ſolidis Provinciis in re ſacra præfuerint. Hinc eſt, quod iidem aliter etiam *Sacerdotes Provinciæ* in Codice Theodoſiano, & alibi vocentur *i*). Deligi ſolebant e corpore Curialium, & quidem ex primis Decurionibus coloniæ, vel municipii. Nec promoveri quisquam ad *Sacerdotalium* dignitatem potuit, niſi gradatim, & per ordinem: nec aliter eligebatur, quam publico Provinciæ tractatu habito, ad quod Principis quoque judicium accedere debuit. Ad illorum curam imprimis templa, templorumque ſolemnia pertinebant: magnis præterea expenſis onerabantur. Nam excepto Africæ provinciæ Sacerdote, reliqui *Sacerdotales* præſtationibus Tyronum erant obnoxii: deinde omnes fere ſimul erant Agonothetæ, id eſt, eorum ſumptibus procurabantur editiones, & ſpectacula ludorum, quæ feſtis quibusdam, ac legitimis diebus magna cum pompa peragi ſolebant. His oneribus cum eſſet *Sacerdotalium* dignitas ſubjecta, idcirco non modica viciſſim privilegia antiquo jure illis concedebantur, quæ etiam ſub Chriſtianis Principibus fuerunt aliquandiu relicta, ſcilicet *primum*; ut eſſent immunes ab omnibus aliis oneribus civilibus, puta: a præpoſitura manſionum, a præpoſitura annonæ &c. *Deinde*, ut corpus illorum non eſſet obnoxium quæſtionibus, & injuriis, quas *Honoratos* non decebat ſuſtinere. *Tertio*, ut honorem comitivæ haberent. Hæc e diverſis, quæ ſunt in Codice Theodoſiano, Legibus collecta attuli, ut pateat, quonam in gradu dignitatis fuerint, qui olim *Sabariæ* reſidebant *Sacerdotales*, ſive illi Ethnici, ſive Ariani hæretici fuerint.

---

i) Lib. XII. Tit. I. de Decurionibus, lege 46. & Lib. XVI. tit. 2. de Epiſcopis, leg. 38. Item Canone 97. Concilii Africani.

Nam & hæreticorum Epiſcopos interdum nomine *Sacerdotalium* veniſſe, conſtat ex eodem Codice *k*).

Ceterum tametſi ſupra laudata Inſcriptio *Sabarienſis* nihil diſerte contineat, quod ethniciſmum ſaperet, tamen veriſimillimum eſt, *Lucium Valerium Verum*, qui ibidem nominatur, fuiſſe Ethnicum potius, quam hæreticum Arianum *Sacerdotalem*. Non enim credibile eſt, ut *Epiſcopus* quamvis Arianus retinuerit munus *Decurionis* coloniæ, aut ut idem *Sacerdotalem* ſe ſe in publico monumento adpellaret, cum *Epiſcopi* nomen etiam inter Arianos pro digniore habitum fuerit. Quid quod ipſa hæc Epigraphe ante exortum Arianiſmum facta fuiſſe videatur. Eſt enim *Savaria* in lapide, quæ jam Conſtantini ævo, quo *Arius* vixit, *Sabaria* dici, & ſcribi ſolebat, uti conſtat ex Conſtantini lege ſupra deſcripta. Eſt ibidem & *Pannoniæ Superioris* mentio, quæ tamen tempore invaleſcentis apud Pannonios hæreſis Arianæ, id eſt, ſub Imperio *Conſtantii Junioris*, jam *Pannonia Prima* vocabatur. Quod ad *Cryptam* attinet, quam exuſtam *Sacerdotalis* iſte, & qui ipſi præponitur *Expræfectus Contariorum*, pecunia ſua repararunt, non eſt hæc accipienda pro loco, ſepeliendis mortuis deſtinato, neque pro ſacello quopiam ſubterraneo, ſed, ut alias dixiſſe memini, pro cryptoporticu, theatro aut circo adnexa, ubi aut hiſtriones in ſcenam, aut pugiles ad arenam prodituri ſe ſe exercebant, ac præparabant. Hujuſmodi Cryptoporticus, theatris conjunctas, apud veteres Romanos in uſu fuiſſe, *Suetonius* teſtis eſt, qui Caligulam reſtitiſſe in *crypta*, ubi pueri nobiles, ex Aſia ad edendas in Scena operas evocati, præparabantur, ſcribit. Extitiſſe vero *Sabariæ* theatrum, teſtantur Acta ſancti *Quirini* Martyris. Editiones demum ludorum in provinciis ad munus *Sacerdotalium* non Chriſtianorum, ſed gentilium ſpectabant; uti jam alias, indicata ex *Cod. Theod.* Lege de *ſpectaculis*, admonui *l*).

CAPUT III.

De nonnullis Pannoniae Epiſcopis, quorum ſedes vel dubiae, vel incertae.

LÆTISSIMAM ſub *Conſtantino Magno* tam in Pannoniis, quam in reliquo Imperio Chriſtianæ Religionis faciem impietas Ariana turbare cœpit. Adverſus hanc igitur anno Chriſti 325. celebratum eſt *Nicææ* in Bithynia primum univer-

k) Vid. Lib. XIII. Cod. Th. tit. 5. *de hæreticis*, Legem 52. quæ incipit: *Caſſatis, quæ pragmatici*: ubi pœnæ dictantur Donatiſtis hæreticis, cujuscunque ſtatus & conditionis fuerint; Epiſcopi vero illorum non aliter, quam *Sacerdotales* adpellantur, præponunturque *Principalibus*, & ad mulctam *Senatoribus* æqualem, nempe ad perſolvenda fiſco auri pondo triginta condemnantur.

l) Lib. I. Cap. VI. in Adnot ad Tab. V.

ſale Concilium. Aderanr trecenti octodecim Patres; ſed ex Pannoniarum Epiſcopis unicus tantum, nomine *Domnus.* De hoc diſceptatur hodie, cujusnam ſedis Epiſcopus fuerit: nam ſecundum editionem Concilii Nicæni, quam Harduinus ex MSS. Colbertiano, & Juſtelli adornavit, hoc duntaxat modo inter ſubſcriptos legitur: *Pannoniæ Domnus Pannonienſis m*). Eadem prorſus lectio reperitur in Codice MS. Canonum eccleſiaſticorum, quem Cæſarea Bibliotheca Vindobonæ poſſidet. At Codex Canonum veterum Eccleſiæ Romanæ, ab Hadriano Papa Carolo Magno donatus, poſtmodum vero a Pithæo editus, in Catalogo Patrum Nicænorum eundem *Domnum* aliter ſubſcriptum habet, nempe hoc modo: *Domnus Metropolitanus*, & additur in margine: *Al. Pannoniæ n*). Ex adverſo in *Labbeana* Conciliorum editione eſt: *Provinciæ Pannoniæ Domnus Stridonenſis o*).

Hæc tanta lectionum antiquarum diſſonantia incertam hodie facit ſedem *Domni Pannonienſis.* Quamobrem etſi quidam arbitrentur ſtandum eſſe poſtrema, quam iſthic attulimus, ſubſcriptione, atque *Domnum Pannonienſem* pro Epiſcopo Eccleſiæ Stridonenſis habendum; alii tamen *Stridonenſem* errore dumtaxat librarii pro *Laureacenſi*, vel *Sirmienſi* ſcriptum eſſe autumant, idque propterea, quod fide alterius ſubſcriptionis *Domnus* fuerit Metropolitanus *Pannoniæ*, adeoque aut *Laureacenſis*, aut *Sirmienſis*; quoniam *Juvavienſes* Antiſtites nonniſi longe ſerius in aliquot Pannoniarum Epiſcopatus jus metropoliticum obtinuerunt: de *Stridonenſi* vero Eccleſia prorſus incertum eſt, an hanc dignitatis prærogativam unquam habuerit; cum *Stridon* obſcuri prorſus nominis fuerit oppidum, e ſolo divo Hieronymo, cujus is locus erat natalis, hodie notum, adeoque vix cathedrali, nedum metropolitana ſede ornatum; præterea ſitus adeo incerti, ut etiamnum diſceptetur, ſpectaritne ad Pannoniam, an ad Dalmatiam potius, Iſtriamve; ſiquidem id ſolum conſtat, ibi tempore S. Hieronymi Dalmatiæ, Pannoniæque fuiſſe confinium. Hæc fere ſunt, quibus auctoritas hujus ſubſcriptionis: *Provinciæ Pannoniæ Domnus Stridonenſis*: elevari, atque in dubium vocari ſolet. Immo *Bruſchius* libere *Domnum Pannonienſem* inter *Laureacenſes* refert Metropolitas: idem facit *Hanſizius*, tametſi e *Bruſchii* magis, quam e ſua ſententia.

Sed felicius reliquis de hoc *Domno* commentatus eſt RR. *Salagius*, qui prælucente ſancto *Athanaſio* reperit, ipſum reapſe nec *Stridonenſem*, nec *Laureacenſem*, ſed *Sirmienſem* rexiſſe Eccleſiam *p*). Nempe apud *Athanaſium* in epiſtola ad ſolitariam vitam agentes data, quæ hiſtoriam Arianæ hæreſeos complectitur, mentio fit cujusdam *Domnionis in Sirmio*, quem Imperator, ab Euſebia-

m) T. I Concil. Harduin.

n) T. I. Concil. Germ. per Jos. Hartzheim p. 145.

o) Vid. etiam T. II. ampliſſimæ collectionis per Manſium; p.

p) L. III de antiqu. Epiſc. Pann. p. 46. ſeqq.

nis Arianæ factionis patronis circumventus, ſede ſua deturbavit, & exulare coëgit, una cum pluribus aliis variarum civitatum Epiſcopis orthodoxis *q*). Certe ſpectatis omnibus temporis, & rerum adjunctis vix dubium eſſe poteſt, quin Athanaſii *Domnion Sirmienſis* idem plane ſit, qui in catalogo Patrum Nicænorum legitur modo *Domnus Pannonienſis*; modo Domnus *Metropolitanus Pannoniæ*, ut adeo in Catalogo Labbeano nonniſi per incuriam librarii hic *Domnus* adſcriptus fuerit *Stridonenſis* pro *Sirmienſi.*

Domno Sirmienſi ſucceſſerit ne *Eutherius*, incertum eſt; tametſi id *RR. Salagio* velut extra controverſiam eſſe videatur. Ita enim arguit: in Catalogo Epiſcoporum, qui Sardicenſi Synodo anno 347. celebratæ interfuerunt, ſequentes Pannoniarum Antiſtites ſubſcripti ſunt.: *Euterius a Pannoniis*: *Aprianus de Petabione Pannoniæ*: *Marcus Sciſcenſis Saviæ*. „ Apriani, & Marci ſedes expreſſæ „ ſunt; Euterii tacetur: conveniunt tamen omnes, *Euterio* ſedem fuiſſe Sirmien„ ſem. Is non deſignato Eccleſiæ ſuæ nomine, Pannoniæ Antiſtitem ſe ſcribit, „ vel ab aliis ſcriptus eſt, quod eſſet Pannoniæ Metropolites, exemplo *Domni* „ præcedente, qui pariter tacito ſedis nomine Pannonienſis eadem de cauſa in „ catalogo Patrum Nicænorum ſcriptus legitur „ *r*). Verum de *Eutherii* ſede Sirmienſi non convenire omnibus, teſtis eſt imprimis *Hanſizius* hæc ſcribens: (Eutherius) *catalogo Laureacenſium vulgo inſeritur*, *cum grandi Chronologiæ ſphalmate*: *ſcribitur enim ſediſſe anno* 268. *& Concilio adfuiſſe Sardicenſi*, *quod fere non minus octoginta annis poſterius celebratum fuit*, *nempe anno* 347. Deinde non eadem eſt *Euterii*, quæ *Domni* conditio. Ille enim e ſola ſubſcriptione, hic vero ſimul ex *Athanaſii* epiſtola nobis innoteſcit; quodque *Domnus Sirmienſem* tenuerit cathedram, id e *S. Athanaſio*, non autem e Catalogo Patrum Nicænorum colligimus. Accedunt aliæ difficultates, quæ *Euterium* a Sirmienſi Epiſcopatu penitus excludere videntur. Nimirum S. *Athanaſius* innuit, *Domnioni* de ſede ſua *Sirmienſi* proturbato non probum aliquem, ac orthodoxum Epiſcopum, cujusmodi conſtat *Euterium* fuiſſe, ſed impium, ac hæreticum ab Arianis eſſe ſuffectum. En ejus verba *s*): *Diodorus in Aſia*, *Domnio in Sirmiò*, *Hellanicus in Tripole*, *Epiſcopi viſi ſunt tantummodo hæreſim odiſſe*, *& id tanti fuit*, *ut hos ſub ſpecie alicujus cauſæ*, *illos prorſus ſine ulla cauſificatione*, *diplomate Imperatoris exturbatos e civitate alio tranſtulerint*, *ſuffectis in eorum locum*, *quos impios noverunt.* E Sancto autem *Hilario*, *Epiphanio*, *Sulpicioque Severo* colligi poteſt, tempore Synodi *Sardicenſis*, cui *Eutherius a Pannoniis* ſubſcribitur, non alium, quam *Photinum Sirmienſibus* Antiſtitem fuiſſe. *Hilarii* verba ſunt: *Igitur ad tollendum ex Epiſcopatu Photinum*, *qui ante biennium jam in Mediolanenſi Synodo*

---

q) T. I. Opp. S. Athanaſii P. I. p. 847. edit. Maurin. Paris.

r) L ſupr. cit.

s) T. I. Opp. S. Athan. l. cit.

erat hæreticus damnatus, ex plurimis Provinciis congregantur Sacerdotes t). Conſtat autem Mediolanenſem Synodum, quam commemorat *Hilarius*, illico poſt Sardicenſem, eodemque, quo illam, anno 347. celebratam fuiſſe *u*). Apud S. *Epiphanium* hæc de *Photino* leguntur: *Hic*, inquit, *oriundus Sirmio*, *Conſtantio imperante*; *infelix doctrinæ ſuæ lolium in orbe diſſeminavit*, & *ad hæc tempora ſuperfuit*, *cum in Sardicenſi Occidentis Synodo ob execrandas blaſphemias depoſitus eſſet x)*. Poſtremo *Sulpicius Severus* de Sardicenſi Concilio ſcribens: *Marcellus*, inquit, *epiſcopatui redditur*: *nam de Photino Epiſcopo Sirmienſi non eſt reſciſſa ſententia y*). Quæ cum ita ſint, jam ſatis, opinor, patet, *Eutherium* Pannonienſem, Concilio Sardicenſi ſubſcriptum, pro ſucceſſore *Domni Sirmienſis* vix veriſimiliter, nedum certo, uti a RR. *Salagio* adſeritur, haberi poſſe. At neque *Laureacenſem* fuiſſe credibile eſt: nam *Laureacum* fuit urbs *Norici*; eaque de cauſa ſubſcriptio *Eutherii a Pannoniis* neutiquam ſedi Laureacenſi convenit. Quid igitur, inquis, cuinam alteri Eccleſiæ veriſimilius præfuit idem *Eutherius*? Nil decerno, verum id ſolum adfirmo, ſpectata illa ſubſcriptione, *Eutherium* tamdiu manere incertæ ſedis Epiſcopum in Pannonia, donec aliud quodpiam luculentius repertum fuerit documentum: absque hoc enim inanis eſt omnis conjectura. Nam Epiſcopus *a Pannoniis*, id eſt, Pannonienſis, dici ac ſcribi potuit, non modo qui *Sirmienſem*, verum etiam qui aut *Sabarienſem*, aut *Scarbantinenſem*, aut *Curtenſem*, aut *Bregetionenſem*, aut quemcunque alium magis notum in Pannoniis Epiſcopatum adminiſtravit. Miſſa ergo inani conjectura, ad certiorem illorum temporum hiſtoriam regrediamur.

CAPUT IV.

Criticae animadverſiones ad vitam beati Martini Sabariae nati.

Post Synodum Nicænam reliquum vitæ, & Imperii *Conſtantini M.* tempus, quod annos fere duodecim efficit, variis eventibus fuit memorabile. Hujusmodi ſunt: *Criſpi* Cæſaris, & *Fauſtæ* Auguſtæ interitus. Inventio Crucis Dominicæ. Inſtauratio, ac dedicatio Novæ Romæ, ſeu Conſtantinopoleos, in ſitu Byzantii. Bellum Gothicum, ejusque occaſione pons Lapideus, imitatione Trajani Danubio impoſitus. Sarmatarum a ſervis rebellibus expulſio, & apud Conſtantium

t) In Fragment. p. 23. edit. Pariſin. 1598.

u) Vid. *Petavius* Diſſert. de Photino: & *Baſnagius* Annal. Polit. Eccleſ. T. II. p 802. Col. 2

x) Hæreſi LXXII. n. 1. ubi tamen erronee ſcribitur *Photinus Sirmio oriundus*: erat enim Gallo-græcus Ancyranus, teſte S. Athanaſio, aliisque veteribus.

y) Hiſt. ſacræ Lib. 2. cap. 36.

perfugium. Vandalorum, a Gothis fugatorum, in *Pannonias* receptio. (Sunt in Diœceſi *Sabarienſi* hodieque nonnulli pagi, quorum incolæ adpellantur *Vandali*, lingua & moribus a reliquis Hungariæ populis diverſi) Cæſares novi creati, *Conſtans* ac *Dalmatius*, hujusque frater *Annibalianus* Rex Regum, & Ponticarum gentium renunciatus. Sancti Athanaſii apud Treveros exilium: atque idgenus alia, de quibus prolixius agere non eſt præſentis operis. Sed, quod imperante *Conſtantino M.* ea felicitas contigerit *Sabariæ*, ut in ea magnum illud Eccleſiæ Chriſtianæ lumen, Sacerdotum gemma, Sanctorumque Epiſcoporum exemplar, beatus *Martinus*, Turonenſium Præſul, naſceretur, hic ille eventus eſt, cui non poſſumus non diutius immorari. Quippe ad cujuslibet civitatis hiſtoriam cumprimis attinet, ut viri toto terrarum orbe celebres, ſi qui primam ibi lucem adſpexerunt, non breviter tantum commemorentur, verum etiam rerum ab ipſis geſtarum ſi non omnia, præcipua ſaltem capita deſcribantur.

Igitur Martinus (quemadmodum in ejusdem vita, per *Sulpicium Severum* ipſius diſcipulum conſcripta, legitur) *Sabariæ Pannoniarum oppido oriundus fuit, ſed intra Italiam Ticini altus eſt, parentibus ſecundum ſæculi dignitatem non infimis, gentilibus tamen z)*. Sunt, qui ſtirpe regia prognatum, & Conſtantino M. ſanguine junctum fuiſſe velint. En genealogiam, quam *Albericus* ex *Gregorio Turonenſi* texit. Quidam, inquit, Rex Pannoniæ, dictus *Aumarus*, genuit *Florum* Tribunum. *Florus* Tribunus ex filia Sororis Conſtantini genuit ſanctum *Martinum* Turonenſem, & filiam unam nomine *Conches* (alii *Conceſſam* vocant) quæ poſtea vel mater, vel avia fuit Sancti *Patricii* Britanniæ magnæ Apoſtoli. Verum hæc fabulis hodie haud immerito accenſentur. Certe credi nequit, *Sulpicium*, Sancti *Martini* familiarem, ac diſcipulum, hoc aut ignoraſſe, aut natales adeo ſplendidos reticere voluiſſe, qui de *Martini* Patre id ſolum adnotat: *Pater ejus miles primum, poſt tribunus militum fuit a)*. Incredibile quoque eſt, *Aumarum* tempore *Conſtantini Magni* Regem Pannoniæ fuiſſe: niſi quis forte interpretetur, ipſum hoc ſenſu Pannoniæ Regem vocari, quod cum *Vandalis* regno ſuo pulſus, & a *Conſtantino* receptus, Pannoniam inhabitaverit. Ceterum *Albericus* tradit, *S. Martinum* eodem plane anno natum eſſe, quo *Vandali*, ſedibus ſuis per Gothos ejecti, ad Pannoniam commigrarunt. Id Marcus *Hanſizius* ad annum Chriſti 335. refert, quem & beati *Martini* natalem reapſe fuiſſe, e *Sulpicio* contra Gregorium Turonenſem adfirmat *b)*. Verum, quam perturbatæ ſint apud *Sulpicium* annorum *Martini* rationes, mox eluceſcet.

Armatam (Sulpicii verba ſunt) *militiam in adoleſcentia ſecutus* Martinus, *inter ſcholares alas ſub rege Conſtantio, deinde ſub Juliano Cæſare militavit. Non*

---

z) Sulpic. Severus de vita beati Martini cap. 2.

a) Ibidem.

b) T. I. Germ. ſacræ. pag. 46.

tamen ſponte; quia a primis fere annis divinam potius ſervitutem ſacra illuſtris pueri ſpiravit infantia. Nam cum eſſet annorum decem, invitis parentibus ad Eccleſiam confugit, ſeque catechumenum fieri poſtulavit. Mox mirum in modum totus in Dei opere converſus, cum eſſet annorum duodecim, eremum concupivit: feciſſetque votis ſatis, ſi ætatis infirmitas non obſtitiſſet: animus tamen aut circa monaſteria, aut circa Eccleſiam ſemper intentus, meditabatur adhuc in ætate puerili, quod poſtea devotus implevit. Sed cum edictum eſſet a Regibus, ut veteranorum filii ad militiam ſcriberentur, prodente patre, qui felicibus ejus actibus invidebat, cum eſſet annorum quindecim, captus, & catenatus, ſacramentis militaribus implicatus eſt, uno tantum ſervo comite contentus, cui tamen verſa vice Dominus ſerviebat. - - - Triennium fere ante baptiſma in armis fuit, integer tamen ab iis vitiis, quibus illud hominum genus implicari ſolet. Multa illi circa commilitones benignitas, mira charitas, patientia vero, atque humilitas ultra humanum modum. - - - - Commiſeratione erga egenos & afflictos fuit tanta, ut, cum in porta civitatis Ambianenſis rigida hyeme nudum pauperem videret, nec ſibi aliud præ manibus eſſet, quo illum operiret, præter chlamydem, qua ipſe indutus erat, hanc arrepto ferro ſecuit, partemque pauperi dedit: dignus ea propter cœleſti viſione, qua recreatus, *cum eſſet annorum duodeviginti, ad baptiſma convolavit. Nec tamen ſtatim militiæ renunciavit, verum Tribuni ſui precibus evictus, qui tranſacto tribunatus ſui tempore renunciaturum ſe ſæculo pollicebatur, adhuc per biennium fere, poſteaquam eſt baptiſma conſecutus, ſolo licet nomine, militavit. Interea irruentibus intra Gallias Barbaris, Julianus Cæſar coacto in unum exercitu apud Vangionum civitatem, donativum cœpit erogare militibus.* Tum vero *Martinus* opportunum adeſſe tempus, quo miſſionem peteret, exiſtimans, cum ad ſe ventum eſſet: *Hactenus*, inquit ad Cæſarem, *militavi tibi: patere, ut nunc militem Deo: donativum tuum militaturus accipiat: Chriſti ego miles ſum: pugnare mihi non licet.* At Cæſar *adverſus hanc vocem infremuit, dicens eum metu pugnæ, quæ poſtera die erat futura, non religionis gratia detrectare militiam. Cui* Martinus *intrepidus: Si hoc*, ait, *ignaviæ adſcribitur, non fidei, craſtina die ante aciem inermis adſtabo, & in nomine Domini Jeſu ſigno crucis, non clypeo protectus aut galea, hoſtium cuneos penetrabo ſecurus. Retrudi ergo in cuſtodiam jubetur, facturus fidem dictis, ut inermis Barbaris objiceretur. Poſtera die hoſtes legatos de pace miſerunt, ſua omnia, ſeſeque dedentes.* Martinus autem miſſione honeſta dimittitur.

Hæc pax cum Francis perterritis, confecta ſine conflictu, incidit in annum Chriſti 356. *Petavii* calculo, ex hiſtoria *Ammiani Marcellini* deducto c). Qua animadverſione præmiſſa, libet nunc annorum *Martini* Chronologiam e *Sulpicio* texere. *Martinus* ſecundum Sulpicium anno ætatis ſuæ *quintodecimo* completo, ſive *ſextodecimo* inchoato, militare cœpit: militavit autem ante bapti-

c) T. II. de Doctrina Tempor. Lib. 13. p. 419.

ſimum *triennio*, poſt baptiſmum *biennio*, adeoque annis *quinque*, id eſt, ad annum ætatis ſuæ *viceſimum primum* inchoatum. Itaque ab anno 356. quo miſſionem, ut ſupra dictum eſt, obtinuit, ſubductis annis 21. invenitur pro natali *S. Martini* is reapſe, quem *Hanſizius* vult, annus 335. At vero *Gregorius Turonenſis* tradit, *S. Martinum* Sabariæ in Pannonia natum eſſe anno undecimo *Conſtantini Magni*, *Sabino* & *Rufino* Conſulibus, *d*). adeoque ſecundum Faſtos Conſulares anno 316. Quem annum pro vero habendum eſſe Cardinalis *Baronius* in Annalib. Eccl. ſolide oſtendit. En primum ejusdem, idque præcipuum, & convincens argumentum! *Sulpicius Severus* refert in *Dialogis*, *S. Martinum* jam *ſeptuagenarium* fuiſſe, quo tempore ab Imperatore *Maximo*, hujusque Conjuge convivio erat exceptus, idque ſub *Evodii* Conſulatu, id eſt, anno Chriſti 386. contigiſſe adfirmat. Qui ergo anno 386. jam *ſeptuagenarius* erat, is certe anno Domini 315. natus fuerit, eſt neceſſe.

Reliqua ita ſe habent: idem *Sulpicius* in Biographia beati *Martini* ſcribit, uti ſupra vidimus, *Martinum* tunc ad militiam raptum fuiſſe, cum promulgatum erat *Edictum* de veteranorum filiis ad militiam ſcribendis. Conſtat autem ex Codice Theodoſiano, inter alia idgenus edicta unum eſſe *Conſtantini Magni* datum *Pacatiano*, & *Hilariano Coſs.* id eſt, anno Chriſti 332. quo innuitur, filios veteranorum expleto *ſextodecimo* ætatis anno dandos eſſe ad militiam, aut, ſi ſunt armis gerendis inhabiles, Curiis mancipandos. Cum igitur *Sulpicius Severus* prodat, tempore hujus Edicti *S. Martinum* fuiſſe annorum quindecim adeoque ſextumdecimum jam inchoaſſe, rurſus patet, annum natalem ejusdem S. Martini haud alium eſſe, quam 316. Jam vero hinc facile colligitur; quot, quantique errores in exordium vitæ S. Martini, a *Sulpicio Severo* conſcriptæ, irrepſerint. Error namque eſt, quod ibidem ſcribatur *S. Martinus* nonniſi ſub *Conſtantio* & *Juliano* Cæſare militaſſe: quippe conſtat, eundem jam ſub *Conſtantino Magno* militiæ nomen dediſſe. Error eſt, quod idem jam anno ætatis *quintodecimo* ad ſacramentum militare adactus fuiſſe dicatur: id enim primum expleto anno ætatis ejusdem *ſextodecimo* accidit. Error item eſt, quod nonniſi triennio ante baptiſmum & biennio poſt baptiſmum, adeoque univerſim quinque tantum annis caſtra ſecutus perhibeatur: nam ab anno 332. quo, uti dictum eſt, ſub *Conſtantino Magno* militare cœpit, usque ad annum 356. quo a *Juliano* Cæſare miſſionem obtinuit, anni *quatuor* ſupra *viginti* fluxerunt. Et vero hoc ipſæ leges militares eo tempore exigebant, ut honeſta miſſio primum poſt quatuor & viginti ſtipendia peti, ac obtineri poſſet. Errores tamen iſti librariis potius, quam *Sulpicio Severo* adſcribendi eſſe videntur: exceptis enim annorum numeris depravatis, cetera mirifice conſonant moribus illius ætatis Romanorum, & Conſtitutionibus Imperatorum: nempe, quod *Martinus* cum eſſet militaris

d) Hiſt. Franc. Lib. I Cap 36.

filius, Edicto ad militiam compulſus fuerit; quod inter ſcholares alas, id eſt, inter equites militaverit, ſervo uno contentus; quodque ab ipſo Patre ſuo proditus, & militiæ oblatus fuerit; atque alia idgenus. Ad quæ rectius intelligenda licebit ipſa nonnullarum legum, tempore *S. Martini* latarum, verba iſthic in medium adducere. Sic autem habent:

Libro VII. Cod. Th. tit. XXII. *ne filiis militaribus*. Lex 2.
Conſtantinus A. ad Severum

Veteranorum filios propter privilegia parentibus eorum indulta vacare non patimur, ſed programmate per omnes civitates propoſito diligenter quæſitos, ad alterutrum compelli jubemus, ut aut Decurionatus muneribus obtemperent, aut militent. - - - Si autem Veteranorum filii, qui equeſtrem militiam toleraverunt, inter Equites probari voluerint, habeant facultatem, ita ut cum ſingulis equis idoneis prædicto adgregentur obſequio. Quod ſi quis duos equos habeat, vel unum idoneum, & ſervum unum, cum circitoria militet dignitate, & binas annonas accipiat, qui gradus præbetur aliis poſt laborem. - - - Dat. III. Kal. Aug. Aquilejæ, Conſtantio A. VII. & Conſtantio Cæſ. Conſſ. (id eſt, anno Chriſti 326).

Prælucente hac lege facile quivis intelligit, *S. Martinum*, qui teſte Sulpicio, in equeſtri militia fuit cum ſervo uno, *circitoria* cum dignitate militaſſe, & binas annonas accepiſſe. Dignitas *circitoria* primus erat gradus in equeſtri militia. Nominis rationem, & originem reddens *Vegetius e*): *Idoneos*, inquit, *Tribuni, & probatiſſimos eligunt, qui vigilias circumeant, & renuncient, ſi qua emerſerit culpa, quos circitores appellabant. Nunc militiæ factus eſt gradus, & circitores vocantur.*

Ibidem IV. *Idem A. ad Leontium PP.*

Jamdudum ſanximus, ut veteranorum filii, qui poſt ſedecim annos militiæ munus ſubire non poſſunt, vel armis gerendis habiles non extiterint, curiis mancipentur. Dat. III. Id. April. Pacatiano, & Hilariano Conſſ. (332).

Hanc legem innuunt *Baronius*, & *Petavius* nomine illius Edicti, cujus eſt mentio apud *Sulpicium Severum* de vita beati Martini.

Ibidem VII. *Impp. Valentinianus & Valens AA.*
ad Petronium Patricium.

Quicunque caſtrenſi ſtirpe progeniti diverſorum ſe nexibus officiorum tradiderunt, manu injecta retrahantur: ſciantque veterani, quibus quies poſt arma conceſſa eſt, Liberos ſuos, quos militaribus aptos miniſteriis inſitum robur oſtendat, offerendos eſſe militiæ &c. PP. Beryti Idib. April. Valentiniano & Valente AA. Conſſ. (365).

---

e) Lib. 3. cap. 8.

Vide, quam his conformia ſint, quæ *Sulpicius* tradit de beato *Martino* capto, catenato, & militaribus ſacramentis implicato, prodente patre, homine militari, tribunoque militum emerito.

Egimus vero hactenus de annis potiſſimum beati *Martini* a nativitate uſque ad illud tempus, quo militiæ renunciavit: quorum, ut vidimus, duplex hodie chronotaxis habetur; una ſcilicet e *Sulpicio*, altera ex *Gregorio Turonenſi.* Secundum priorem beatus *Martinus* anno Chriſti 336. natus; anno 351. miles factus; anno 354. ſacro fonte ablutus; anno 356. miſſione donatus eſt. Secundum poſteriorem autem: anno 3 6. natus; 332. militiæ nomen dedit; 351. baptiſmo initiatus; 356. militiam deſeruit. Nunc antea, quam ad reliquos ejusdem Sancti *Martini* annos progrediamur, quædam adhuc de illius pueritia neceſſe eſt, ut expendamus. Nempe *Sulpicius* refert *Martinum* anno ætatis *decimo* ad Eccleſiam confugiſſe, ut catechumenorum numero adſcriberetur: anno autem *duodecimo* eremum concupiviſſe. Ubinam vero hæc acciderint, an ſcilicet *Sabariæ*, ubi natus; vel potius *Ticini*, ubi educatus fuit; non commemorat. Equidem Cl. *Katona* citra hæſitationem pro *Sabaria* pronunciat. Ita enim de beato *Martino* diſſerit *f*): „ Certe, inquit, jam annos duodecim natus, ut in ejus vita legitur, eremum concupivit; captus credo loci hujus (*Sacrum Pannoniæ Montem intelligit*) opportunitate, quem precationis cauſa ſæpius acceſſerat. Id vero factum fuerit, cum adhuc in domo paterna degerat, a qua duodennem longius abiviſſe, non eſt veroſimile. Nec aliud facile tempus aſſignari poteſt, quo precationis cauſa huc concedere ſolitus fuerat, cum ætatis anno quartodecimo militiam amplecti coactus, anno Chriſti 351. cum exercitu *Conſtantii* contra *Magnentium* Tyrannum in Italiam, ac ſubinde Galliam profectus &c. „ Verum hæc nullatenus congruunt narrationi *Sulpicii Severi*: is enim diſerte *Martinum Sabaria Pannoniarum oriundum*, *ſed intra Italiam Ticini altum* ſcribit. Præterea illud, quod Cl. Auctor de S. *Martini* profectione in *Italiam* cum exercitu *Conſtantii* contra *Magnentium* Tyrannum adſerit, non modo non reperitur apud *Sulpicium*, ſed etiam omnibus veterum monumentis adverſatur: horum enim fide conſtat, exercitum Conſtantii contra Magnentium Tyrannum non in *Italiam*, ſed in *Pannoniam* profectum eſſe, atque ad *Murſam* Pannoniæ inferioris civitatem pugna decretoria confligiſſe. Quæ cum ita ſint, ipſe annos pueritiæ S. *Martini* hunc in modum digerere malim: permanſit S. *Martinus Sabariæ* in ædibus paternis ad annum ætatis *decimum* duntaxat. Hoc vero anno, quia invitis parentibus ad Eccleſiam (forte S. *Quirini* Martyris) confugit, ibique catechumenus fieri voluit; idcirco ab ethnico patre *Ticinum* in Italiam ad aliquem e cognatis ſuis, gentili ſuperſtitioni addictum, [illegible] eſt. Reliquos ergo pueritiæ annos S. *Martinus* Ticini in Italia exegit. Ibi [illegible] t *duodennis*, toto animo ad Deum

f) Hiſt. crit. Ducum Hung. p. 214.

converſus, de amplectendo eremitico vitæ genere cogitavit, tametſi ob ætatis imbecillitatem voti hujus compos fieri nequiverit. Inde (*Ticino* nempe, non *Sabaria*) cum eſſet annorum *quindecim*, aut potius ſedecim completorum, in militiam raptus eſt, militavitque, ut ſupra diximus, uſque ad annum Chr. 356. Sed jam *Sulpicium* rurſus audiamus.

Exinde, inquit, *relicta militia* Martinus *Sanctum Hilarium Pictavæ Epiſcopum civitatis*, *cujus tunc in Dei rebus ſpectata & cognita fides habebatur*, *expetivit*, *& aliquandiu apud eum commoratus eſt.* Cum oblatum ſibi Diaconatus officium ob animi modeſtiam recuſaſſet, inter Exorciſtas locum accepit. *Nec multo poſt admonitus per ſoporem*, *ut patriam*, *parentesque*, *quos adhuc gentilitas detinebat*, *religioſa ſollicitudine viſitaret*, *ex voluntate S. Hilarii profectus eſt g*). Id eodem anno accidit, quo S. *Hilarius* Pictavienſis factione Arianorum in exilium relegatus fuit. Multæ adverſitates *Martino* perferendæ erant in itinere tum a malo Genio, tum a latronibus, de quorum manibus ægre incolumis evaſerat. In *Pannoniam* tandem adveniens, cum *Sabariam* reviſeret, *matrem quidem gentilitatis abſolvit errore*, *patre in malis perſeverante*; *plures tamen ſuo ſalvavit exemplo.* Indoluit vero maxime, quod hæreſis Ariana, quæ tunc per totum orbem, ac præcipue intra Illyricum graſſabatur, rem Chriſtianam apud *Sabarienſes* quoque perturbaverit: nec temperare ſibi potuit, quo minus *in perfidiam Sacerdotum* acriter inveheretur. At brevi ob ſuum pro fide catholica certamen & vincula, & verbera expertus, poſtremo etiam de civitate ejectus fuit.

Idem præter Sulpicium & *Sozomenus* narrat, hæc ſcribens: *Primum quidem*, inquit, *apud Illyricos ætatem degit* Martinus, *at cum veram fidem tueri prompto animo contenderet*, *& quosdam illius regionis Epiſcopos Arii doctrinam olere deprehendiſſet*, *inſidiis appetitus*, *& ſæpe palam verberibus cæſus*, *demum in exilium pulſus eſt.* Apud Sulpicium legimus, S. *Martinum in perfidiam Sacerdotum* acriter invectum eſſe: apud *Sozomenum* autem hoc loco audimus, eundem S. *Martinum* contra *Epiſcopos Arianos* pro fide Catholica decertaſſe. Hæc invicem conferendo, confirmatur id, quod alias diximus, apud veteres Chriſtianos nomine *Sacerdotum* abſolute prolato ſæpe intelligi *Epiſcopos* conſueviſſe. Quod quidem etiam Gothofredus, & Ritterus in ſuis notis, atque commentariis ad Leges Codicis Theodoſiani obſervant *h*). Ita eodem tempore mos quoque obtinuit, ut *Illyrici* nomine non unam ſolummodo provinciam Illyridem, aut Dalmatiam, verum complures alias, quæ ſucceſſive armis Romanorum ad Illyricum acceſſere, provincias comprehenderent, *Illyriosque*, aut *Illyricos* appellarent quoscunque illarum provinciarum populos. Quod idcirco adnotare viſum, ne quis ea, quæ *Sulpicius* in *Illyrico*, & *Sozomenus* apud Illyricos *Martino* commo-

---

g) *Sulp. Sever:* de vita B. Martini cap. 5.

h) Vid. Lib. XVI. Cod. Th. tit. 2. leg. 31. & 35.

ranti accidiſſe narrant, alio forte quam ad *Pannoniam*, hujusque civitatem *Sabariam* referri oportere exiſtimet: quemadmodum reapſe exiſtimavit *Gaſpar Saccarelli*, qui *Sulpicium* interpretari volens, ita de beato Martino ſcripſit *i*): *Tum*, inquit, *ex Pannonia in Illyricum veniens* Martinus, *cum adverſus perfidiam Sacerdotum Arianorum pæne ſolus pugnaret, dira quæque perpeſſus eſt.* Quæ interpretatio profecto erronea eſt: nam *Sulpicius*, cujus verba ſuperius recitavimus, nuſpiam dicit, *Martinum* ex Pannonia in Illyricum veniſſe, ſed narrat ſolummodo, illum in patriam ſuam ex voluntate Sancti Hilarii Pictavienſis profectum eſſe: Patriam vero Martini fuiſſe *Sabariam* Pannoniæ civitatem, in ipſo narrationis exordio dixit. Iſthic ergo geſta ſunt, quæ poſt ſuſcepti itineris deſcriptionem ſubjungit hiſce verbis: *Itaque, ut animo, ac mente conceperat, matrem gentilitatis abſolvit errore, patre in malis perſeverante: plures tamen ſuo ſalvavit exemplo. Deinde cum hæreſis Ariana per totum orbem, & maxime intra Illyricum pullulaſſet, cum adverſus perfidiam Sacerdotum ſolus pæne acerrime pugnaret, multisque ſuppliciis eſſet affectus (nam publice virgis cæſus eſt, & ad extremum de civitate exire compulſus) Italiam repetens - - - Mediolani ſibi monaſterium ſtatuit k*). Nulla hic profecto mentio de Martini ex *Pannonia* in Illyricum adventu: ipſa enim Pannonia fuit Illyrici provincia, teſte *Sexto Rufo*, & *Jornande*; nec alibi tunc magis intra *Illyricum* hæreſis Ariana pullulabat, quam in ipſa Pannonia. Iſthic erant præcipui Arianorum duces, *Valens* Murſenſis, *Germinius* Sirmienſis, & *Gajus* Cibalenſis Eccleſiæ Epiſcopi. Ab his virus Arianum uti in reliquas Pannoniarum civitates, ita in *Sabarienſem* quoque manavit. Ingens horum Antiſtitum apud *Conſtantium*, qui tunc imperabat, fuit auctoritas: nil proinde mirum eſt, ſi beatus *Martinus* adverſus illorum perfidiam acerrime pugnans, dira quæque perpeti, ac poſtremo de civitate *Sabaria* exulare debuit. Hæc autem circa annum Chriſti 358, Baronii calculo, acta fuere.

Ejectus de patria civitate *Martinus* non in Gallias reverſus eſt (nam *intra Gallias quoque diſceſſu ſancti Hilarii, quem ad exilium hæreticorum vis coëgerat, turbatam Eccleſiam comperit*) Sed *Italiam repetens*, *Mediolani ſibi monaſterium ſtatuit.* Ubi tamen non diu eidem manere licuit: quippe illic *eum Auxentius, auctor & princeps Arianorum, graviſſime inſectatus eſt, multisque affectum injuriis, de civitate exturbavit. Cedendum itaque tempori arbitratus, ad inſulam Gallinariam nomine ſeceſſit; comite quodam presbytero, magnarum virtutum viro. Hic aliquandiu radicibus vixit herbarum; quo tempore helleborum, venenatum, ut ferunt, gramen in cibum ſumpſit. Sed cum vim veneni in ſe graſſantis vicina jam morte ſenſiſſet, imminens periculum oratione repulit. Nec multo poſt, cum Sancto Hilario comperiſſet regis pænitentia poteſtatem indultam*

i) T. V. hiſt. Eccl. pag. 368.
k) L. cit. cap. 6.

fuiſſe redeundi ab exilio , *Romæ ei tentavit occurrere. Sed cum jam Hilarius præteriiſſet, ita eum eſt* in Gallias *e veſtigio proſecutus : cumque ab eo gratiſſime fuiſſet ſuſceptus; haud longe ſibi ab oppido* Pictavienſi *monaſterium collocavit l*). Baronius & Pagius reditum *S. Hilarii* Pictavienſis referunt ad annum Chriſti 360; tametſi reapſe ad ſequentem 361. annum, quo Imperator *Conſtantius* ex hac vita diſceſſit, pertineat. Nam *S. Hieronymus* in continuatione chronici Euſebiani diſerte notat, reditum *Hilarii* in Gallias, & obitum *Conſtantii* Auguſti uno eodemque anno contigiſſe. *S. Hilarius* obiit ſexto poſt anno, qui fuit *Valentiniani, & Valentis Augg.* quartus, id eſt, Chriſti 367. *S. Martinus* autem perſeveravit in ſuo monaſterio prope Pictavienſem urbem annis circiter tredecim, uſque dum videlicet ad Epiſcopatum Turonenſem vocaretur: jamque tunc miraculorum dono inclareſcebat, binis mortuis, uti perhibet *Sulpicius*, ad vitam revocatis *m*).

CAPUT V.

Reliquæ animadverſiones ad vitam beati Martini Turonenſis, Sabaria oriundi.

RELIQUUM ita proſequitur Sulpicius : *ad Epiſcopatum Eccleſiæ Turonicæ petebatur Martinus: ſed cum erui a monaſterio ſuo facile non poſſet, Ruricius quidam, unus e civibus, uxoris languore ſimulato, ad genua illius provolutus, ut egrederetur, obtinuit. Ita diſpoſitis jam in itinere civium turbis, ſub quadam cuſtodia ad civitatem uſque deducitur. Mirum in modum incredibilis multitudo non ſolum ex illo oppido, ſed etiam ex vicinis urbibus ad ſuffragia ferenda convenerat. Una omnium voluntas, eadem vota, eademque ſententia, Martinum Epiſcopatu eſſe digniſſimum, felicem fore tali Eccleſiam Sacerdote. Pauci tamen, & nonnulli ex Epiſcopis, qui ad conſtituendum Antiſtitem fuerunt evocati, impie repugnabant, dicentes ſcilicet, contemptibilem eſſe perſonam, indignum eſſe epiſcopatu, hominem vultu deſpicabilem, veſte ſordidum, crine deformem. - - - Inter Epiſcopos tamen, qui adfuerant, præcipue Defenſor* quidam *nomine, dicitur reſtitiſſe.* Sed hic lectione prophetica graviter confuſus fuit. Abſente quippe lectore ordinario, cum unus e circumſtantibus arrepto Pſalterio legere cœpiſſet, fortuito incidit in hunc Pſalmi verſum: *ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, ut deſtruas inimicum, & defenſorem.* Quo lecto,

l) Ibidem, & cap. 6.

m) Ibidem.

ait Sulpicius, clamor populi tollitur, & Epiſcopus nomine *Defenſor*, ejusque factio confunditur *n*).

De anno, quo *S. Martinus* Eccleſiæ Turonenſis Epiſcopus fuerat ordinatus, lis eſt inter chronologos. In quadriennio enim diſcrepant *Sulpicius Severus* & *Gregorius Turonenſis*. Nam ille ordinationem *S. Martini* ad XII. hic vero ad VIII. *Valentiniani* Aug. annum refert. Prior coincidit cum anno Chriſti 375. poſterior autem cum 371. *Baronius* adhæret *Sulpicio*: *Pagius* neutri; nam ex Actis eccleſiaſticis eruit, *S. Martinum* cathedram Turonenſem conſcendiſſe anno XI. Valentiniani, ſive Chriſti 374. En ejus argumentum: ex Actis, inquit, eccleſiaſticis conſtat, reliquias beati Martin translatas fuiſſe anno Chriſti 474. Eadem vero Acta docent, hanc translationem contigiſſe centeſimo poſt ejusdem Martini ordinationem anno; ſequitur itaque beatum *Martinum* fuiſſe ordinatum anno 374. qui fuit *Valentiniani* Auguſti annus XI. Et reapſe hic annus pro vero habendus eſt, quoniam ipſe *Sulpicius* narrat, *S. Martinum* exordio ſui Epiſcopatus ad Imperatorem *Valentinianum* Treviris agentem acceſſiſſe; id quod ſequente anno fieri nequivit, uti mox paucis oſtendam. Omnium conſenſu certum eſt, *Martinum* æſtate, & quidem IV. Kal. Julias Epiſcopum ordinatum eſſe, itaque ſi *Martinus* qua Epiſcopus ad alloquium *Valentiniani* anno 375. Treviros veniſſet, id nonniſi poſt IV. Kal. Julias factum fuiſſet. At vero conſtat, *Valentinianum* eo tempore non amplius Treviris fuiſſe. Scribit enim *Ammianus Marcellinus*, Imperatorem hunc poſtremo regni ſui anno, (id eſt, anno 375) mox ſub initium Veris in *Pannonias* ad gerendum contra Quados bellum diſceſſiſſe, neque amplius Treveros rediiſſe, quia domitis Quadis, cum Bregetionem præcipite autumno adveniſſet, ibidem extinctus eſt. Quamobrem nihil jam amplius dubitandum, quin uti acceſſus *Martini* ad *Valentinianum*, ita & ejusdem ordinatio ad annum potius 374. quam ad 375. referri debeat.

Ecquidnam vero beatus *Martinus* mox ab adito Epiſcopatu Turonenſi apud Valentinianum Auguſtum Treviris egerit, *Sulpicium* porro narrantem audiamus: *Eodem*, inquit, *ferme tempore*, *quo primum Epiſcopus datus eſt*, *fuit neceſſitas adire Comitatum. Valentinianus tum major rerum potiebatur. Is cum Martinum ea petere cognoviſſet*, *quæ præſtare nolebat*, *juſſit eum Palatii foribus arceri. Etenim ad animum illius immitem*, *ac ſuperbum uxor acceſſerat Ariana*, *quæ totum illum a Sancto viro*, *ne ei debitam reverentiam præſtaret*, *averterat. Itaque Martinus*, *ubi ſemel atque iterum ſuperbum Principem fruſtra adire tentavit*, *recurrit ad nota præſidia; cilicio obvolvitur*, *cinere conſpergitur*, *cibo potuque abſtinet*, *orationes diebus noctibusque perpetuat. Septimo vero die adſtitit ei Angelus*, *jubet eum ad Palatium ire ſecurum*, *regias fores quantumlibet clauſas ſponte reſerandas*, *Imperatoris ſpiritum ſuperbum molliendum. Igitur iſtiusmodi*

---

m) Ibidem Cap. 9.

præſentis Angeli confirmatus alloquio, & fretus auxilio, Palatium petit. Patent limina, nullus obſiſtit; poſtremo uſque ad Regem, nemine prohibente, pervenit. Qui cum venientem eminus videret, infrendens, cur fuiſſet admiſſus, nequaquam adſurgere dignatus eſt adſtanti, donec regiam ſellam ignis operiret, ipſumque Regem ea parte corporis, qua ſedebat, adflaret incendium. Ita ſolio ſuperbus excutitur, & Martino invitus adſurgit; multumque complexus, quem ſpernere ante decreverat, virtutem ſenſiſſe divinam emendatior fatebatur: nec expectatis Martini precibus, prius omnia præſtitit, quam rogaretur. Colloquio illum atque convivio frequenter adſcivit; poſtremo abeunti multa munera obtulit; quæ vir beatus, ut ſemper paupertatis ſuæ cuſtos, cuncta rejecit. Hæc Sulpicius in Dialogis *o*). Eadem Venantius Fortunatus ligata celebrat oratione.

Redux *Martinus* a Valentiniano Imperatore, *idem conſtantiſſime perſeverabat, qui prius fuerat. Eadem in corde ejus humilitas, eadem in veſtitu ejus vilitas erat, atque ita plenus auctoritatis, & gratiæ implebat Epiſcopi dignitatem, ut non tamen propoſitum monachi, virtutemque deſereret. Aliquandiu ergo adhærente ad Eccleſiam cellula uſus eſt: deinde, cum inquietudinem frequentantium ferre non poſſet, duobus fere extra civitatem millibus Monaſterium ſibi ſtatuit. Qui locus tam ſecretus, & remotus erat, ut eremi ſolitudinem non deſideraret. Ex uno enim latere, præciſa montis excelſa rupe ambiebatur; reliquam planiciem Liger fluvius, reducto paullulum ſinu, clauſerat: una tantum, eademque arcta admodum via adiri poterat; ipſe ex lignis contextam cellulam habitabat. Multi quidem e fratribus in eundem modum, plerique ſaxo ſuperjecti montis cavato, receptacula ſibi fecerant. Diſcipuli vero octoginta erant, qui ad exemplum beati magiſtri inſtituebantur. Nemo ibi quidquam proprium habebat: omnia in medio conferebantur. Non emere, aut vendere, ut plerisque monachis moris eſt, quidquam licebat. Ars ibi, exceptis Scriptoribus, nulla habebatur: cui tamen operi minor ætas deputabatur: majores orationi vacabant. Rarus cuiquam extra cellulam fuit egreſſus, niſi cum ad locum orationis conveniebant. Cibum una omnes poſt horam jejunii accipiebant; vinum nemo noverat, niſi quem infirmitas coëgiſſet. Plerique camelorum ſetis veſtiebantur. Mollior ibi habitus pro crimine erat. Quod eo magis ſit mirum, neceſſe eſt, quod multi inter eos nobiles habebantur, qui longe aliter educati ad hanc ſe humilitatem, & patientiam coëgerant; pluresque ex his poſtea Epiſcopos vidimus. Quæ enim eſſet civitas, aut Eccleſia, quæ non ſe de Martini monaſterio cuperent habere Sacerdotes p*). En formam vitæ monaſticæ, quam poſtea Benedictus, Bernardus, Franciſcus, pluresque alii Ordinum Religioſorum fundatores imitati fuere.

Anno Epiſcopatus ſui *decimo* egregium S. *Martinus* edidit ſpecimen apoſtolicæ libertatis, & conſtantiæ ſacerdotalis, quod Sulpicius Severus, poſtquam

o) Dial. 2 cap. 5.
p) De vita beati Martini cap. 10.

reliquas

reliquas illius virtutes, & quædam prodigia per eum patrata retuliſſet, hunc in modum deſcribit: *Ut minora*, inquit, *tantis inſeram (quamvis, ut eſt noſtrorum ætas temporum, quibus jam depravata omnia, atque corrupta ſunt, pene præcipuum ſit, adulationi regiæ ſacerdotalem non ceſſiſſe conſtantiam) cum ad Imperatorem Maximum, ferocis ingenii virum, & bellorum civilium victoria elatum, plures ex diverſis partibus Epiſcopi conveniſſent, & fœda circa Principem omnium adulatio notaretur, ſeque degeneri inconſtantia regiæ clientelæ ſacerdotalis dignitas ſubdidiſſet, in ſolo Martino Apoſtolica auctoritas permanebat. Nam etſi pro aliquibus ſupplicandum Regi fuit, imperavit potius, quam rogavit, & a convivio ejus, frequenter rogatus, abſtinuit, dicens ſe menſæ ejus participem eſſe non poſſe, qui duos Imperatores* (Gratianum nempe, & Valentianum juniorem) *unum regno, alterum vita expuliſſet. Poſtremo cum Maximus ſe non ſponte ſumpſiſſe imperium affirmaret, ſed impoſitam ſibi a militibus divino nutu regni neceſſitatem armis defendiſſe, & non alienam ab eo Dei voluntatem videri, penes quem tam incredibili eventu victoria fuiſſet, nullumque ex adverſariis niſi in acie occubuiſſe: tandem victus vel ratione, vel precibus, ad convivium venit; mirum in modum gaudente Rege, quod id impetraſſet. Convivæ autem aderant veluti ad diem feſtum evocati, ſummi, atque illuſtres viri: præfectus, idemque Conſul Evodius, vir, quo nihil unquam juſtius fuit: comites duo ſumma poteſtate præditi, frater Regis, ac patruus. Medius inter hos Martini presbyter accubuerat; ipſe autem ſellula juxta* Regem *poſita conſederat. Ad medium fere convivium, ut moris eſt, pateram Regi miniſter* obtulit, *ille ſancto admodum Epiſcopo potius dari jubet, expectans, atque ambiens, ut ab illius dextera poculum ſumeret. Sed Martinus ubi ebibit, pateram presbytero ſuo tradidit, nullum ſcilicet exiſtimans digniorem, qui poſt ſe biberet; nec integrum ſibi fore, ſi aut Regem ipſum, aut eos, qui a Rege erant proximi, presbytero prætuliſſet. Quod factum Imperator, omneſque, qui tunc aderant, ita admirati ſunt, ut hoc ipſum eis, in quo contempti fuerunt, placeret, celeberrimumque per omne palatium fuit, feciſſe Martinum in Regis prandio, quod infimorum judicum conviviis Epiſcoporum nemo feciſſet.* Hæc *Sulpicius* in Biographia *q*). In Dialogis autem meminit alterius quoque convivii, quod ſoli beato *Martino*, jam tunc *ſeptuagenario*, ipſa Auguſta Imperatoris *Maximi* conjux, præſente ſolo marito, remotiſque omnibus miniſtris, præbuerat. *Componitur*, ait ille, *caſtus Reginæ manibus adparatus: ſellulam ipſa, conſternit; menſam admovet; aquam manibus ſubminiſtrat; cibum, quem ipſa coxerat, apponit. Ipſa, illo ſedente, eminus ſecundum famulantium diſciplinam ſolo fixa conſtitit immobilis, per omnia miniſtrantis modeſtiam, & humilitatem exhibens ſervientis: miſcuit ipſa bibituro, & ipſa porrexit. Finita cœnula, fragmenta panis adſumpti, micaſque collegit, ſatis fideliter illas reliquias imperialibus epulis anteponens r*). Mirum id non-

q) Ibidem cap. 23. r) Dial. 2. cap. 6.

nullis viſum eſt, quod Martinus, cui nulla unquam femina propius adſtitiſſe ferebatur, hac vice Reginam ſibi adſiſtere, quin etiam miniſtrare ſiverit. Verum graviſſimæ ſuberant cauſæ, ob quas Præſul ſanctiſſimus de rigore ſuo tantillum remitteret. *Locum, tempus, perſonam* reſpice: *propone tibi ante oculos, captum in palatio, Imperatoris precibus ambiri, Reginæ fide cogi, temporis neceſſitate conſtringi, ut clauſos carcere liberaret, exiliis datos reſtitueret, bona adempta redhiberet. Hæc quanti putes conſtare Epiſcopo debuiſſe, ut pro his omnibus non aliquantulum de rigore propoſiti relaxaret.* Ceterum *Martino ſemel tantum in vita ſua, jam ſeptuagenario, non vidua libera, non laſciviens, ſed ſub viro vivens, ipſa viro pariter ſupplicante, Regina ſervivit, & miniſtravit. Hæc edenti adſtitit, non cum epulante diſcubuit; nec auſa eſt participari convivio, ſed deferebat obſequium s*).

Plerique hæc duo convivia vel in unum confundunt, vel utrumque ad eundem annum Chriſti 386. referunt. Sed, ſi rite omnia expendantur, veriſimilius eſt, alterum horum ad annum præcedentem (id eſt, 385.) pertinere. Utroque enim anno *S. Martinus* Treviros ad Imperatorem *Maximum* venerat: profectionis neceſſitatem *Ithaciana* factio impoſuerat; quæ cujusmodi fuerit, ab origine juvat exponere. Nempe *Arcadio* Cæſare, & *Bautone* Conſulibus, ſive anno Chriſti 385. congregata fuit Synodus *Burdigalenſis* contra *Priſcillianum* hæreſiarcham, hujusque Sectatores. Sed, cum *Priſcillianus* ad Imperatorem *Maximum* Treviris tunc degentem, adpellaſſet, conniventibus cunctis præter *Martinum* Epiſcopis, eo una cum ſociis deductus eſt. Secuti ſunt etiam accuſatores *Idacius*, & *Ithacius*, quorum ſtudium in expugnandis hæreticis adeo omnem exceſſit modum, ut promiſcue quoscunque, etiam vitæ prorſus intemeratæ viros, *quibus aut ſtudium inerat lectionis, aut propoſitum erat certare jejuniis, tamquam Priſcilliani ſocios, aut diſcipulos in crimen accerſerent.* Ac *Ithacius* quidem auſus eſt ipſi quoque *Martino Epiſcopo, viro plane Apoſtolis conferendo, palam objectare hæreſis infamiam. Namque tum Martinus apud Treveros conſtitutus non deſinebat increpare Ithacium, ut ab accuſatione deſiſteret; Maximum vero Imperatorem orare, ut ſanguine infelicium abſtineret: ſatis ſuperque ſufficere, ut Epiſcopali ſententia hæretici judicati Eccleſiis pellerentur: novum eſſe, & inauditum nefas, ut cauſas Eccleſiæ Judex ſæculi judicaret. Denique quoad uſque Martinus Treveris fuit, dilata cognitio eſt, & mox diſceſſurus egregia auctoritate a Maximo elicuit ſponſionem; nihil cruentum in reos conſtituendum. Sed poſtea Imperator per Magnum & Rufum Epiſcopos depravatus, & a mitioribus conſiliis deflexus, cauſam Præfecto Evodio permiſit, viro acri, & ſevero. Qui Priſcillianum gemino judicio auditum, convictumque maleficii, nec diffitentem obſcœnis ſe ſtuduiſſe doctrinis, nocturnos etiam turpium feminarum egiſſe conventus, nudumque orare ſolitum; nocentem pronunciavit, redegitque in cuſtodiam, donec ad Prin-*

s) Ibid. c. 7.

cipem referret. Geſtis ad Palatium delatis cenſuit Imperator Priſcillianum, ſociosque ejus capitis damnari oportere. Ceterum Ithacius videns, quam invidioſum ſibi apud Epiſcopos foret, ſi accuſato etiam poſtremis rerum capitalium judiciis adſtitiſſet (etenim iterari judicium neceſſe erat) ſubtrahit ſe cognitioni fruſtra, calido jam ſcelere peracto. Nam poſt abitum *Ithacii* ſubſtitutus eſt accuſator *Patricius* quidam, Fiſci Patronus, quo inſiſtente *Priſcillianus* cum ſociis compluribus capitis damnatus fuit *t*).

Poſt necem *Priſcilliani*, & ſociorum, ingens inter Epiſcopos diſſidium eſt ortum; aliis *Ithacianum* factum adprobantibus, aliis damnantibus, atque idcirco ipſam *Ithacii*, tamquam ſanguinarii Epiſcopi, communionem vitantibus. Horum præcipuus erat *Theognoſtus*, qui *Ithacium*, quod apud *Maximum* necem procuraſſet hæreticorum, palam condemnavit. *Theognoſto* mox alii complures Antiſtites, qui ſanioris eſſe conſilii videbantur, ſe ſe junxerunt. At Imperator *Maximus* partem adverſam vi regia tuebatur. Itaque partis *Ithacianæ* Epiſcopi anno ſequente (ſcilicet 386.) apud Treveros congregantur: *Ithacium* declarant innocentem; eidem communicant, ejusdemque cauſam ſibi faciunt communem. Agebatur quoque in hac Synodo, ut Imperator ad Hiſpanias mitteret Tribunos, ſumma poteſtate armatos, qui hæreticos inquirerent, deprehenſisque vitam, & fortunas adimerent. Interea nuncii adſunt, *Martinum* Treveros venire. Hic vero nova aperitur ſcena: omnes *Ithacianos* metus gravis inceſſit, ne *Martinus* adveniens ab eorum communione ſe ſe abſtineret: videbant enim non defuturos, *qui tanti viri conſtantiam, permiſſa auctoritate, ſequerentur.* Quamobrem *ineunt cum Imperatore conſilium, ut miſſis obviam magiſterii officialibus, urbem illam propius vetaretur accedere, niſi ſe cum pace Epiſcoporum ibi conſiſtentium adfore fateretur.* At *Martinus* eos callide fruſtratus, profitetur ſe cum pace Chriſti venturum, urbemque nocturno tempore ingreditur *u*).

Poſtridie adiit Imperatorem multis cum petitionibus in cauſis miſerorum. Harum prima fuit pro *Narſete* Comite, & *Leucadio* Præſide, qui ambo, quod *Gratiani Aug.* partes pertinacius fuiſſent tuiti, iram victoris incurrerunt. Altera, eademque præcipua erat, *ne Tribuni cum jure gladiorum ad Hiſpanias mitterentur. Pia enim erat ſollicitudo Martino, ut non ſolum Chriſtianos, qui ſub illa erant occaſione vexandi, ſed ipſos etiam hæreticos liberaret. Verum primo die, atque altero ſuſpendit hominem callidus Imperator; ſive ut rei pondus imponeret; ſive, quia nimis ſibi implicabilis erat, ſeu, quia (ut plerique tum arbitrabantur) avaritia repugnabat; ſiquidem in bona eorum inhiaverat. - - - - Interea Epiſcopi, quorum communionem Martinus non inibat, trepide ad Regem concurrunt, prædamnatos ſe conquerentes: actum eſſe de ſuo omnium ſtatu, ſi Theognoſti pertinaciam,*

t) *Sulpicius* Hiſt. ſacræ Lib. 2. cap. 50. & ſeq.
u) Idem Dial. III. cap. XI.

qui eos ſolus palam lata ſententia condemnaverat, Martini armaret auctoritas: non oportuiſſe hominem recipi mœnibus, illum jam non defenſorem hæreticorum eſſe, ſed vindicem: nihil actum morte Priſcilliani, ſi Martinus exerceat illius ultionem. Poſtremo proſtrati, cum fletu & lamentatione poteſtatem regiam implorant, ut utatur adverſus unum hominem vi ſua. Nec multum aberat, quin cogeretur Imperator, Martinum cum hæreticorum ſorte miſcere. Sed ille, licet Epiſcopis nimio favore eſſet obnoxius, non erat neſcius, Martinum fide, ſanctitate, & virtute cunctis præſtare mortalibus; ideoque alia longe via Sanctum vincere parat. Ac primo ſecreto accerſitum blande appellat; hæreticos jure damnatos more judiciorum publicorum potius, quam inſectationibus Sacerdotum; non eſſe cauſam, qua Ithacii, ceterorumque partis ejus communionem putaret eſſe damnandam. Theognoſtum odio potius, quam cauſa feciſſe diſſidium; eundemque tamen ſolum eſſe, qui ſe a communione interim ſepararet; a reliquis nihil novatum: quin etiam ante paucos dies habita Synodus Ithacium pronunciaverat culpa non teneri. Quibus cum Martinus parum moveretur, Rex ira accenditur, ac ſe de conſpectu ejus abripuit; & mox percuſſores his, pro quibus Martinus rogaverat, diriguntur. Quod ubi Martino compertum jam n ctis tempore eſt, Palatium irrumpit; ſpondet, ſi parceretur, ſe communicaturum, dummodo ut & Tribuni jam in excidium Eccleſiarum ad Hiſpanias miſſi retraherentur. Nec mora interceſſit: Maximus indulget omnia. Poſtridie Felicis Epiſcopi ordinatio parabatur, ſanctiſſimi ſane viri, & plane digni, qui meliore tempore Sacerdos fieret. Hujus diei communionem Martinus iniit, ſatius æſtimans ad horam cedere, quam his non conſulere, quorum cervicibus gladius imminebat. Verum tamen ſumma vi Epiſcopis nitentibus, ut communionem illam ſubſcriptione firmaret, extorqueri non potuit. Immo poſtero mox die Treveris diſceſſit mœſtus, quod vel ad horam Ithacianis communicaverit. Addit *Sulpicius*, ab hoc tempore *Martinum* annis adhuc XVI. vixiſſe; nullam Synodum adiiſſe, ſeque ab omnibus Epiſcoporum conventibus abſtraxiſſe *x*).

Obiit beatus *Martinus* Turonenſis apud *Condaten*, ſuæ Diœceſeos vicum, die XI. Novembris anno 402, ſi annos a *Sulpicio*, ut facit *Baronius*, colligimus. *Petavius* tamen annum obitus beati *Martini* probabiliorem exiſtimat 401: *Pagius* 400: *Tillemontius* 397, ſequendo nempe *Gregorium Turonenſem*, qui hunc annum Conſulatu *Cæſarii*, & *Attici* ſignat. Verum *Gregorius Turonenſis* haud ſatis hac in re ſibi conſtat; idem enim alias, cum *a tranſitu S. Martini uſque ad tranſitum Clodovæi Regis*, qui anno 511 contigit, annos 112 ſupputat, eo ipſo *S. Martini* obitum non uti antea ad annum 397 ſed ad 399 refert. Manifeſtus vero apud eundem anachroniſmus deprehenditur, ubi ſcriptum eſt, S. Martinum ex hac vita migraſſe anno a Paſſione Domini 412. Sed utcunqne hæc ſint, illud certum eſt, Scriptores Francos, qui æra *S. Martini* utebantur, annosque ab ejus obitu

x) Ibidem cap. XII & ſeq.

ſupputabant, epocham hujus æræ ad diem XI. Novembris anni 401 fixiſſe; qui proinde annus Petavio videtur eſſe veroſimillimus, poteſtque cum *Sulpicii* chronologia facile conciliari Nam licet *Sulpicius* perhibeat, beatum *Martinum* poſt *Evodii* conſulatum, id eſt, poſt annum 386, adhuc annis *ſedecim vixiſſe*, fors tamen *ſedecim* hos annos intelligit incompletos, ut adeo ad annum nunc dictum 386 reapſe tantum *quindecim* annos addere oporteat. Quod ſi fiat, ſuapte patet, etiam ſecundum *Sulpicii* rationes annum emortualem S. Martini fore 401.

De ſepultura beati *Martini* Pictavienſes decertabant cum Turonenſibus. Hoc certamen *Gregorius Turonenſis* ita deſcribit: *Pictavi dicebant: apud nos primum Abbas extitit. Reſpondebant Turonenſes: nobis a Deo donatus eſt, & primum ei monaſterium non apud Pictavos, ſed apud Mediolanenſes fuit.* Cumque nox ingruiſſet, dormientibus Pictavis, corpus ſancti Præſulis per feneſtram demittunt, & per Tihennam ingreſſi Ligerim, Turonenſi civitati inferunt. Ibi vero Martini funus triumphi ſpeciem habuit. *Credi enim non poteſt* (ait Sulpicius Severus in Epiſtola ad Baſſulam ſocrum ſuam) *quanta hominum multitudo convenerit. Tota civitas obviam corpori ruit; cuncti ex agris atque vicis, multique ex vicinis etiam urbibus adfuerunt. O quantus luctus omnium, quanta præcipue mœrentium lamenta Monachorum, qui eo die fere ad duo millia conveniſſe dicuntur.* Aderat quoque *Virginum chorus*, omnisque ætatis, ſexus, & conditionis homines confluxerant, triſtes quidem, quod tanto Paſtore orbati eſſent, ſimul tamen læti, quod illum cœlo receptum firmiſſime crederent *y*). Hæc fides effecit, ut beati *Martini* cultus brevi per totum fere orbem Chriſtianum propagatus fuerit, magna *Sabarienſium*, apud quos tantus vir natus erat, gloria. Non parum quoque ad celerem ejusdem cultus propagationem contulit *Sulpicii Severi* libellus de vita S. Martini; id quod ex ejusdem *Dialogo* liquet, in quo loquens Poſthumianus: *referam tibi*, inquit, *quo liber iſte penetraverit, & quam nullus fere orbis terrarum locus ſit, ubi non materia tam felicis hiſtoriæ pervulgata teneatur. Primus eum Romanæ urbi vir ſtudioſiſſimus tui Paulinus invexit. Deinde cum tota certatim urbe raperetur, exultantes librarios vidi, quod nihil ab iis quæſtuoſius haberetur; ſiquidem nihil illo promptius, nihil carius venderetur. - - - Cum ad Africam veniſſem, jam per totam Carthaginem legebatur. - - Nam quid ego de Alexandria loquar, ubi pene omnibus magis, quam tibi notus eſt? Hic Ægyptum, Nitriam, Thebaidem, ac tota Memphitica regna tranſivit. - - - Hunc ego in eremo a quodam ſene legi vidi* z).

Paulinus, cujus in hoc Dialogo fit mentio, erat Nolæ in Campania Epiſcopus, ſanctitate, ac doctrina conſpicuus: is Biographiam beati Martini a *Sulpicio Severo* ad ſe miſſam, *Nicetæ* Epiſcopo Daciæ Aurelianæ, & Melaniæ matronæ romanæ, ſuis tunc hoſpitibus, recitavit, eisdemque deſcribendam dedit.

---

y) *Sulpicius* Epiſt. III. ad Baſſulam ſocrum ſuam.

z) Idem Dial. I. cap. XXIII.

Quo factum eſt, ut redux *Nicetas* libellum hunc in Dacia, vicinisque provinciis, *Melania* autem Romæ vulgaret; unde poſtmodum librarii longe lateque illius exemplaria propagarunt. Scripſit *Sulpicius Severus* etiam ſupplementum vitæ beati *Martini* in forma trium epiſtolarum, ac totidem dialogorum: ejusdem virtutes celebrat prætereа libro ſecundo Hiſtoriæ Sacræ. *Paulinus* autem ſupra laudatus, & *Venantius Fortunatianus* res geſtas Sancti Martini oratione ligata complexi ſunt; uterque ob depulſum illius interceſſione morbum oculorum. Poſt hos *Gregorius Turonenſis* ſingularem compoſuit libellum de miraculis ejusdem S. *Martini*. Si quis proinde plura de rebus ſanctiſſimi hujus Præſulis noſſe cupit, hos fontes conſulat. Ipſe vero S. *Martinus* Turonenſium Antiſtes ſcripſit *Profeſſionem fidei*, quam edidit *Chlichtoveus* Pariſiis 1512. dein *Pithæus* 1586. ac demum alii, qui Bibliothecas Patrum imprimi fecerunt *a*).

CAPUT VI.

De rebus in Pannonia geſtis ab obitu Conſtantini M. uſque ad obitum Valentiniani I. inter quas nonnullae Leges, ab Imperatoribus, Sabariae conſiſtentibus, ſancitae recenſentur.

HACTENUS de vita beati *Martini* ſub Conſtantino Magno *Sabariae* nati. Nunc de iis, quæ ab obitu ejusdem *Conſtantini Magni* in Imperio, ac præcipue in *Pannoniis* ſubſecuta ſunt, quatenus ea etiam ad rerum *Sabarienſium* pleniorem cognitionem attinent, cœptam proſequemur narrationem. Obiit *Conſtantinus Magnus* in villa Achyrona prope Nicomediam anno Chriſti 337. Tres ejusdem filii ſuperſtites univerſum Imperium hac ratione inter ſe partiti ſunt. *Conſtantino*, natu maximo, obtigit Gallia, & quicquid trans Alpes erat juris romani: *Conſtanti* Africa, Italia, Græcia, Macedonia, & Illyricum, cui includebantur Pannoniæ. *Conſtantio* demum Oriens cum Ægypto, Aſia, ac Thracia: ſed poſtremus hic participes quodammodo Imperii ſui habuit *Delmatium*, & *Hannibalianum* patrueles, quorum ille Cæſar; hic Rex Regum, ac Ponticarum gentium a *Conſtantino Magno* dictus, tituloque *Nobiliſſimi* donatus erat. Verum hi paucum poſt tempus militari ſeditione interfecti ſunt, ſi non incitante, certe connivente *Conſtantio Auguſto*. Perierunt cum iisdem *Optatus*, & *Ablavius*;

a) *Jöcherus* in ſuo Lexico *S. Martinum Turonenſem* recenſet inter ceteros hujus nominis Scriptores, ſed errore admiſſo, qui cum ne in poſtrema quidem editione ſublatus fuerit, merito iſthic perſtringendus eſt. *Sabariam* enim Germanis *Günz* dici arbitratus, de *S. Martino* ſcribit: *aus Günz, lateiniſch Sabaria.* Corrige. *aus Stein am Anger, lateiniſch Sabaria in Ungarn.*

hic Prætorio Præfectus, ille *Patricius*, ipſis Prætorio Præfectis ſub Conſtantino Magno anteire ſolitus. Aegre ſervati fuere *Gallus* & *Iulianus* futuri Cæſares.

Porro ex tribus fratribus Auguſtis primus vivere deſiit *Conſtantinus*, nam cum is provincias *Conſtantis* invaſiſſet, ab hujus Ducibus prope Aquilejam anno 340. cæſus occubuit. *Conſtantem* milites *Magnentii* Tyranni anno 350 e medio ſuſtulerunt. Abhinc ergo jus in univerſas Imperii Romani provincias ad *Conſtantium Auguſtum* devolutum eſt. Sed inſurrexere Tyranni: *Nepotianus* in Italia; *Magnentius* cum fratre *Decentio* in Galliis, qui ſublato Nepotiano Italiam quoque ſibi poſtea uſurpavit: ac demum *Vetranio* (alii *Bretannionem* corrupte appellant) in Pannonia. At non paſſus eſt æmulos *Conſtantius Auguſtus*: quippe, poſtquam *Gallum* patruelem ſuum (hic in monumentis modo *Conſtantius*, modo *Conſtans* vocatur) Cæſarea dignitate auctum Orienti contra Perſas præfeciſſet, illico in *Pannonias* rediit, deluſoque prius per ſpeciem amicitiæ, ac in ordinem redacto *Vetranione*, adverſus perduellem *Magnentium* movit. Poſt plures minores conflictus duobus præliis anno 351. de Summa Imperii certatum eſt: uno ad *Siſciam*, quo ſuperior videbatur *Magnentius*; altero autem ad *Murſam*, victore *Conſtantio Auguſto b*).

Poſt Murſenſem pugnam *Conſtantius* miſſis Ducibus, qui belli Magnentiani reliquias perſequerentur, ipſe ultra annum in Pannoniis conſtitit, modo *Sirmii*, modo *Sabariæ* commoratus. Extat in Codice Theodoſiano Lex de valore donationum, a Conſtantino Magno ex privatis rebus factarum, quam Imperator *Conſtantius*, cum *Sabariæ* moraretur, ad *Euſebium* rerum privatarum dedit, eſtque hujusmodi *c*).

Conſtantius A. ad Euſebium Com. R. P.

Donationes a divino Genitore noſtro ex privatis rebus factas valere præcipimus. Dat. VIII. Id. April. SABARIÆ. *Conſtantio A. III. & Conſtante iterum Coſſ.*

Tertius quidem *Conſtantii Auguſti* Conſulatus ſignat annum 342. Verum *Gothofredus* cenſet, nonniſi deſcribentium vitio Datum hujus Legis eſſe, *Conſtantio A. III & Conſtante iterum Coſſ.* reſcribique oportere monet; *Conſtantio A. V. & Conſtante Cæſ. Coſſ.* ut ſit annus 352. Id quod prorſus veriſimile eſt: nam imprimis *Sabaria*, ubi hæc Lex *Conſtantii* data fuit, anno 332. nondum ad *Conſtantium* ſpectabat, utpote qui Pannoniarum poſſeſſionem non prius, quam a morte fratris ſui Conſtantis, adeoque anno 350. adierat. Deinde, quia in omnibus aliis Legibus, ſub annum 342. datis, & Conſulatu duorum fratrum Auguſtorum Conſtantii & Conſtantis ſignatis, non ſolus *Conſtantius*, ſed etiam *Conſtans* adpellatur Auguſtus, hoc ſcilicet modo: *Conſtantio III. & Conſtante II.*

---

b) *Zoſimus* Lib. 2. *Eutrop.* lib 10. *Sext. Aur. Victor* Epitom. Oroſius Lib. 7.
c) Lib. X Cod. Th. tit. X. *de petitionibus* leg. VI.

AA. Coſſ. id eſt: *Conſtantio tertium, & Conſtante iterum Auguſtis Conſulibus.* Ex adverſo autem iis annis, quibus *Conſtantius* Auguſtus in Conſulatu collegam habuit *Gallum* Cæſarem, alio nomine pariter *Conſtantem* dictum, in Dato Legum eſſe ſolet: *Conſtantio A. V. & Conſtante Cæſ. Coſſ.* vel *Conſtantio A. VI. & Conſtante Cæſ. II. Coſſ.* vel denique, *Conſtantio Aug. VII. & Conſtante III. Cæſ. Coſſ.* qui tres Conſulatus reſpondent annis Chriſti 352, 353, & 354 *d*).

Ceterum ex Legibus eodem anno 352. alibi datis facile colligitur, Imperatorem *Conſtantium* paucis dumtaxat diebus *Sabariæ* ſubſtitiſſe. Eodem enim menſe Aprili rediit *Sirmium*, ubi congregata Synodus *Photinum* depoſuit, novasque fidei formulas condidit: *Sirmio* ad Italiam, & hinc in Galliam abiit anno 353. Ibi coacta Arelatenſi Arianorum Synodo S. *Athanaſium* damnavit, & *Paulinum* Trevirenſem in exilium miſit. Sequente anno 354. redux in Italiam *Gallum* Cæſarem, qui tunc cum eodem ſeptimum Conſule jam Conſul tertium erat, ex Oriente revocavit, exutumque Cæſaris honore, carnificibus necandum tradidit. Nex peracta Flanone in Iſtria prope oppidum Polam. Judicio præfuit *Euſebius* cubiculi præpoſitus, qui veriſimiliter diverſus non fuerat ab *Euſebio* Comite rerum privatarum, ad quem abhinc biennio Lex illa de donationibus e civitate *Sabaria* fuit inſcripta. Parum vero abfuit, quin ſub idem tempus, etiam *Julianus*, Conſtantis, ſive Conſtantii Galli frater, periret: ſervatus tamen eſt ab *Euſebia* Auguſta, miſſusque Athenas ſtudiorum cauſa. Immo ſequente anno Cæſar creatus Gallias accepit regendas *e*).

Sed *Conſtantium* Auguſtum, qui III. Kal. Maji anno 356. Romam veluti in triumpho adierat, effuſa illi obviam tota fere civitate, aſſidui terrebant nuncii, indicantes: Suevos incurſare Rhætias, Quados populari Valeriam, Sarmatas vero Pannoniam Secundam, Mœſiamque ſuperiorem. Quamobrem triceſimo poſtquam urbem ingreſſus erat die, *IV.* Kal. Junias movet, iterque in Pannoniam accelerans, *Sirmii* iterum conſiſtit. Nihil eo anno in Quados & Sarmatas actum eſt, quia Barbari, cognito Auguſti adventu, tantiſper in terras ſuas receſſerunt. Verum *Conſtantius*, quietem ab armis nactus, non deſiit interea res Religionis perturbare, indicta iterum Synodo Sirmienſi, in qua ab Arianis condita fuit celebris illa *Ecthesis*, ſeu Fidei expoſitio, cui *Oſius* ſubſcribere coactus fuit, & quam poſtea S. *Hilarius* adeo exagitavit, ut jam ipſos Arianos ejus pœnituerit. Anno 358 novis interpellantibus nunciis de Sarmatarum, & Quadorum incurſionibus, ac latrociniis, ſuſcepta demum eſt in eos expeditio. Domiti primum Sarmatæ, horumque Reguli *Zizais*, *Zinafer*, *Uſafer*, *Araharius*, & *Rumo*, imperata facere coacti. Itum dein eſt pari felicitate in Quados, quorum Rex *Viduarius* filium

---

d) Vide Chronologiam Codicis Theodoſi. T. I. pag. LIII. & ſeqq.

e) Conf. Ammian. Marcellinus Lib. XIV. cap. XI. Socrates hiſt Eccl. Lib. II. Cap XXVII. & Chronologia Cod. Th. l. cit.

Vitro-

Vitrodorum dedit victoribus obſidem. Poſtremo de *Limigantibus* Sarmatarum ſervis ſumptum eſt ſupplicium. Reducti in ſedes avitas Domini: *Limigantes* vero alibi collocati. Ob quæ recte facta *Conſtantius* adpellatus eſt *Sarmaticus f*).

Non tamen diuturna fuit quies a *Limigantibus*: nam cum adſignatis ſibi ſedibus haud eſſent contenti, ſequente mox anno alienas invadunt terras, agrosque Danubio propiores, ac *Pannoniæ Valeriæ* finitimos occupant. Quæ cum tempeſtive intellexiſſet Imperator, confeſtim relicto Sirmio, ex Pannonia ſecunda in Provinciam Valeriam, quo Barbari per concretum gelu Danubium irrupturi videbantur, advolat, diſpoſitoque per fluminis ripas exercitu, milites ſub pellibus agere cuſtodias, hoſtemque obſervare jubet. Interea vero binos cum interpretibus Tribunos trans flumen mittit, quæſitum: *quamobrem relictis laribus, qui ipſis pacem & fœdera petentibus attributi fuere, ita palarentur varii, limitesque contra interdicta pulſarent*. Reſponſum eſt a Barbaris, hac legatione ſe perterritos ſimulantibus: *non ſe adverſus Romanos arma corripuiſſe: daret modo Auguſtus veniam, ut ad ejus tribunal venire poſſint, docturos ſe, quanta ſuſtinerent incommoda, quamque parati forent, intra ſpatia orbis romani, ſi id placuerit, terras ſuſcipere longe diſcretas, ut diuturno otio involuti, & quietem colentes tamquam ſalutarem deam, tributariorum onera ſubirent, & nomen g*).

Delectatus hoc reſponſo Imperator, admittendos in ſuum conſpectum, & adloquium decernit. Itaque prope *Acincum*, Pannoniæ Valeriæ tunc metropolim, in ſitu Budæ veteris poſitam (non vero prope *Acunincum*, uti corrupte apud *Amm. Marcellinum* legitur, neque prope *Acimincum*, quemadmodum juniores ediderunt: hoc enim non *Valeriæ*, ſed *Secundæ* Pannoniæ oppidum erat, in ſitu hodierni *Petrovaradini*) vallo conſtructo, celſoque aggere in ſpeciem tribunalis erecto conſiſtens, Barbaros acciri jubet. E conſilio tamen *Innocentii* agrimenſoris prius in proximo Danubii alveo delectam legionariorum manum imponit, erupturam in Barbaros, ſi forte tumultuari occiperent. Et vero accidit, quod metuebatur: vix enim Barbari in conſpectum Imperatoris, ex alto ſuggeſtu eos adloqui parantis, advenerunt, cum *quidam ex illis furore percitus truci, calceo ſuo in tribunal contorto, Marha, Marha! quod erat apud eos ſignum bellicum, exclamavit*. Nec mora: vexillum Sarmaticum expanditur, gladii, & veruta ſtringuntur, omnisque multitudo clamore, & ululatu terribili recta in Principem fertur. Qui procul dubio aut captus, aut interfectus a furentibus fuiſſet, niſi ſui eum celerrime eripuiſſent, velocique equo impoſitum ſervaſſent. Nec impediri a Stipatoribus potuit, quo minus ſella regalis cum aureo pulvinari diriperetur. Sed ſumpta eſt illico de perfidis vindicta: accurrit a tergo, qui in ſtationibus delitteſcebat miles Romanus; confertos Limigantium Sarmatarum globos perrumpit;

---

f) Amm. Marcellin. Lib. XVII.
g) Idem Lib. XIX. cap. XI.

cædit, fodit, interficit obvium quemque ſine diſcrimine; atque ſic omnis tandem perduellium caterva ferro abſumitur *h*). Ereptus hunc in modum e præſentiſſimo vitæ diſcrimine *Conſtantius Auguſtus* haud multo poſt ad expeditionem Perſicam abiit, quæ ei minus proſpere ceſſit. Sed majus animo vulnus inflixit nuncius, qui ferebat *Julianum* Cæſarem ab exercitu Gallicano Auguſtum eſſe proclamatum. Id adeo ægre tulit *Conſtantius*, ut in febrim inciderit, quæ illi lethalis fuit. Obiit anno 361. Mopſucrenis in Cilicia.

At *Flavius Claudius Julianus* militari conſenſu ad Auguſtos honores, *Conſtantio* adhuc ſuperſtite, evectus, confeſtim e Galliis Orientem verſus movit. Ad Rhætos & Noricos cum veniſſet, viginti ſuorum præmiſit *Sirmium* terreſtri itinere, adeoque per *Sabariam*: hac enim ex Norico via militaris ducebat, teſte *Itinerario Antonini.* Ipſe autem cum tribus armatorum millibus Danubio devectus eſt, tanta remigantium celeritate, ventisque tam ſecundis, ut decimo jam die apud *Bononiam*, Pannoniæ ſecundæ civitatem, exſcenderit, ac poſtridie *Sirmium* ingreſſus fuerit, perterrito, qui ibi pro *Conſtantio Auguſto* rem curabat militarem, *Lucilliano* equitum magiſtro, inque ſuas partes pertracto *i*). *Sirmii* cum eſſet, *Sextum Aurelium Victorem*, qui hiſtoriam *de Cæſaribus* ſcripſit, prima tunc vice ſibi viſum, præfecit Pannoniæ Secundæ Conſularem, eundemque poſtmodum ænea quoque ſtatua honoravit. Promotis vero caſtris, cum apud *Naiſum* Mœſiæ, ſive potius Daciæ Aurelianæ, civitatem ſubſtitiſſet, nuncium de morte *Conſtantii* accepit, moxque ab omnibus Imperator ſalutatur. Sed non ultra biennium imperavit: anno quippe 363. in prælio contra Perſas ſuſcepto occubuit, magno rei chriſtianæ, quam perditum ibat, commodo. Mors Imperatorum *Conſtantii* æque ac *Juliani* Apoſtatæ a ſancto *Hieronymo* hunc in modum perſtringitur: *Conſtantius Arianæ fautor hæreſeos dum contra inimicum paratur, & concitus fertur ad pugnam, in Mopſi viculo moriens, magno dolore hoſti reliquit Imperium. Julianus proditor animæ ſuæ, & Chriſtiani jugulator exercitus, Chriſtum ſenſit in Media, quem primum in Gallia denegarat; dumque Romanos propagare vult fines, perdidit propagatos k*).

Breviſſimum vero fuit *Joviani*, qui Juliano ſucceſſerat, Imperium: octavo enim menſe, cum ab expeditione Perſica Conſtantinopolim redire vellet, apud *Dadaſtanam* Bithyniæ oppidum extinctus eſt. Recte proinde hæc de illo apud S. Hieronymum leguntur: *Jovianus guſtatis tantum regalibus bonis fœtore prunarum ſuffocatus interiit: oſtendens omnibus, quid ſit humana potentia l*).

Imperium dein aſſecutus eſt *Valentinianus*, origine Pannonius Cibalenſis, ſub Juliano, & Joviano ſecundæ Scutariorum ſcholæ tribunus; qui anno 364.

h) Ibidem.

i) Idem Lib. XXI. Cap. IX.

k) T. I. Operum S. Hieronymi ex edit. Vallarſii *Epiſt.* 60

l) Ibidem.

menſe Martio Conſtantinopolim ingreſſus, illico *Valentem*, germanum ſuum, Imperii conſortem fecit, ejusque curæ Orientem ad Aegyptum uſque, Bithyniamque, ac Thracias permiſit; reſervato ſibi Illyrico, Italia, Africa, Hiſpania, & Gallia, ceterisque Occidentis provinciis. Exin ambo Auguſti in Pannoniam patriam ſuam venientes apud *Sirmium* conſtiterunt, ibidemque Palatium, ac Numeros militares inter ſe partiti ſunt. Diviſione peracta, Valens rediit Conſtantinopolim, at Valentianus Mediolanum diſceſſit, res Imperii ſui qua legibus, qua armis firmaturus.

Inter multas *Valentiniani* leges, quæ Codici Theodoſiano inſertæ ſunt, binas reperio *Sabariæ* datas, vel propoſitas. Una eſt de oblatione auri coronarii, altera de Suſceptoribus annonæ, deque epimetris fructuum aridorum, vinique, & laridi. Prior ita habet:

Impp. Valentinianus, & Valens AA. ad Probum Pf. P. m).

Nullus, exceptis Curialibus, quos pro ſubſtantia ſui aurum coronarium offerri convenit, ad oblationem hanc adtineatur. Dat. IX. Kal. Jul. Sabariæ Valentiniano & Valente Coſſ.

Primus *Valentiniani*, & *Valentis Auguſtorum* Conſulatus incidit in annum 365. unde ſequeretur, Imperatorem *Valentinianum* anno nunc memorato *Sabariæ*, ubi præſens lex data eſt, ſubſtitiſſe. Verum ſat gravia ſunt argumenta, quibus *Gothofredus*, & *Ritterus* oſtendunt, duplex mendum in clauſulam hujus Legis irrepſiſſe: nimirum Dat. pro Acc. id eſt, *Datum* pro *Acceptum*: & omiſſio numeri, qui indicaret *ſecundum Valentiniani & Valentis Conſulatum.* Inſcribitur enim, inquiunt, hæc Lex ad *Probum Præfectum Prætorio*, ſcilicet Illyrici: atqui *Probus* non antea, quam anno 368., qui ſignatur *ſecundo* dictorum Auguſtorum *Conſulatu*, ad Præfecturam Prætorio Illyrici evectus fuit. Nam ab anno 364. uſque ad 367. conſtat *Mamertinum* fuiſſe Præfectum Prætorio Illyrici ſimul, & Italiæ, atque Africæ. *Mamertino* ob crimen peculatus depoſito ſucceſſit anno 367. *Vulcatius Rufinus*, qui anno ſequente in Prætura mortuus eſt, uti perhibet *Ammianus Marcellinus n)*. Itaque anno primum 368. ad Præfecturam Prætorio Illyrici promoveri potuit *Probus*, ſive, ut idem in Faſtis, & marmoribus inſcribitur, *Sextus Anicius Petronius Probus.* Rem eandem conficere licet etiam ex itineribus *Valentiniani.* Hic enim Imperator anno 364. menſe Junio diſceſſit Sirmio Mediolanum, & ex itinere cum ſubſiſteret *Æmonæ*, inde ad *Mamertinum*, Præfectum Prætorio Illyrici, ſcripſit pariter de collatione auri coronarii, teſte Codice Theodoſiano *o)*. Mediolani cum eſſet, iniit primum Conſulatum cum *Valente* fratre

---

m) Lib. XII. Cod. Th tit. XIII. Lex III.
n) Lib. XXVII. cap. XI.
o) L. ſupr. cit. l. II.

anno 365. manſitque in Italia uſque ad medium circiter Octobris. Poſtea in Gallias profectus, ſub finem Octobris Pariſios venit, ipſoque ſui adventus die nuncium de *Procopii* in Oriente tyrannide accepit, ac metu hoſtilis in Pannonias irruptionis confeſtim *Equitium* Comitem Illyrici, auctum Magiſterio exercitus Illyriciani, remiſit, ut omnem ad Pannonias aditum Tyranno intercluderet. Manſiſſe vero *Valentinianum* in Gallia etiam conſequentibus aliquot annis, certum eſt ex aliis ejusdem rebus geſtis. Quippe dum caput *Procopii* Tyranni anno 366. a *Valente* ad ſe miſſum acceperat, Pariſiis etiamnum conſiſtebat. Inde Remos digreſſus, Alemannos anno 367. per Jovinum militum Magiſtrum domuit. Eodem anno a morbo recreatus, *Gratianum* filium, vix puerilem ætatem egreſſum, nuncupavit Auguſtum, ac ineunte anno 368. cum jam *Treviris* degeret, ſecundum cum *Valente* fratre Conſulatum ſuſcepit. Apud *Treviros* igitur erat, dum legem de auro coronario IX. Kal. Jul. *Sabariæ* acceptam, ac promulgatam tulerat.

Occaſio ferendæ hujus legis fuit ob *Gratianum* recenter creatum Auguſtum, cui idcirco a provinciis offerendum fuit aurum coronarium. Erat hæc ſpecies quædam doni gratuiti, quod Imperatores variis occaſionibus, præcipue autem in aditu Imperii, a ſubjectis ſibi populis tributi inſtar exigebant. *Julianus* magnam hac in re moderationem præſeferebat, quam edita peculiari conſtitutione, ad *Salluſtium* Præfectum Prætorio Orientis inſcripta, hiſce verbis declaravit: *aurum coronarium eſſe munus voluntatis, ideoque ad hujus oblationem neminem cogi debere p)*. At vero *Valentinianus* hujus conſtitutionis verba ita reſtrinxit, ut ad *Curiales* ea pertinere noluerit. Ita enim Lex Valentiniani *Sabariæ* promulgata ſonat: *Nullus, exceptis Curialibus, quos pro ſubſtantia ſua aurum coronarium offerre convenit, ad oblationem hanc adtineatur.* Unde inferre licet, hoc tempore *Sabarienſes* quoque *Curiales*, id eſt, Decuriones, Seviros, Auguſtales, ceterosque Magiſtratus ad offerendum aurum coronarium adſtrictos fuiſſe.

Sequitur Lex altera, *Sabariæ* propoſita, & nomine trium Auguſtorum ſimul regnantium, rurſus *Probo* Præfecto Prætorio inſcripta:

Imppp. Valentinianus, Valens, & Gratianus AAA.
Probo Pf. P.

A poſſeſſoribus per tres vices petatur annona. In epimetris autem eam conſuetudinem Sinceritas tua faciat obſervari, ut in aridis quidem fructibus centeſimam levandi diſpendii cauſa a poſſeſſore Suſceptor accipiat, laridi vero, & vini vicenſimam conſequatur. PP. VII. Id. Jan. Sabariæ Valentiniano NB. P. & Victore Coſſ. q).

---

p) L. cit. lex. I.

q) Lib. XII. Cod. Theod. tit. VI. *de ſuſceptoribus* Lex. XV.

Clauſula hujus legis hæc eſt: *Propoſita Septimo Idus Januarii Sabariæ Valentiniano Nobiliſſimo Puero & Victore Conſulibus*: id eſt, anno Chriſti 369. Patet ex hac lege, quis tunc modus contribuendi annonam militarem præſcriptus fuerit *Sabarienſibus*, ac cæteris Pannoniis. Hoc tempore finitum eſt primum bellum Gothicum, a *Valente* Orientis Imperatore geſtum; *Grutungi* quoque victi, eorumque Rex *Athanaricus* ad pacem petendam coactus eſt *r*). *Valentinianus* autem Senior, Imperator Occidentis, hoc, & ſequentibus annis ripas Rheni ac Danubii adverſus Barbarorum incurſiones communiebat: ſed cum nonnullas munitiones etiam trans ipſum Rhenum, Danubiumque in finibus Barbarorum excitari demandaſſet, id non ferentes Barbari, præcipue Quadi, & Jazyges Sarmatæ, omnibus impedire modis adnitebantur. Ac primum quidem agebant per Legatos, id ne fieret; & jam ab *Equitio* militiæ per Illyricum magiſtro impetrarunt, ut ab opere ceſſaretur. Verum *Maximinus*, qui obſcuro genere apud *Sopianas* in Pannonia Valeria ortus, ad ſumma officia gradatim eluctatus fuerat, Imperatorem *Valentinianum*, ne a propoſito ſuo deſiſteret, hortabatur, accuſataque *Equitii* deſidia, promittebat, ſi parvo ſuo *Marcelliano* deferretur poteſtas Ducis per provinciam Valeriam, Quadiæ conterminam, brevi fore, ut caſtella romana in Quadorum ripa ſine diſcrimine adſurgerent. Cui cum *Valentinianus* annuiſſet, & *Marcellianus*, jam Dux Valeriæ conſtitutus, opus interruptum adgrederetur, iterum Quadi, ne quid novaretur, orabant. Quin ipſe *Gabinius* Quadorum Rex *Marcellianum* hac de re modeſte compellabat. Verum iſte ſimulata humanitate Regem cum aliis ad convivium evocat; poſt epulas vero digredientem, hoſpitalis officii ſanctitate nefarie violata, interficiendum curat. Hujus ergo facinoris atrocitate efferati Quadi ſubito copias cogunt, adſcitisque in ſocietatem Sarmatis Iazygibus, in Pannonias irrumpunt, plebem agreſtem circa meſſem occupatam invadentes partim cædunt, partim cum ingenti pecorum numero abducunt: nec multum aberat, quin repentina hac irruptione caperent *Flaviam Maximam Conſtantiam*, Imperatoris *Conſtantii* filiam poſthumam, quæ tunc Treviros ducebatur, *Gratiano* Auguſto nuptura, cibumque in publica villa Piſtrenſi, viceſimo ſexto lapide a Sirmio diſſita, ſumebat. Eripuit illam e præſentiſſimo diſcrimine *Meſſala*, Pannoniæ Secundæ Præſes Conſularis, & carpento impoſitam celerrime Sirmium revexit *s*).

Morabatur eo tempore Sirmii etiam *Probus*, Præfectus Prætorio Illyrici, qui audita Quadorum & Sarmatarum irruptione, primum quidem de fuga cogitabat, poſtea vero promptiſſime omnia, quæcunque ad urbem defendendam neceſſaria videbantur, curaverat. At Barbari non tam ipſum, quam *Equitium* militiæ Magiſtrum inquirebant, hujusque petebant jugulum; quippe *Equitii* po-

r) Vid. *Amm. Marcellinus Lib* XXVII. *Themiſtius orat.* cap. 10. *Zoſimus.* Lib. IV. Cap. XI.
s) Amm. *Marcellin:* Lib. XXIX. cap. V.

tiſſimum artibus facta fuiſſe rebantur, quæ *Marcellianus* in Regem inſontem perpetravit. Quamobrem cum e captivis intellexiſſent, *Equitium* procul eſſe a *Sirmio*, ſcilicet in Valeria Pannoniæ provincia, illuc absque mora curſum verterunt. Ruentibus obviæ fiunt binæ Legiones Romanæ, Pannonica, & Mœſiaca, valida præliis manus. Verum dum inter illas diſcordiæ de principatu conflictus ineundi exoriuntur, Barbari non expectato belli claſſico, legionem Mœſiacam ſeorſim invadunt: qua cæſa, disjectaque, mox & Pannonicam perrumpunt aciem. Tum vero torrentis inſtar per omnem Valeriam, perque Pannoniam primam diffunduntur, villas, pagos, oppida exurunt, ac depopulantur, non immuni *Sabaria* a clade. Actum jam videri poterat de Pannoniis, niſi ſub idem tempus *Theodoſius* Sarmatas, Mœſiam incurſantes, cæcidiſſet. Quadi enim ſtrage ſociorum, & appropinquantis exercitus Gallicani fama perterriti, a vaſtatione Pannoniarum, deſtiterunt, trajectoque Danubio in ſuas terras receſſerunr *t*). Geſta hæc fuere ad annum 374. Sequens annus Imperatoris *Valentiniani* ſenioris profectione in Pannonias, expeditione in Quados, & ſubitanea ejusdem morte fuit memorabilis. Quæ, & alia, e quibus rerum Pannonicarum, ac ſpeciatim *Sabarienſium* id temporis conditio, ſtatusque perſpici poſſit, ab *Ammiano* hunc in modum deſcribuntur.

Pubeſcente jam vere, anno 357. *Valentiniano* a Treviris profecto Legati Sarmatarum & Quadorum obviam procedunt, admiſſorum petentes veniam. Quibus ille reſpondit; hæc ſe ibi dijudicaturum, & vindicaturum, ubi ea fuerunt admiſſa. Exin *Carnuntum*, Pannoniæ primæ oppidum, tunc quidem deſertum, ſed exercitus Ductori perquam opportunum ingreſſus, terrore cunctos replevit, arbitrantes eum, acrem cæteroquin, & vehementem Principem, illico in judicium vocaturum, & condemnaturum Præfectos, quorum perfidia, vel ſeceſſione nudatum erat Pannoniarum latus. At *Valentinianus* huc adveniens adeo intepuit, ut neque in *Gabinii* Regis necem inquireret, neque inuſta reipublicæ vulnera, quonam ſinente, vel ſegnius agente eveniſſent, accuratius inveſtigaret: quia nimirum ejus mos erat, ut in gregariis corrigendis eſſet ſeverus, erga Præfectos remiſſior, juſtoque indulgentior. *Solum tamen Probum incitato petebat odio*, inquit Ammianus, *nunquam, ex quo eum viderat, minari deſinens vel miteſcens. Cujus rei cauſæ nec obſcuræ fuerunt, nec leves. Hic Præfecturam Prætorio tum primitus nactus, eamque multis, atque utinam probabilibus modis in longum proferre geſtiens, non ut proſapiæ ſuæ claritudo monebat, plus adulationi, quam verecundiæ dedit. Contemplans enim propoſitum Principis, quærendæ undique pecuniæ vias absque juſtorum injuſtorumque diſcetione ſcrutantis, errantem non reducebat ad æquitatis tramitem, ut ſæpe moderatores fecere tranquilli: ſed ipſe quoque flexibilem ſequebatur, atque transverſum. Unde graves obedientium caſus*,

t) Ibidem. Et *Zoſimus* Lib. IV Cap. 17.

exitialia proviſorum nomina titulorum, juxta opulentas & tenues enervatas ſuccidere fortunas, argumentis aliis poſt validioribus aliis, uſu non lædendi reperiente longævo. Denique tributorum onera, vectigaliumque argumenta multiplicata, optimatum quosdam ultimorum metu exagitatos mutare compulerunt ſedes, & flagitantum miniſtrorum amaritudine quidam expreſſi, cum non ſuppeteret, quod daretur, erant perpetui carcerum inquilini: e quibus aliquos cum vitæ jam tæderet & lucis, ſuſpendiorum exoptata remedia conſumpſerunt. Hæc ita illecebroſius atque inhumanius agi loquebatur quidem pertinax rumor. Valentinianus vero tamquam auribus cera illitis ignorabat, indifferenter quidem lucrandi vel ex rebus minimis avidus, idque tantum cogitans, quod offerebatur; parſurus tamen fortaſſe Pannoniis, ſi hæc ante ingemiſcenda compendia comperiſſet, quæ nimium ſero tali didicit caſu. Ad provincialium reſiduorum exemplum etiam Epirotæ acturos ſibi gratias a Præfecto mittere compulſi legatos, Iphiclem quemdam philoſophum, ſpectatum robore pectoris hominem, adegere non ſponte propria pergere ad id munus implendum. Qui cum Imperatorem vidiſſet, agnitus, adventusque ſui cauſam interrogatus, græce reſpondit; atque ut philoſophus veritatis profeſſor, quærente curatius Principe, ſi hi, qui miſerunt, ex animo bene ſentiunt de Præfecto: gementes, inquit, & inviti. Quo ille verbo tamquam telo perculſus, actus ejus ut ſagax beſtia rimabatur; genuino percunctando ſermone, quos noſcitabat: ubinam ille eſſet, verbi gratia, honore ante ſuos excellens & nomine, vel ille dives, aut alius ordinis primus. Cumque diſceret periſſe aliquem laqueo, abiiſſe alium trans mare, conſciviſſe ſibi alium mortem, aut plumbo vita erepta extinctum; in immenſum excanduit, urente irarum nutrimenta tunc Officiorum magiſtro Leone, pro nefas! ipſo quoque Præfecturam, ut e celſiore ſcopulo caderet, adfectante; quam ſi adeptus rexiſſet, præ his, quæ erat auſurus, adminiſtratio Probi ferebatur in cœlum u). Ex hac *Ammiani* narratione facile quivis intelligit, quam luctuoſus hoc tempore fuerit ut reliquæ Pannoniæ, ſic *Sabarienſium* quoque ſtatus.

Ceterum agens tunc partim *Carnunti*, partim *Sabariæ Valentinianus* Imperator *per continuos tres menſes æſtivos arma parabat, & alimenta, ſi qua ſors ſecundaſſet, pervaſurus opportune Quados, tumultus atrocis auctores. - - - Præmiſſo igitur Merobaude cum militari peditum manu, quam regebat, ad vaſtandos, cremandosque barbaricos pagos, comite adjuncto Sebaſtiano, Acincum propere caſtra commovit; navigiisque ad repentinum caſum conjunctis, & contabulato celeri ſtudio ponte per partem aliam tranſiit in Quados, ſpeculantes quidem ex diruptis montibus ejus adventum, quo plerique ancipites incertique accidentium cum ſuis caritatibus ſeceſſerunt; ſed ſtupore defixos, cum in regionibus ſuis, contra, quam opinabatur, auguſta cernerent ſigna. Progreſſus ergo coacto gradu in quantum res tulit, jugulataque ætate promiſcua, quam etiam tum palantem ſubitus occupavit*

u) Idem Lib. XXX. Cap. V

excurſus, & tectis combuſtis, rediit cum incolumibus cunctis, quos duxerat ſecum. Itidemque apud Acincum moratus autumno præcipiti, per tractus conglaciari frigoribus adſuetos commoda quærebat hyberna: nullaque ſedes idonea reperiri præter SABARIAM *poterat, quamvis eo invalidam tempore, adſiduisque malis afflictam x).*

Verum, ne amplius *Imperator Valentinianus* reviſere poſſet *Sabariam*, mors inopina præpedivit. Relicto enim Acinco, legens Danubii ripam cum *Bregetionem* perveniſſet, aderant *Quadorum* Legati, pacem cum præteritorum obliteratione ſuppliciter obſecrantes. Horum ille nationem cum vehementius objurgare cœpiſſet, tanquam beneficiorum immemorem, & ingratam, rupta ſubito in pectore vena, ſanguine, lethalique ſudore perfuſus, inter miniſtrorum manus corruit. Mortem illius, ſi fides *Ammiano*, ſigna quædam, & portenta præceſſere; ac nonnulla quidem paucis ante diebus, alia vero pridie, quam *Bregetionem* ingrederetur; alia denique jam tum, cum in procinctu eſſet ad expeditionem Quadicam, & *Sabariæ* tantiſper moraretur. En Ammiani verba: *Apud* SABARIAM, inquit, *eodem adhuc conſtituto, bubo culminibus regii lavacri inſidens, occentansque funebria, nulla jacientium ſagittas, & lapides contemplabili dextera cadere potuit, certatim licet ardenti ſtudio petebatur. Item cum ab urbe prædicta tenderet ad procinctum, per portam voluit, unde introivit, exire, ut omen colligeret, quod cito remeabit ad Gallias. Cumque locus adgeſtis ruderibus neglectus purgatur, lapſam forem ferratam, quæ exitum obſeravit, multitudo removere non potuit viribus magnis eniſa; & cum fruſtra tereret diem, coactus per aliam egreſſus eſt portam y).*

Antea, quam Imperatoris mors evulgaretur, viſum eſt *Equitio*, & *Merobaudi*, Magiſtris militum, cohortes Gallicanas, nequid obturbarent, quantocyus ad Rheni ripas cum *Sebaſtiano* Comite remittere. Quod ubi factum eſſet, *Valentinianus* puer, defuncti filius tum quadrimus, qui interea temporis in villa *Murocincta* cum *Juſtina* matre degebat, *Acincum* in caſtra, per *Cerealem* avunculum lecticæ impoſitus, deducitur, ſextoque poſt patris obitum die ab exercitu Auguſtus ritu ſólemni proclamatur, & *Gratiano*, qui geſtorum etiamnum ignarus apud Treveros agebat, ſocius in Occidentis Imperio conſtituitur z). Notat *Ammianus* villam, cui *Murocinctæ* erat nomen, centeſimo a *Bregetione* lapide fuiſſe diſſitam. Hanc nonnulli hodiernum vicum *Sumerein*, Vindobonæ proximum, interpretantur. Sed veriſimilius eſt, illam prope *Sabariam*, aut in ipſo hujus civitatis Suburbano ſtetiſſe. Nam *Valentinianus* Senior, qui *Juſtinam* conjugem, & filium ſibi cognominem ex Galliis in Pannonias ſecum advexerat, ante ſuam in Quados

x) *Ammian* L. cit.

y) Idem L. cit.

z. Idem L. cit. & *Zoſimus* Lib. V. cap. 17. *Socrates* hiſt. Eccl. Lib. IV. c. 26. *Philoſtorgius* Lib. IX, c. 16. Faſti *Idatiani*, & Chronicon *Alexandrinum* ad ann. 375.

expedi-

expeditionem principio quidem *Carnunti*, ſed poſtea *Sabariæ* conſtitit, & poſt expeditionem iterum *Sabariam* pro hybernis venire conſtituit; uti ſupra dictum eſt ex Ammiano. Idem perſuadet *Murocinctæ*, & *Sabariæ* nonniſi duobus paſſuum millibus differens a *Bregetione* diſtantia. Quippe in Itinerario Antonini a *Bregetione Sabariam* ſunt *M. P. CII.* Apud Ammianum vero ab eadem Bregetione ad villam *Murocinctam* M. P. C. Quæ differentia cum ne medium quidem milliare noſtrum efficiat, liquet villam *Murocinctam* adeo civitati *Sabariæ* fuiſſe vicinam, ut ad ejusdem Suburbana referri potuerit.

Sed, quidquid ſit de hodierno *Murocinctæ* ſitu, mors *Valentiniani* Senioris alias ex aliis rerum converſiones attulit, fuitque initium illarum calamitatum, quas divus *Hieronymus* viceſimo poſt anno in epiſtola ad *Heliodorum* data hiſce verbis depingit: *Horret animus temporum noſtrorum ruinas perſequi. Viginti & eo amplius anni ſunt, quod inter Conſtantinopolim, & Alpes Julias quotidie romanus ſanguis effunditur. Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Theſſaliam, Achajam, Epiros, Dalmatiam, cunctasque* Pannonias *Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus,* Hunni, *Vandali, Marcomanni vaſtant, trahunt, rapiunt.* Quoniam igitur pars harum calamitatum ad *Sabarienſes* quoque pertinuit, idcirco ab obitu *Valentiniani I.* novam rerum *Sabarienſium* periodum ſequente libro deſcribemus.



HISTORIÆ SABARIENSIS
LIBER SEXTUS.

DE

REBUS SABARIÆ TOTIUSQUE PANNONIÆ SUB HUNNIS, GOTHIS, ALIISQUE POPULIS

AB ANNO CHRISTI 377 AD 900.

CAPUT I.

De primo Hunnorum in Pannonias ingreſſu, eorumque conflictu fabuloſo cum Macrino Duce Sabarienſi.

ATTIGIMUS jam tempora, quibus nova, ſed obſcurior, minusque læta ſuccedit rerum *Sabarienſium* periodus; *Hunnis* nempe Pannonias tenentibus, poſtea Gothis, mox aliis, & aliis populis. *Hunnorum* gentes monumentis veteribus antehac leviter notæ, jam anno Chriſti 373. vel ſecundum alios 374. ductu Regis *Balamberis* ex Aſia in Europam ingente numero commigrarunt, trajectoque flumine Volga primum Alanos, dein Tanai transmiſſo Gothos devicerunt, ac biennii ſpatio populis earum partium tantum incuſſerunt terrorem, ut plurimi ex illo terrarum tractu, qui a palude Mœotide, & a Ponto Euxino ad Quados uſque & Marcomannos prætendebatur, relictis ſedibus avitis, effuſo curſu circum Danubii ripas confluxerint, admittique in provincias romanas, tamquam in ſalutis portum, efflictim poſtulaverint. Inter hos Gothi, e Dacia profecti, ducibus *Alavivo*, & *Fritigerno*, cum in Thracias juſſu Imperatoris *Valentis* anno 376. recepti eſſent, haud multo poſt avaritia *Lupicini*, & *Maximi*,

Ducum romanorum, efferati atrox bellum ſuſcitarunt. Diu alternis cladibus certatum eſt, dum tandem ſub annum 378. circumventis, ac pæne ad internecionem cæſis legionibus romanis, ipſe adeo *Valens* Auguſtus occubuit *a*). Laudat *Ammianus* ſolertiam *Fritigerni*, qui ad hoc bellum *Hunnos*, antea hoſtes ſuos, Alanosque miris prœmiorum illecebris ſibi ſociaverat *b*).

Dum hæc in Thracia geruntur, aliæ *Hunnorum* copiæ interea Pannonias, quas pro fratre *Valentiniano* adhuc prætextato *Gratianus Auguſtus* adminiſtrabat, invadunt, occupantque. Hunc primum Hunnorum in Pannonias ingreſſum *Marcellinus*, Illyrici ſub *Juſtiniano I.* Comes, refert ad annum Chriſti 377. Nam ſcribit Pannonias, quas Hunni ſpatio *quinquaginta* annorum poſſederint, ab Romanis receptas fuiſſe *Indictione X. Hierio, & Ardabure Coſſ.* id eſt anno 427. *c*). Quanam vero ratione in Hunnorum poteſtatem Pannoniæ jam anno 377. venerint? armiſne, an potius conceſſione *Gratiani* & *Valentiniani* junioris? item, an univerſas Pannonias, vel majorem dumtaxat illarum partem eo tempore Hunni occupaverint? hæc in obſcuro ſunt, ſpectatis veterum monumentis. At vero poſteriores Chronographi, & Hiſtorici primum Hunnorum in Pannonias ingreſſum in hunc modum deſcribunt.

„ Quo primum tempore, inquit Nicolaus *Olahus d*), Hunni ſub ducibus „ Bela, Cheva, & Cadica, in ripa Tibiſci caſtra poſuere, Pannonias incole- „ bant diverſæ gentes, quarum limitibus ad arcendos Barbarorum excurſus, ad- „ verſa Danubii ripa *Maternus*, aut, ut alii tradunt, *Matrinus* præfectus fuit. „ Simon *de Keza*, *Macrinum*, Joannes de *Thurocz*, modo *Matrinum*, modo *Martinum* adpellant, eundemque natione Longobardum, urbe *Sabaria* oriundum fuiſſe adfirmant *e*). „ Hic non eas modo provincias, quæ nunc Hungaria adpellatur, „ ſed etiam Dalmatiam, utrasque Myſias, Achajam, Thraciam, Macedoniam „ adminiſtrabat. Igitur certior a ſuis factus, Hunnorum gentis antea incognitæ „ multitudinem intra Provinciam ſuam magna vi in ripa Tibiſci caſtra poſuiſſe, „ ſtatuit *Detrici*, qui id temporis non minimæ Germaniæ parti præerat, quod „ ſe objicere tantæ multitudini vereretur, auxilium implorare. Is conſcripto ce- „ leriter magno vicinarum omnium gentium, velut ad commune extinguendum „ incendium exercitu, in Pannoniam adveniens in eo, qui nunc *Zazhalom* vo- „ catur, campo, non longe a meridionali ripa Danubii conſedit. Urbs non „ multum ab eo loco aberat *Potentiana*, inter campum memoratum, & oppidum „ *Theten* ad ejusdem fluminis ripam ſita; loco, aliisque commoditatibus memo-

a) *Ammian* Lib. XXXI. Cap. XIII. & ſeq.
b) Ibidem Cap. XVI.
c) Vid *Marcellini* Comitis chronicon ad *Hierii*, & *Ardaburis* Conſulatum.
d) *Olahus* in Attila, & de Hungaria.
e) *Keza* Chron. cap. 2. *Thurocz* P. I. Chron. Cap. XI.

„ rabilis. Hic cum *Maternus* ageret, copiasque ad arcendum repentinum hoſtium „ adventum conſcriptas haberet, eo profectus eſt *Detricus*, ut, quid facto opus „ eſſet, cum eodem conſultaret, decerneretque, præſtaretne trajecto Danubio „ Hunnos in caſtris imparatos adoriri, an aliam rationem eos opprimendi inire; „ quisve modus cum hoſtibus tam inopinatis, atque incognitis eſſe deberet pu- „ gnandi. Qua in re per exploratores Hunnis nunciata, dum conſultatio juſto „ diutius inter Imperatores protrahitur, relicto in caſtris ad uxores, & res ſuas „ tutandas præſidio, Hunni cum cetera militum multitudine Tibiſco trajecto, ad „ loca Danubio propinqua pervenere. Licet autem *Detricus*, & *Maternus* ab ex- „ ploratoribus accepiſſent, hoſtes appropinquare, arbitrati ſunt tamen inter eos „ murum fortem interjectum eſſe, Danubii flumen, quem Barbari non facile „ eſſent ſuperaturi. „

„ Hac ducti fiducia cum ſegniores in re ſua curanda eſſent, Hunni haud „ multi laboris eſſe rati, poſt tot arduos, plurimosque invios montes, præcipi- „ tia, & flumina ſuperata, Danubio transvehi; utribus, quorum magnum nume- „ rum ad uſum caſtrorum habebant, Danubium præter ſpem hoſtium, infra Bu- „ dam civitatem (*Sicambriam* vocat *Keza*, & *Thuroczius*) trajecere, cui lo- „ co, ubi nunc oppidum eſt, ob hunc trajectum poſtea *Kelenſewlde*, id eſt, „ terræ trajectus, nomen eſt inditum. Hic coactis, & in ordinem redactis mili- „ tibus, *Maternum*, & *Detricum* in tentoriis ad urbem *Potentianam* tunc quie- „ tos, ſomnoque deditos, nocte intempeſta ſubito invaſere: qui inſuetis Hunno- „ rum, quos more Scythico edebant, clamoribus exciti, quid facerent, qua „ erumperent, qua hoſtibus reſiſterent, non ſatis ſciebant. Milites quoque, & „ ſocii eorum non minus, quam Duces, tam repentina hoſtium irruptione per- „ culſi, arma, & caſtra deſerere; Hunni fugientes perſequi; tota nocte cædere, „ trucidare, & ferro omnia delere. Luceſcente die inſequenti Hunni, ut ſe & „ milites cæde hoſtium nocturna jam feſſos reficerent, in valle *Tharnok*, non „ longe a *Potentiana* urbe, caſtra metantur. Hac clade, & internecione ſuorum „ *Detricus*, & *Maternus* vehementer perturbati, verſabant dies & noctes animo, „ quo modo acceptam ignominiam inſigni aliquo facinore delerent. Contractis „ igitur, qui adhuc a clade ſupererant, militibus, & his, ac omnibus aliis quo- „ que, qui in præſidio urbis, atque aliis in locis erant, in ordinem redactis, „ antequam Hunni vires, recenti cæde fatigatas, recuperare poſſent, eos in ipſa „ valle *Tharnok* invadunt. Hunni tum clade noctis præteritæ ſine magno labore „ hoſtibus a ſe illata animati, tum ſuorum multitudine confiſi, ſtrenuo animo „ contra hoſtes tendere, acriter ſe defendere Duces partitis inter ſe exercitus „ ordinibus, quisque nunc monendo, hortando, nunc hoſtium impotentiam, „ & paucitatem elevando, ut milites acrius fortiusve hoſtibus inſiſterent, ſum- „ mam operam navare; nunc ubi hoſtes vehementius urgerent, etiam ipſi con- „ currere, ſtrenue ſe gerere, pugnare, & virtutis ſuæ facinora edere. Contra

„ Romani quoque haud ſegniter Hunnorum impetum propulſabant, ſe, vitamque „ tutabantur, magnam noſtrorum cædem, ſtragemque edebant; memores de fa- „ cultatibus, imperio, & ſalute ſua in eo agi certamine. Fit igitur atrox pugna, „ magna utrinque ſtrages; campus utriusque partis cadaveribus conſternitur. A „ prima luce cædes ad ſolis occaſum protrahitur. Qua ex re virtutem utriusque „ populi, quantum quisque manu & robore valeret, poſſetque, ſatis cerneres. „

„ Verum declinante jam ſole, res Hunnica fit inferior, ob præteritæ „ noctis vigilias, inquietem, & labores. Dant igitur noſtri terga. Quos quia jam „ pugnando defeſſi erant, *Detricus* & *Maternus* perſequi non potuerunt. Hunni „ ea, qua prius, celeritate Danubium trajicientes, ad caſtra, quæ ultra eum re- „ liquerant amnem, rediere. Centum & viginti quinque millia Hunnorum in ea „ pugna deſiderata eſſe traduntur: inter quos etiam *Kewe*, unus e Ducibus, in- „ terficitur. Hoſtium vero ducenta, & decem millia dicuntur cæſa, præter eos, „ qui in caſtris periere. Funeſta ſane pugna, & memoratu digna. Sequenti die „ *Detricus*, & *Maternus*, etſi victores, noluerunt tamen Hunnorum reditum eo „ loci expectare, ac prælium ſequens, quod futurum eſſe rebantur, tanto ſuo- „ rum periculo committere. Cum militum igitur ſuorum reliquiis Tulnam oppi- „ dum verſus, quod a Vienna, nunc Auſtriæ civitate, olim non multum aberat, „ celeri itinere ſe ſe recipiunt. Hunni accepta hac hoſtium fuga, in campum, „ ubi erat pugnatum, revertuntur: in quo conquiſitis ſuorum cadaveribus, ma- „ xime vero *Kewe* Ducis, ea juxta viam publicam more Scythico magna pompa „ ſepeliunt. Quo in loco ſtatuam ponunt lapideam, rerum ibi geſtarum apud po- „ ſteritatem monumentum. Huic loco additum nomen *Keweháza*, id eſt, Do- „ mus *Kewe*, qui nunc mutatis, & detractis literis *Keazo* adpellatur. Poſt, ubi „ ſuorum funeribus Hunni more ſuo parentarunt, non multo tempore omnem „ Pannoniæ inferioris regionem, quæ circa Danubium eſt, partim vi, partim „ deditione ſubigunt. In qua uxoribus, liberis, & omni familia collocatis, for- „ tunam ulterius experiundam rati, magno exercitu, quem ex omni plebe jam „ rurſus validum conſcripſerant, victoria ſuperiore elati, *Tulnam* oppidum ver- „ ſus contendunt. „

„ *Detricus*, & *Maternus* poſt prælium antea confectum coacto novo mi- „ lite in campo Kesmawr eis occurrunt. Noſtri ſtatuunt prius mori, quam pu- „ gnam detrectare, ac loco cedere, & virtutis ſuæ priſtinæ tot jam laboribus, „ & periculis partæ, gloriam obſcurare. Primi igitur aciem inſtruentes, in ter- „ rorem hoſtium clamorem terrificum edere, tympana more patrio pulſare, ja- „ culis, ac telis hoſtem eminus ferire, ordines turbare cœperunt: ubi turbata „ omnia vident, impreſſione facta cominus pugnare. Nec *Detricus* cum ſuis rem „ ſegniter gerebat. Qua impetus, & vis major ingruerat, ea noſtris reſiſtere, & „ ſe, ſuosque ſtrenue defendere. At Hunni, in quam partem incubuerant, omnia „ proſternere. A primo diluculo ad horam diei nonam acerrime pugnatum eſt.

„ Ad extremum hoſtes multis acceptis vulneribus terga vertunt. Hunni quoscun-
„ que fugientes conſequi poterant, paſſim omnes trucidant. *Maternus* ea pugna
„ obtruncatus eſt. *Detricus* in fronte graviter vulneratus vix evaſit; ex quo vul-
„ nere ægre tandem convaluit. Ob quod vulnus acceptum, cognomen *Detrico*
„ ab Hunnis inditum immortalis, quem in hunc diem Hungari in ſuis cantioni-
„ bus, more græco hiſtoriam continentibus, *Detricum immortalem* nominant. Teli
„ hujus, quo fronte ictus erat, partem, ut plagæ acceptæ cicatrice, & teli
„ fragmento fidem Imperatori faceret, dicitur Romam tuliſſe. Tantum ſanguinis
„ in loco pugnæ fluxit, ut campus fere totus cruore maduerit. Nec Hunni læ-
„ tam, & incruentam victoriam ſunt conſecuti, nam quadraginta millia ex eis
„ occiſa eſſe dicuntur; inter quos *Bela*, *Keme*, & *Cadicha* Duces occubuere,
„ quorum corpora ad ſtatuam lapideam, de qua ſupra diximus, in ſepulcro *Keve*,
„ tradita ſepulturæ ſunt. Hoſtium maxima pars concidit, præter paucos, qui
„ elabi fuga potuere. Nihil poſt eam pugnam tentatum fuit contra noſtros, nec
„ a Germanis, nec ab aliis hoſtibus; ita duorum præliorum ſtrage, ac calami-
„ tate vires eorum fuerunt debilitatæ, & conciſæ. Potiti hac Hunni victoria,
„ jam univerſæ Pannoniæ, & regionibus his, quæ *Materno* ſuberant, libere im-
„ peritare cœperunt „ *f*).

Eadem, ſed ſtylo horridiore, tradit Chronicon *Simonis de Keza*, & *Thuroczianum*. Immo ipſe *Nic. Olahus* non aliis, quam his fontibus, ac nonnullis popularium ſuorum cantilenis uſus eſt: qui tamen, ad majorem narrationi ſuæ fidem conciliandam, quædam ab aliis relata, quod minus veriſimilia viderentur, ſponte reticuit, quædam vero immutavit. Ceterum haud immerito hodierni critici hanc totius belli narrationem inter figmenta, & fabellas medii ævi referunt. Nam, præterquam quod apud neminem ex coævis, aut proximis illi ætati auctoribus, Hunnici hujus belli mentio reperiatur, permulta ejus deſcriptioni inſunt, quæ nec temporibus, nec rebus, nec perſonis congruunt. Ita, exempli cauſa, *Thuroczius* hoc bellum ad annum 373. refert, ſcribitque Pannoniam hoc tempore incoluiſſe *Longobardos*, ac *Matrinum* (Olaho *Maternum*) Pannoniæ tetrarcham, natione *Longobardum* fuiſſe, *Sabaria* oriundum *g*). Idem de *Macrino* tradit *Simon Keza*. Quod verum eſſe nequit, quoniam ex antiquis Scriptoribus conſtat, *Longobardos* non prius, quam ſæculo æræ Chriſtianæ ſexto in Pannoniis conſediſſe. Eidem *Matrino*, ſeu *Macrino*, aut *Materno*, præter Pannonias attribuunt Achajam, Macedoniam, ac Thraciam; *Keza* vero inſuper Pamphyliam, & Phrygiam: quod a veritate prorſus abhorret; cum certum ſit, has provincias ad Orientis Imperium pertinuiſſe; Pannonias autem occidentali Imperio tunc temporis adſcriptas fuiſſe. Ad hæc, circa illud tempus longe alii erant

f) *Nic. Olahus* l. ſupr. cit.
g) L. ſupr. cit.

Magiſtratus in Pannoniis; nempe Præfectus Prætorio Illyrici erat *Probus*; Magiſter militiæ *Equitius*; Præſes Pannoniæ primæ *Frigeridus*, & poſt hunc *Maurus*; Præſes Conſularis Pannoniæ Secundæ *Meſſala*; Dux Valeriæ ripenſis *Marcellianus*, cui, ut infra dicetur, ſucceſſit *Majorianus h)*. Incredibile quoque eſt, Hunnos finito illo bello, non tantum univerſis Pannoniis, ſed etiam aliis omnibus provinciis, quibus *Maternum* præfuiſſe ſcribit *Olahus*, imperitare cœpiſſe, nimirum utrique Mœſiæ, Thraciæ, Macedoniæ, Achajæ. Præterea urbis *Potentianæ*, apud quam primus fuerit conflictus, nullum apud veteres extat veſtigium: *Buda* quoque eo tempore non *Sicambria*, ſed *Acinci* nomen habuit. Accedit, quod huic bello velint interfuiſſe *Attilam*, ætatis jam maturæ, unumque e Ducibus. Unde *Keza*, & *Olahus* tradunt, *Attilam* eodem mox anno, quo bellum terminatum erat, Regia dignitate fuiſſe ornatum: *Thuroczius* vero id ad viceſimum a finito bello annum, id eſt, ad annum Chriſti 393. rejicit. Quorum nihil omnino cum chronotaxi vitæ Attilanæ conciliari poteſt. Obiit quippe *Attila* anno 454, non multo major *quinquagenario*, uti jam hodie e *Priſco* Rhetore, aliisque monumentis evictum eſt. Unde patet, *Attilam* huic prælio, quod ſecundum Chronicon *Thuroczii* anno 373. geſtum eſt, intereſſe non potuiſſe. Minus vero eidem intereſſe potuit, ſi illud referas ad annum in Chronico *Simonis de Keza* notatum, vel 318. uti eſt in MS. Vindobonenſi, vel ad *ſeptingenteſimum*, uti habet aliud, quod Cl. P. *Horanyi* ediderat *i*).

Itaque ſeu Chronotaxim, ſeu res alias ſpectemus, bellum illud in Pannoniis aut nunquam, aut certe non occaſione primi Hunnorum in Pannonias ingreſſus, ſed alio quopiam longe poſteriore tempore geſtum fuerit. Celeberr. *Pray* ſuſpicatur, in illa prælii deſcriptione ſub nomine *Detrici*, Germaniæ Præfecti, intelligi oportere *Theodoricum*, Gothorum Regem, qui anno poſt Attilæ mortem *viceſimo*, ſive poſt Chriſtum natum 474. alterna cum Hunnis fortuna pugnavit *k*). Momentum hujus conjecturæ is Auctor petit ex quodam Annalium, lingua teutiſca ſcriptorum fragmento, per *Lazium* vulgato *l*). *Deſericius* ex adverſo mavult hoc ipſum bellum (modo ejus narratio a fabellis depuretur) ad annum 428.

---

h) Hæc ex Amm. Marcellino, & Zoſimo, aliisque veteribus certa ſunt.

i) Cap. 2. p. 36. Ad hunc *Simonis de Keza* locum ita commentatur *P. Alexius Horanyi* in adjecta l. cit. nota: *Perperam*, inquit, *MSS. Vienn. CCCXVIII. annum adſignat. Sed neutri fides habenda erit; quomodo enim Attila ſeptennis inter Duces & Capitaneos locum habere potuit? Vero ſimilior mihi videtur eſſe annus Chriſti in Thuroczio CCCLXXIII. quo Attila quinquagenario major, ætate, & potentia eminuit.* At neque id recte: nam ſi *Attila*, uti in hac nota ſupponitur, anno 318. *ſeptennis* erat, dicendum eſt; illum anno 373. non *quinquagenario*, ſed jam *ſexagenario* majorem fuiſſe, id eſt, 62. annorum. Hoc autem credere abſurdum eſt: jam enim ex Priſco Rhetore, aliisque monumentis conſtat, *Attilam* obiiſſe anno 454. cum eſſet non multo major *quinquagenario*.

k) Annal. vet. Hunnor. p. 74. Seq.

l) Comment. de Rep. Rom. Lib. 12. Sect. 3. cap. 1.

affigere, quo & *Attilam* regno potitum eſſe credit *m*). Sed repugnat huic ſententiæ imprimis *Priſcus* Rhetor, e cujus Excerptis fide digniſſimis conſtat; *Attilam* non prius, quam anno 434. cum fratre *Bleda* regnare cœpiſſe; dein *Marcellinus Comes* eidem adverſatur, qui Hunnos jam ante *Hierii*, & *Ardaburis* Conſulatum, ſeu ante annum 437. quinquaginta annis Pannonias tenuiſſe, eoque ipſo primum Hunnorum in Pannonias ingreſſum jam anno 377. contigiſſe teſtatur *n*).

CAPUT II.

Auctoritas Marcellini Comitis de occupata anno 377. ab Hunnis Pannonia defenditur, ſtatusque Pannoniarum illius temporis deſcribitur.

AUCTORITATEM *Marcellini Comitis* de occupata anno 377. ab Hunnis Pannonia in dubium vocat *Joannes Severinus o*). Præcipua ejus ratio eſt, quod *Marcellinus Comes* ab hoc Hunnorum in Pannoniam ingreſſu fere ſeſquiſæculo abfuerit, quodque vetuſtior alter *Marcellinus*, prænomine *Ammianus*, nullam ejus rei mentionem faciat, uti nec alii coævi, aut ætate proximi auctores. Immo ait apud hos multa reperiri, ex quibus colligere poſſis, Pannonias in poteſtate Romanorum uſque ad *Attilam* manſiſſe. Quamobrem *quis te*, inquit, *Hunnorum*, *Martia Acincus*, *Bononia*, *Bregetio*, *Siſcia*, *Murſa*, *Sabaria; quis te claritate, & magnitudine ante omnes Pannoniæ urbes memorabile Sirmium*; *quis te huic ea tempeſtate parem Vindobonam*, *ſic vel armis cepit*, *vel oratione reconciliavit*, *ut tantæ rei fama ad Ammianum*, *aliorumque aures non perveniret? Credin' tu iſthæc? ego ſaltim id a me impetrare nequeo p*).

Hæc nempe ſunt, ob quæ doctiſſimus vir ambigit, ſitne habenda fides *Marcellino Comiti*, aſſeveranti Pannonias anno ſupra memorato per Hunnos occupatas. At vero ſilentium *Ammiani*, quem cæteroquin plura illius temporis ſubticuiſſe certum eſt, teſtimonio *Marcellini Comitis* derogare non poteſt. Nam etſi hic Auctor fere ſeſquiſæculo poſterior fuerit primo Hunnorum in Pannonias ingreſſu, ab illo tamen tempore, quo Pannonias ab Hunnis retentas Romani receperunt, non adeo longe abfuit; ſcripſit enim proximo ab hoc eventu ſæculo, quo res Hunnicæ adhuc in recente omnium memoria fuerant; ſcripſitque in publica Comitis Illyrici dignitate conſtitutus, cui res Pannoniarum, quæ ad Illyricum

m) De initiis ac Majorib. Hungar. Lib. IV. P. 2. Cap. I.

n) In Chronico, *Coſſ. Hierio & Ardabure.*

o) Præf. nova ad Conſpectum Hiſt. Hung. Item Lib. 5. Pann. vet. monum. illuſtratæ pag. 221. ſeq.

p) Ibidem pag. 216.

ſpectabant,

ſpectabant, perſpectas eſſe oportuit. Quod vero ad alios Auctores, a *Severino* laudatos, attinet; ſequenti capite oſtendemus, teſtimoniis illorum non plus effici, quam quod univerſæ Pannoniæ nondum hoc tempore fuerint amiſſæ, ſed urbes quædam, & præſidia in Romanorum poteſtate remanſerint uſque ad *Attilam*. Falſum eſt præterea, nullum ex antiquioribus Scriptoribus reperiri, quem *Marcellinus Comes* hac in re ſibi conſentientem haberet. Conſentit enim illi *Latinus Pacatus*, teſtis geſtæ rei coævus, Vir Conſularis, fide digniſſimus, qui diſertis verbis tradit, Pannonias jam ante Theodoſii Magni Imperium, id eſt, ante annum 379. (adeoque circa annum Chriſti 377.) inter bella, cum Hunnis, Gothis, & Alanis geſta, deperditas fuiſſe. En inſignem ex *Pacati* ad Theodoſium Magnum oratione pericopen, in qua is more Oratorum inducit Rempublicam de cunctatione Theodoſii Magni in acceptando, quod illi offerebatur, Regno hiſce verbis conquerentem: *Parumne me, Theodoſi! hactenus diſtulere fata, ut inſuper tentes moras augere fatorum? an neſcis rem tuam per momenta conſumi? neſcis me tibi, tuisque decreſcere? quidquid atterit Gothus, quidquid rapit* HUNNUS, *quidquid aufert Alanus, id olim deſiderabit Arcadius.* PERDIDI INFORTUNATA PANNONIAS: *lugeo funus Illyrici: ſpecto excidium Galliarum. Principum ſenior in tanta bella non ſufficit: alter etſi futurus ſit aliquando fortiſſimus, adhuc tamen parvus eſt q).*

Calamitatum, ac detrimentorum Reipublicæ Romanæ, quæ a *Pacato* iſthic commemorantur, initium jam annus 367. ab obitu nempe *Valentiniani* Senioris proximus, attulerat. Hoc enim anno portio quædam Gothorum, ab Hunnis expulſorum, in Thracia permiſſu *Valentis* conſedit, magnas haud multo poſt datura turbas. Hoc item anno Hunni Daciam, & regionem Jazygum Sarmatarum inundantes, a Pannoniis ſolo jam flumine Danubio dirimebantur. Eodem anno dira hominum pecorumque lues univerſum corripuit Illyricum. Hanc luem *Pacatus* in ſupra memorato Panegyrico vocat *funus Illyrici.* Ad hanc luem veriſimiliter *S. Ambroſius* reſpexit, hæc ſcribens: *Nos quoque in Illyrico exules paria Gothorum exilia fecerunt, & nondum eſt finis. Quæ omnium facies; lues pariter boum, atque hominum, ceterique pecoris? ut etiam nos, qui bellum non pertulimus, debellatis tamen pares fecerit peſtilentia r).* De hac lue cecinit *Severus Endeleichus* Rhetor, & Poëta Chriſtianus carmen hoc bucolicum s):

Hæc jam dira lues ſerpere dicitur:
Pridem Pannonios, Illyricos quoque
Et Belgas graviter ſtravit, & impio
Curſu nos quoque nunc petit.

q) In Panegyricis Veterum.
r) Comment. in Lucam Lib. IX. c. 21.
s) T. VIII. Bibliothecæ veterum Patrum pag. 207. ex editione Galandii.

Præſentiſſimum vero adverſus illam remedium fuiſſe ſignum Crucis frontibus impreſſum, ſequentibus teſtatur verſibus:

- - - - dic age Tytire
Quis te ſurripuit cladibus his Deus,
Ut peſtis pecudum, quæ populata ſit,
Vicinos, tibi nulla ſit?
Signum quod perhibent eſſe Crucis Dei,
Magnis qui colitur ſolus in urbibus
Chriſtus, perpetui gloria Numinis,
Cujus filius unicus.
Hoc ſignum mediis frontibus additum
Cunctarum pecudum certa ſalus fuit.

Nec tacuit de hac peſte Scriptor coævus *Ammianus*; quippe de extremo Valentiniani, apud Bregetionem Pannoniæ urbem decumbentis, morbo hæc inter cetera ſcribit: *quoniam viſcerum flagrante compage, laxanda erat neceſſario vena, nullus inveniri potuit medicus, hanc ob cauſam, quod eos per varia ſparſerat, curaturos militem peſtilentiæ morbo tentatum t).* Quibus ex verbis illud præterea colligere licet, hoc malum jam autumno anni præcedentis inter milites, ab expeditione Quadica reduces, ſerpere cœpiſſe, quod anno ſubſecuto univerſas Pannonias (adeoque *Sabarienſem* quoque civitatem) ac tandem omne Illyricum, magnamque reliquæ Europæ partem pervaſit, ac funeribus complevit.

Hic rerum ſtatus cum eſſet, ſequente anno ſuperveniunt Hnnnorum agmina, & occupant Pannonias, ſi non ſine omni, certe ſine magno certamine; quippe defenſoribus magnam tunc partem vacuas, tum ob luem præcedentem, tum, quia ſub idem tempus *Frigeridus* Dux cum Pannonicis, ac Tranſalpinis auxiliis in Thracias proficiſci juſſus eſt, *Valenti* adverſus rebelles Gothos opem laturus: tum denique, quia, ut *Pacati* verbis utar, *Principum Senior* (Gratianus) *in tanta bella non ſufficiebat; alter* (Valentinianus junior) *etſi futurus eſſet aliquando fortiſſimus, adhuc tamen puer erat.* In cauſa quoque fuere *Lentienſes* Alemanni, qui tunc Rheno trajecto in Galliarum finibus tumultuati, *Gratianum* Treviris jam diſcedentem coëgere, ut exercitum in Pannonias præmiſſum, medio ex itinere adverſus ipſos revocaret. Ob has igitur cauſas Hunni hoc tempore facile, ut dixi, ac ſine magno certamine Pannonias occuparunt, easdemque, ſive potius magnam illarum partem, accedente poſtea ipſorum Auguſtorum conſenſu, per annos quinquaginta retinuerunt, non ſoli quidem, ſed Gothis, aliisque Barbaris, quos ibi vel jam repererant, vel ſecum adduxerant, permixti; quemadmodum ex hiſtoriæ contextu, quem proſequemur, liquebit.

t) Lib. XXX. Cap. VI.

CAPUT III.

Oſtenditur, non totam Pannoniam anno 377 ab Hunnis fuiſſe occupatam, ſed loca munita, inter quæ Sabaria quoque fuit, manſiſſe in poteſtate Romanorum.

Quonam primum tempore, quave ratione Hunni Pannonias occupaverint, hactenus expoſitum eſt. Nunc ut pateat, nondum univerſas Pannonias in Hunnorum poteſtatem hac vice veniſſe, verum partem quandam Pannoniarum, ac præſertim civitates munitas, inter quas noſtra quoque *Sabaria* fuit, etiamnum a Romanis uſque ad Attilam retentas fuiſſe, juvabit præcipua rerum in Pannoniis ſub *Gratiano*, & reliquis Imperatoribus geſtarum capita percurrere, ac deſcribere. Imperator *Gratianus* poſt domitos Lentienſes Alemannos, quorum triginta millia cecidiſſe perhibet Aurelius Victor, *cum animadvertiſſet Thraciam, Daciamque tamquam genitales terras poſſidentibus Gothis, Taifalis, atque omni pernicie atrocioribus* HUNNIS, *& Alanis, extremum periculum inſtare nomini romano* iter in Pannoniam ſuſcepit; non ex Italia, ut ſcribit *Paulus Diaconus*; verum ex Galliis, teſte *Ammiano*, qui Gratiani iter hunc in modum deſcribit: *Diſpoſitis*, inquit, *quæ pro temporum captu per Gallias res, rationesque poſcebant, & punito Scutario proditore, qui feſtinare Principem ad Illyricum Barbaris indicarat, Gratianus exinde digreſſus per caſtra, quibus Felicis Arboris nomen eſt, & per Lauriacum ad opitulandum oppreſſæ parti porrectis itineribus ire tendebat. - - - Inde præmiſſis impedimentis, & ſarcinis, ipſe cum expeditiore militum manu permeato Danubio delatus Bononiam, Sirmium introiit: & quatriduum ibi moratus, per idem flumen ad Martis caſtra deſcendit, febribus intervallatis adflictus. In quo tractu Alanorum impetu repentino tentatus amiſit ſequentium paucos u*). Ex hac deſcriptione liquet; Imperatorem *Gratianum* toto hoc itinere a ſolis Alanis infeſtatum eſſe; non tamen in Pannoniis (nam uſque Bononiam & Sirmium pacata illi erant omnia, liber quoque in urbem Sirmienſem ingreſſus, libera, ac tuta ibidem per quatriduum commoratio) ſed in ulteriore Danubii, Mœſiam adluentis, alveo Alanos, Hunnorum ſocios, expertum fuiſſe hoſtes. Sunt itaque, quibus incredibile videatur, eo jam tempore Pannonias ab Hunnis poſſeſſas fuiſſe. Verum id non modo *Marcellinus Comes*, ſed etiam *Latinus Pacatus*, tempore *Gratiani* ac *Theodoſii Magni* florens, atque *Ammiano* coævus, diſerte, ut ſupra vidimus, adfirmat. Quid igitur cenſendum?

u) Ammian. Lib. XXXI. Cap. X.

Joannes *Severinus*, ne *Marcellino Comiti* nihil deferre videatur, conjectat, ipſum magis de tributo, quam de poſſeſſione Pannoniæ, per Hunnos occupatæ, ſcribere voluiſſe. Sed hanc interpretationem non patitur *Pacatus*, qui nomine Reipublicæ Romanæ adloquens Theodoſium Magnum; *perdidi*, inquit, *infortunata Pannonias.*

Nec facit quidquam ad conjecturam *Severini* firmandam *Priſcus* Rhetor hæc ſcribens: *Cum Balamerus Scytha fœdera violaret, & Romanorum regiones depopularetur, & multas urbes everteret, Romani ad eum legatos miſerunt, qui de pace violata quererentur. Et, ut deinceps a vexanda incurſionibus regione Romanorum abſtineret, decem & novem auri libras illi quotannis ſolvi conſtituerunt* x). Nam, tametſi quidam nomine *Balameri* iſthic intelligant *Balamberem* Hunnorum Regem y). certum tamen eſt, eos errare; quia *Priſcus* hæc de *Balamero* Gothorum Rege, qui Jornandi *Valamirus* vocatur, ſcripſerat. Certe res a *Priſco* narratæ non aſcendunt ad *Gratiani* tempora, ſed intra *Theodoſii junioris*, *Marciani*, & *Leonis*, *Zenonisque* ætatem continentur; id quod jam *Stritterus* quoque *in Memoriis populorum* obſervavit z). Omne vero dubium tollit *Malchus*, qui res geſtas hujus *Balameri* ſub *Zenonis* Imperio deſcribit a). Rectiſſime proinde *Mathias Bel* ad hunc *Priſci* locum: *Cave*, inquit, *Balamerum hunc, regem illum Hunnorum fuiſſe putes, qui toti Hunniaco Imperio dedit exordia, atque regnandi ordine Mundzuchum Attilæ patrem anteivit. Non eſt ita! Quis vero tandem? Diſcas id ex hiſtoria Malchi de rebus Byzantinis, in cujus fragmentis multa de ejus actibus ſcitu digniſſima legas. Valamir dicitur Jornando in Geticis; filiorum Attilæ debellator* b).

Alii ex adverſo arbitrantur, ideo tutum fuiſſe Imperatori *Gratiano* iter per Pannonias, tutamque Sirmii commorationem, quia Hunni hoc tempore Pannonias non tam vi, quam conceſſu ipſius *Gratiani* & *Valentiniani junioris* tenuerint, eaque de cauſa non jam ut hoſtes, ſed tamquam ſocii, & amici Romanorum habiti fuerint. Equidem conjectura hæc multum habet veriſimilitudinis, ſi res poſterioribus aliquot annis in Pannoniis geſtæ conſiderentur: verum nunc aliter exiſtimandum eſſe ſuadet *Zoſimus*, qui ſcribit, hac ipſa tempeſtate, qua Imperator *Gratianus* Sirmium a Caſtris Martis reverſus, Theodoſium Magnum ad Imperii conſortium vocabat, *loca quædam Pannoniarum ab hærentibus ibidem Barbaris vexata fuiſſe* c). Hæc enim haud obſcure indicant, Hunnos in Pannoniis hærentes, nondum tunc ſocios & amicos Romanorum,

x) *Severinus* in Pann. vet. monum. illuſtr. Lib. 5.

y) *Pray* Annal. Hunnor. pag 72.

z) T. I. Mem. pop. p. 477. Not. c.

a) Excerpt. de legationib. T. I. Script. hiſt. Byzant.

b) In Notis ad Excerpta Priſci Rhet. Extat in Adparatu Hung.

c) *Zoſimus* hiſt. lib. IV.

ſed hoſtes fuiſſe. Valet vero idem hic *Zoſimi* locus ad confirmandam ſententiam noſtram, ſecundum quam Hunni tempore *Valentis & Gratiani Auguſtorum* Pannonias ita occuparunt, ut nihilominus complures urbes munitas, & caſtella in poteſtate Romanorum reliquerint. *Non* enim *neceſſe eſt*, inquit RR. *Pray d). ut Hunni eadem opera, Pannoniæ urbes ſupra memoratas obſederint, & obſidione cinctas in poteſtatem redegerint. Cui enim bono Hunnis urbes obſidendæ eſſent*, *qui*, *Ammiano teſte*, *ædificiis nullis unquam tecti*, *ſed hæc velut ab uſu communi diſcreta ſepulcra declinabant e*). Id genus molitiones Hunni nonniſi ſerius, & Romanorum jam artibus edocti tentarunt, nunc paſcuis & dio contenti. Conformia ſunt hæc illis, quæ *Ammianus* de Gothis quoque tradit, qui ſub idem tempus Hunnis & Alanis permixti Thracias invaſerunt. Horum Dux *Fritigernus*, *pacem ſibi eſſe cum parietibus* dictitans, perſuaſit popularibus, ut omiſſis locis munitioribus, vacuas dumtaxat præſidiis regiones adorirentur *f*).

Hunnis ergo circum hæc tempora Pannonias tenentibus, in poteſtate Romanorum permanſere civitates *Sirmium*, *Siſcia*, *Acincum*, *Sabaria* cum agris adjacentibus, & nonnulla alia loca munita. Ac de *Sirmio* quidem, & *Siſcia* nullum eſſe dubium poteſt: conſtat quippe ex hiſtoria illius ætatis, Romanos Imperatores apud *Sirmium* deinceps quoque, tamquam in urbe ſua commoratos fuiſſe. Illic *Gratianus Auguſtus* iteratis vicibus ſubſtitit; primum, uti jam dictum eſt, cum in Orientem proficiſci vellet; dein, cum ex Mœſia reverſus eſt intellecto *Imperatoris Valentis* interitu. Hac vero vice ſub finem anni 378 comitia quoque Conſularia *Sirmii* celebravit, quibus *Auſonium*, Burdigalenſem Poëtam, præceptorem ſuum, grati animi cauſa Conſulem cum *Olybrio* declaravit. In eadem urbe varias edidit conſtitutiones, inter quas illa præcipue memorabilis fuit, quæ hæreticis libertatem religionis conceſſit, exceptis tantum Manichæis, Photinianis, & Eunomianis. Meminerunt hujus conſtitutionis *Socrates*, & *Sozomenus g*). Revocata vero, & antiquata erat per legem V^tam^ *de hæreticis*, ab eodem *Gratiano* Mediolani datam. In eadem urbe Sirmienſi *Gratianum Theodoſium*, ex Hiſpania ante evocatum, & rei militari per Orientem Præfectum, conſtituit Orientis Imperatorem XIV. Kal. Febr. anno 379 *Antonio & Olybrio Coſſ.* uti eſt in Chronico *Marcellini Comitis*.

Sequente autem anno 380. vidit urbs Sirmienſis non modo *Valentinianum Juniorem*, ejusdemque matrem *Juſtinam*, verum etiam S. *Ambroſium*, Mediolanenſium Antiſtitem. Quænam adventus *Valentiniani* cauſa fuerit, haud ſatis conſtat: *fortaſſe*, inquit Sigonius, *ad Pannoniam ab incurſionibus Barbaricis de-*

---

d) Diſſ. X. in Annales Vet. Hunn. p. 223.

e) Ammian Lib. XXXI. Cap. 2.

f) Idem l. cit. Cap. VI.

g) Socrates lib. V. cap. 2. Sozomenus lib. VII. cap. 1.

fendendam. Quod interpretari licet de reſiduis Pannoniæ civitatibus, quas Hunni intra Pannoniam hærentes, uti e *Zoſimo* dictum eſt, incurſionibus ſuis divexabant, defendendis. Quod autem ad *S. Ambroſium* attinet: is venerat *Sirmium* ad conſecrandum *Anemium* Epiſcopum catholicum. Narrat *Paulinus Nolanus*, tum primum *Juſtinam Auguſtam* odium ſuum adverſus illum Præſulem, acrem Arianorum hoſtem, effudiſſe; quippe convocata populi multitudine, ipſum a conſecrando Epiſcopo impedire, atque Eccleſia ejicere nitebatur: quo tempore virgo quædam Arriana, *Juſtinæ* auctoritate fulta, audax facinus perpetravit. Nam progreſſum in tribunal *Ambroſium* prehenſa veſte ad partem mulierum traducere ſatagebat, ut ab iis cæſus de Eccleſia pelleretur. Cui ille dixit: *Etſi ego indignus tanto ſacerdotio ſum, tibi tamen non convenit manum Sacerdoti injicere; quare debes Dei judicium extimeſcere, ne quid tibi adverſi contingat.* Hoc dictum triſtis eventus proxime eſt ſecutus: poſtridie enim Virgo e vivis exceſſit, ejusque funus comitatus eſt *S. Ambroſius h*). Quæ cum *Sirmii* hoc tempore acta ſint, patet hanc civitatem etiamnum in Romanorum ditione manſiſſe. Rem eandem confirmant Numi, capitibus *Gratiani*, *Valentiniani II*, *Theodoſii*, & *Arcadii*, notisque *S*IRM. vel SISC. ſignati. Niſi enim *Sirmium*, & *Siſcia* ſub his quoque Imperatoribus ad Romanos pertinuiſſet, idgenus monetæ romanæ neutiquam ibi percuſſæ fuiſſent.

Eodem modo in Pannonia Valeria retentum ab Romanis fuiſſe *Acincum*, & nonnulia alia loca munita, teſtis eſt *Sidonius Apollinaris*, qui prodit *Majorianum* circa hæc tempora Ducem fuiſſe Valeriæ ripenſis. Ejus verba ſunt:

Fertur Pannoniæ, qua Martia pollet Acincus
Illyricum rexiſſe ſolum cum tractibus Iſtri
Hujus Avus: nam Theudoſius, quo tempore Sirmi
Auguſtum ſumpſit nomen, per utramque Magiſtrum
Militiam, ad partes regni venturus eoas
Majoranum habuit i).

Idem de *Sabaria* colligere licet e *Zoſimo*, qui ſcribens de *Honorio* Imperatore; *Generidum*, inquit, *Dalmaticis militibus præfecit, eundemque ceterorum etiam, quicunque per Pannoniam Superiorem, & Noricos, & Rhætos, & quidquid horum eſt uſque ad Alpes, in præſidiis erant, Ducem conſtituit k*). Hinc enim eluceſcit, Præſidia Pannoniæ Superioris, adeoque *Sabariam* quoque retentam fuiſſe a *Romanis*, tametſi alia ejusdem Provinciæ loca, præſidiis deſtituta, Hunni occuparint.

h) *Paulinus* in vita S. Ambroſii.
i) In Panegyrico ad Majorian. Aug.
k) Lib. V. p. m. 363.

CAPUT IV.

De iis, quae primum Hunnorum in Pannonias ingreſſum ſubſecuta ſunt per annos 50.

Rebus Hunnorum in Pannoniis plurimum commodi attulit annus 382, quo *Maximus* in Britannia, & Gallia tyrannidem arripuit. Tunc enim ab Imperatoribus *Gratiano*, & *Valentiniano Juniore*, quibus ſatagendum erat, ut Imperium ſuum adverſus potentiſſimum invaſorem quacumque demum ratione tutarentur, firmatæ ſunt Hunnis in Pannonia ſedes, & fœdus ea, ut videtur, lege datum, ut contenti terris hactenus occupatis, urbes, & præſidia ſinerent juris eſſe romani, ſtipendiisque conducti contra *Maximum*, & alios Reipublicæ romanæ hoſtes militarent. *Hainſizius* hoc fœdus cum Hunnis a ſolo *Valentiniano Juniore* initum arbitratur, idque anno 383. quo *Gratianus* a ſuis prope Lugdunum deſertus, nefario Andragathii Ducis ſcelere peremptus fuit. Sed prior ſententia propius ad verum accedit; nam *Gratianus*, quamprimum de *Maximi* tyrannide nuncios accepit, perterritus, ne perfidia ad plures legiones romanas manaret, Hunnos duce *Gauno* ſibi conciliavit, eosque contra *Maximum* accivit. Ceterum Hunni, interveniente *Gratiani* morte, poſthac a Valentiniano non contra *Maximum*, ſed contra Juthungos, qui Rhætias invaſere, *Bautonis* conſilio adhibiti ſunt; victisque Juthungis, per Alemanniam in Pannonias rediverunt, auro deliniti. Teſtem hujus rei habemus S. *Ambroſium*, qui data ad *Valentinianum Auguſtum* Epiſtola, ſuum cum *Maximo* Tyranno colloquium ita deſcribit: *Vide autem*, inquit, *quid interſit inter tuas minitationes, & Valentiniani Auguſti pueri manſuetudinem. Tu flagitabas, quod Barbarorum ſtipatus agminibus Italiæ te infunderes: Valentinianus Hunnos atque Alanos adpropinquantes Galliæ per Alemanniæ terras reflexit. Quid habet invidiæ, ſi Bauto barbaros cum barbaris fecit decernere? Quoniam dum tu militem romanum occupas, dum is adverſum ſe utrinque prætendit, in medio romani Imperii ſinu Juthungi populabantur Rhætias, & ideo adverſus Juthungum Hunnus accitus eſt. Idem tamen, quia de finitimo proterebat Alemanniam, & jam de vicinia mali urgebat Gallias, coactus eſt triumphos ſuos deſerere, ne tu timeres. Confer utriusque factum. Tu feciſti incurſari Rhætias, Valentinianus ſuo tibi auro pacem redemit l*).

Imperio Hunnico, per Dacias, & Pannonias diffuſo, hiſce temporibus præfuit *Balamber*, cui anno 387. *Charatonem* ſucceſſiſſe RR. *Pray* in Annalibus

l) T. I. Operum S. Ambroſii, Claſſe I. Epiſt. 28. p. 946.

ſuis ſcripſerat, verum poſtea mutavit opinionem, ac *Diſſertatione X.* dubium eſſe innuit, an non *Charaton* Aſiaticis potius, quam Europæis Hunnis præfuerit. Utcunque tamen id ſit; Hunni tam Dacici, quam Pannonici anno 388. præclaram navarunt operam *Theodoſio Magno* dum is ad vindicandam *Gratiani* necem, & ad reſtituendum *Valentinianum juniorem*, ex Italia pulſum, contra *Maximum* movit. Magnam tunc exercitus Theodoſiani partem effeciſſe Hunnos cum ſociis Gothis, & Alanis, teſtatur *Latinus Pacatus*, qui & fidem illorum, Imperatori Romano adſtrictam, aliasque virtutes militares hiſce verbis deprædicat: *O res digna memoratu! ibat*, inquit, *ſub ducibus, vexillisque romanis hoſtis aliquando romanus, & ſigna, contra quæ ſteterat, ſequebatur; urbesque Pannoniæ, quas inimica dudum populatione vacuaverat, miles impleverat. Gothus ille, &* HUNNUS, *& Alanus reſpondebat ad nomen, & alternabat excubias, & notari infrequens verebatur. Nullus tumultus, nulla confuſio, nulla direptio, ut a Barbaro, erat. Quin ſi quando difficilior frumentaria res fuiſſet, inopiam patienter ferebat, & quam numero arctarat annonam, comparando laxabat, pro omni præmio omnique mercede id unum repoſcens, ut Tuus diceretur* m). His ergo auxiliis inſtructus *Theodoſius*, duobus primum præliis *Marcellinum*, fratrem *Maximi*, vicit; uno nempe apud *Siſciam* in Pannonia Savia, altero ad *Pœtavionem*, Norici urbem, Pannoniis finitimam. Dein caſtra uſque *Aquilejam* promota ſunt, tanta celeritate, ut uno impetu & urbs, & *Maximus* caperetur *n*), qui arreptæ tyrannidis pœnas haud multo poſt capite luit, quemadmodum id ei a beato *Martino Sabarienſi* prædictum fuiſſe, perhibet *Sulpicius Severus o*).

Non minus ad victoriam momentum *Theodoſio* attulerunt Hunni anno 394. adverſus *Eugenium*, qui ſublato per *Arbogaſtem* Comitem *Valentiniano juniore*, Imperium Occidentis invaſerat. Conflictus erat initus VIII. Idus Septembris prope Aquilejam ad *Amnem Frigidum*, magna utrinque clade, quæ in Theodoſiano exercitu ad HUNNOS potiſſimum, & Gothos pertinebat. Verum poſt pugnam pertinacem, diuque ancipite fortuna ferventem, meliori tandem cauſæ favit Numen, capto ac interfecto *Eugenio p*). Abhinc *Theodoſius Magnus* utriusque jam Imperii Auguſtus Mediolanum diſceſſit, ubi quarto poſt menſe vivere deſiit, diviſo inter filios *Arcadium*, & *Honorium* Imperio, quorum ille ſub tutore *Rufino* Orientem cum Thracia; iſte vero ſub cura *Stiliconis* Occidentem accepit regendum *q*). Eodem tempore civitates quoque Pannoniæ, quas Hunni non inſederunt, inter Auguſtos fratres ita diviſæ ſunt, ut *Sabaria* cum nonnullis

---

m) Paneg. ad Theod.

n) *Zoſimus* l. IV. c. 46. *Marcellinus* Comes, & *Proſper* in Chronicis. *Socrates* hiſt. eccl. l. V. c. 24.

o) De vita S. Martini cap. 20.

p) Vid. Chronicon Alexandrinum. *Socrates* lib. V. c. 24. *Claudianus* in III. Conſulatu Honorii.

q) *Philoſtorgius* lib XI. c. 2. *Zoſimus* lib. IV. *Sozomenus* lib. VII. c ult. *Theodoretus* lib. V. c. 25.

aliis

aliis Pannoniæ ſuperioris præſidiis obtigerit *Honorio*, pro quo *Generidus*, ut ſupra dictum eſt, iis præfuerat; *Arcadio* autem ceſſerit *Sirmium* cum quibusdam aliis Pannoniæ Saviæ civitatibus. Atque hinc eſſe arbitror, cur ſubſcriptio *Sirmii*, & *Siſciæ* in *Arcadii* tantum, non item in *Honorii* numis reperiatur.

Sub *Arcadio*, & *Honorio* Auguſtis ingentes in utroque Imperio turbas ambitione ſua concivere *Rufinus*, & *Stilico*. Quibus durantibus Hunni quoque tam Dacici, quam Pannonici ſuas agebant partes. Utrique autem ab uno eodemque Rege, cujus tunc ſedes in Dacia fuit, pendebant. Regum, qui *Attilam* præceſſere, nomina ſunt: *Balamber*, *Uldinus*, *Mundzuchus*, *Octarus*, & *Ruas*. Nonnulli poſt *Balamberem* interſerunt *Donatum*, & *Charatonem*, quorum fit mentio in fragmentis *Olympiodori* apud *Photium*. Verum de *Donato* dubium eſt, an fuerit Hunnus? *Charatonem* autem Aſiaticis dumtaxat Hunnis imperaſſe, veriſimilius eſt. Id ſane conſtat, ætate *Arcadii* & *Honorii* Hunnis Europæis præfuiſſe *Uldinum*, qui de utroque Imperatore egregie meritus fuit; de *Arcadio* ſcilicet in bello contra *Gainam* rebellem; de *Honorio* autem in prœlio contra *Radagaiſum* habito. *Gainas* nempe a *Stilicone* ad opprimendum *Rufinum* & *Eutropium* cum exercitu miſſus, his ſublatis, arma in ipſum Imperatorem *Arcadium* corripuit, ſocio uſus *Tribigildo*. Poſt magnas ſtrages in Oriente editas, demum a *Fravitta* victus, fugatusque Iſtrum trajecit, ut ſe ſe Gothis popularibus ſuis conjungeret. At vero *Uldinus*, ſive, ut *Zoſimus* ſcribit, *Uldes*, *Hunnorum eo tempore Princeps*, *non tutum arbitratus eſſe*, *homini barbaro*, *ſuas habenti copias*, *permittere*, *ut trans Iſtrum haberet domicilium*, *prætereaque ratus*, *Imperatori ſe Romano rem gratam facturum*, *ſi hunc expelleret*, armatus venienti occurrit, conſertoque prælio *Gainam* interſecit, capite ipſius ad *Arcadium* miſſo, a quo idcirco muneribus exultus eſt, icto ſimul cum Romanis fœdere *r*). Factum hoc Marcellinus Comes in Chronico refert ad III. Nonas Januarii *Vincentio & Fravitta Coſſ.* id eſt, ad annum Chriſti 401. Idem de *Radagaiſo* per *Uldinum* ſuperato, Conſulibus *Arcadio Sextum & Probo*, ſive anno 406. hæc notat: *Radagaiſus paganus & Scytha cum ducentis millibus ſuorum totam Italiam inundavit. Huldin*, *& Sarus*, *Hunnorum*, *Gothorumque Reges*, *Radagaiſum continuo devicerunt*, *ipſius capite amputato*, *captivos ejus ſingulis aureis diſtraxerunt s*).

Ceterum his temporibus Hunni, ſtipendio conducti, partim Romanorum, partim Gothorum ſigna ſequebantur. Si *Aventino* fides, pars Hunnorum etiam in ipſo *Radagaiſi*, cujus paullo ante meminimus, exercitu militabat. *Veſegothæ*, inquit ille, *primi fœdus exuunt relicta Thracia; triplici agmine recta in Italiam tendunt*, *ſpe potiundæ Romæ. Radagæſus cultorum Deorum agmen ducebat: qui Chriſtiani erant ſub Alarico militabant. Honorius tum Ravennæ verſabatur*, *fugamque orna-*

---

r) *Zoſimus* lib. V. p. m. 322. Chronicon Alexandrin. *Socrates* lib. VI. cap. 6.
s) Chronicon Marcellini: & *Jornandes* de regnor. ſucceſſ.

bat in Gallias. Alaricus in ſubſidiis intra Padum , & Atheſim amnes ſe ſe continuit. Tertiam manum Hunnorum, & Getarum Uldinus, & Sarus ducebant. Rhadagæſus in Tuſciam penetravit. Tum ſubjungit: *Stiliconem* ingentibus pollicitationibus, & muneribus effeciſſe, ut Getæ cum *Alarico*, Alani cum *Goaro*, Hunni, & Gothi cum *Uldino*, & *Saro* in Romanas partes tranſirent, atque his demum auxiliis omnes reliquas *Radagaiſi* copias ad internecionem fuiſſe deletas *t*). Quibus ex fontibus hæc *Aventinus* hauſerit, incertum eſt: ex antiquis enim Auctoribus, vulgo notis, unicus eſt *Proſper Aquitanus*, qui *Radagaiſum* in Italiam cum *Alarico* irrupiſſe tradit. *Stilicone*, inquit, *& Aureliano Coſſ.* (anno Chriſti 400.) *Gothi Italiam Halarico & Rhadagaiſo Ducibus ingreſſi u*). Verum *Gouri*, *Uldini*, & *Sari* nulla illic mentio : ceteri quoque Auctores ita ſcribunt , ut nullatenus appareat, aliquam armorum ſocietatem fuiſſe Radagaiſo cum Ducibus, Regibusve modo memoratis. Immo vero, ſi *Marcellinum Comitem*, *Oroſium*, & *Zoſimum* conſulamus, *Uldinus*, & *Sarus* cum Hunnis, & Alanis a Stilicone evocati, recta in Italiam adverſus *Radagaiſum* advenere. Quod autem *Alaricum* concernit, certum eſt e *Zoſimo*, hunc auxiliis Hunnorum, quæ illi *Ataulphus*, ſuæ Conjugis frater, e *Pannonia Superiore* adduxerat, uſum fuiſſe *x*). Sed, ut hæc majore in luce collocentur, expeditiones *Alarici* breviter a principio deſcribendæ ſunt.

Alaricus permoleſte ferens, quod, poſt navatam *Theodoſio Magno* contra *Eugenium* Tyrannum operam, nulla peculiari dignitate in exercitu romano exornatus fuerit, primo *Arcadii* ſe ſe hoſtem declaravit, collectisque diverſarum gentium Barbaris, Macedoniam, ac Theſſaliam, dein Atticam, ac Peloponneſi urbes vexare, ac depopulari cœpit; *Rufino*, *Arcadii* tutore, non ſolum non impediente, verum clam etiam adjuvante, ut ſcilicet in maxima rerum perturbatione viam ſibi ad Imperium ſterneret. Miſſus cum claſſe in Peloponneſum *Stilico*, ipſe quoque *Alaricum* impune in Epiros elabi paſſus eſt, redux autem in Italiam perſuaſit *Honorio* Auguſto, ut *Gainam* cum exercitu mitteret Conſtantinopolim, ſpecie quidem ſubſidii *Arcadio* fratri mittendi, reapſe vero ad *Rufinum* e medio tollendum. Sublato *Rufino*, cum in hujus munere, & potentia ſucceſſiſſet *Eutropius* Eunuchus, hujus conſilio factum eſt, ut Imperator *Arcadius* declaraverit *Stiliconem* Imperii ſui hoſtem. Offenſus igitur *Stilico* clandeſtinam cum *Alarico* ſocietatem iniit, ejusque opera partem Illyrici, quæ *Arcadio* parebat, eripere, ac *Honorii* ditionibus adjungere decrevit. Quo minus tamen id conſilii exequeretur, varia intervenere. Imprimis hoc tempore *Radagaiſus* cum quadringentis millibus Barbarorum, non ex Thracia, ut perperam ſcribit *Aventinus*, ſed ex tranſiſtanis, & transrhenanis celticis, germanisque nationibus, perhibente *Zoſimo*,

t) Lib. 2. Annal. Boicor.

u) In Chronico ad Conſulatum Stiliconis & Aureliani.

x) *Zoſimus* lib. V. pag. 349.

collectorum, Italiam invaſit. Hunc *Stilico*, Hunnorum, & Alanorum uſus auxiliis, non trans *Iſtrum*, uti mendoſe legitur apud *Zoſimum*, ſed trans *Arnum* fluvium progreſſus, in Tuſcia inter Fæſulanorum montium anguſtias concluſit, vicit, comprehendit, & occidit *y*). Alterum impedimentum attulit *Conſtantini* in Britannia rebellio: tum etiam *Honorii Auguſti* nuptiæ ſecundæ cum *Thermantia*, defunctæ *Mariæ* ſorore, *Stiliconis* filia. Præterea ſparſus rumor fuit de *Alarici* morte, quem tamen fuiſſe inanem, brevi patuit. Quippe *Alaricus*, moræ pertæſus, relictis Epiris in Thraciam rediit, indeque Pannonias per *Sirmium* ingreſſus, uſque *Emonam* caſtra promovit, excidium Italiæ minatus, niſi Romani occidentales pactis conventis ſtarent. Jamque trajectis Alpibus imminebat Ravennæ, præmiſitque legatos, qui Gothis terras in Italia expoſcerent. Territus *Honorius*, primum e conſilio *Stiliconis* quatuor millia librarum auri *Alarico* pacis nomine offert; dein terras etiam, ſed extra Italiam, in Galiis nimirum, & Hiſpaniis, quas tunc alioquin Vandali Duce *Genſerico* evaſtabant, eidem adſignat. Acceptæ ſunt conditiones, & *Alaricus* excedere Italia parabat. Verum non bona fide actum eſt a Romanis: nam *Stilico* in mandatis dedit *Sauli*, ut ex improviſo adoriretur Gothos. Id ab homine barbaro, & pagano factum eſt ipſo Paſchatis die, circumventique ſunt, & cædi cœperunt Gothi ad *Pollentiam* urbem, in Cottiis Alpibus locatam. Sed ubi hi a primo terrore ſe ſe collegerunt, reſtaurato prælio, qui victi erant, mox victores evaſerunt. Interea vero *Arcadius* anno 408. in Oriente extinguitur, relicto ſucceſſore filio *Theodoſio* adhuc impubere: ad quem dum *Stilico* velut res Orientis ordinarurus proficiſci parat, haud multo poſt ipſe quoque in ordinem redigitur, inſimulatusque adfectatæ tyrannidis ad mortem condemnatur *z*).

Antea, quam *Stilico* e medio tolleretur, inter Hunnos, & Alanos qui Romanis militabant, ortum fuit certamen, & Hunni, quos a cuſtodia corporis *Stilico* habuit, fraude *Sari*, Alanorum Ducis, per quietem omnes necati ſunt. Inter hæc autem *Alaricus* cum ab *Honorio* ea, quæ poſtulabat, non obtineret, confeſtim Romam cum exercitu tentendit, *Ataulpho* cum Hunnorum, Gothorumque copiis, quas e Pannonia ſuperiore collegerat, ſubſequi juſſo. Nec mora: urbem obſidione cingit, & fame expugnatam anno Chriſti 410. capit, ſimulque in *Honorii* Auguſti ludibrium *Attalum* conſtituit Romanorum Imperatorem, quem tamen non multo poſt tempore in privatam redigit vitam. Inter captivos eminuit *Galla Placidia*, ſoror Imperatoris *Honorii*, quam *Ataulphus*, mortuo paucis poſt diebus *Alarico*, Rex a Gothis creatus, matrimonio ſibi junxit *a*).

---

y) Idem l. cit.

z) *Zoſimus* lib. V. cap 34. *Paullus Diaconus* Hiſt. miſcel. lib. XIII.

a) Hiſtor. Miſcellæ l. cit. & *Zoſimus* lib. VI.

Poſt Romam a Gothis captam, direptamque, Hunni auxiliares tam illi, qui *Ataulphum* ſecuti fuere, quam alii, quorum decem millia, ſtipendio conducta *Honorius* evocaverat, redierunt partim in Pannoniam, partim in Daciam, adhuc *Uldino* iis imperante, qui tamen ſequente mox anno 411. decedens Regnum Hunnicum *Mundzucho* (in patriis Annalibus *Bendekutz* dicto) reliquit. Hic ille *Mundzuchus* eſt *Attilæ* pater, qui *Aetium*, celebrem illum occidentalium Romanorum Ducem, aliquandiu obſidem habuit. At Gothi Romam captam non diu retinuere: extincto enim *Alarico* Rege, *Conſtantius* Patricius rem romanam egregie reſtituit, utpote, qui non modo *Gerontium*, & *Conſtantinum* Galliarum tyrannos profligavit, verum etiam *Ataulphum*, ſucceſſorem *Alarici* ex Italia primum, dein ex Galliis quoque ejecit, ac demum in Hiſpania mori coëgit. Imperator *Honorius* condigne remunerari volens *Conſtantium*, ſororem ſuam *Placidiam*, viduam *Ataulphi* eidem deſpondit, *Cæſarisque* primum, dein *Auguſti* quoque titulo eum exornavit *b*). Ex hoc matrimonio progenitus eſt *Placidius Valentinianus*, qui mortuo patre anno 422. cum *Placidia* Auguſta matre ſua, poſtquam hæc *Imperatoris Honorii* odium incurriſſet, Conſtantinopolim translatus eſt.

Sequente anno 423. menſe Auguſto, ipſe quoque *Honorius* e vivis exceſſit, nulla prole relicta. Tum vero Imperium occidentale, velut in medio poſitum, invaſit *Johannes*, Notariorum Primicerius, adjutoribus *Caſtino* militiæ Magiſtro, & *Aetio*, qui ad comparanda Hunnorum auxilia in Pannonias miſſus eſt. Indigniſſime id tulit Orientis Imperator *Theodoſius junior*, quamobrem ſine mora *Placidium Valentinianum*, utpote legitimum Imperii hæredem, in Italiam cum copiis mittere decrevit. Expeditionis Duces conſtituti *Ardaburius*, hujusque filius *Aſpar*. Ille igitur claſſe profectus confeſtim *Ravennam* ad opprimendum Tyrannum tetendit; hic vero ſecum ducens Puerum Auguſtum, ejusdemque Matrem, itinere terreſtri per Mœſiam, & Pannoniam ſuſcepto, ad fines Italiæ pervenit, & *Aquilejæ* tantiſper ſubſtitit. Principia minus proſpera ob *Ardaburium* ab *Johannis* militibus interceptum, exitus tamen felices ſortita ſunt. Quippe *Aſpar* de Patris calamitate per occultos nuncios edoctus, rapto ſecum equitatu Ravennam excurrit, *Johannemque* Tyrannum, poſt levem pugnam a ſuis proditum, comprehendit, & *Placidio Valentiniano*, Aquilejæ præſtolanti, transmiſit occidendum *c*). Serus jam fuit *Aetii* cum Hunnis auxiliaribus adventus; nam is comperta *Johannis* nece, ſatius duxit a pugna deſiſtere, initisque cum *Aſpare* pactis, Hunnos absque noxa in Pannonias remittere. Quo facto *Aetius* mox a *Valentiniano*, & *Placidia* Auguſtis in fidem receptus eſt. Hæc a Caſſiodoro ad XI. *Theodoſii*, & primum *Valentiniani* Cæſaris Conſulatum, id eſt,

---

b) *Philoſtorgius* Lib, XII. *Olympiodorus* in Excerptis apud *Photium* Cod. LXXX.

c) Iidem Auctores. qui ſupra. Et *Socrates* hiſt. eccl. lib. VII. *Gregorius Turon.* Lib. II. *Diaconus* hiſt. miſcel. l. cit.

ad annum Chriſti 425. referuntur paucis his verbis: *His Coſſ.* inquit, *Joannem tyrannum Valentinianus Imperator extinxit, Hunnosque, qui in Italia erant Joannis præſidio, per Aetium mira felicitate dimovit d).*

Reduces ex Italia Hunni arma adverſus Orientis Imperatorem converterunt, ac vaſtata longe, lateque Thracia ipſam *Conſtantinopolim* obſidione cinxerunt. Procurſionis hujus Dux illis erat *Rugas*, aliter Theodoreto *Rhoilus* dictus, qui a nonnullis hodie cum *Rua* Rege, *Mundzuchi* fratre, perperam confunditur. *Rugas* ille, ſive *Rhoilus*, fulmine tactus interiit, finemque huic expeditioni attulit, dilapſo formidine exercitu. Subſequente anno 427. Hunni de quinquagenaria poſſeſſione Pannoniarum deturbati ſunt. Quanam id ratione factum ſit, armisne, an pacis artibus, non eſt proditum in Marcellini Comitis Chronico, in quo hæc tantum ſunt: *Hierio & Ardabure Coſſ. Pannoniæ, quæ per quinquaginta annos ab Hunnis retinebantur, a Romanis receptæ ſunt.* Verum *Jornandes* haud obſcure innuit, Romanos in expellendis e Pannonia Hunnis auxilio Gothorum uſos fuiſſe. En ejus verba: *Duodecimo anno regni Valliæ, quando & Hunni poſt pæne quinquaginta annos invaſa Pannonia a Romanis, & Gothis expulſi ſunt - - - eo fere tempore, quo Hierius, & Ardaburius Conſules extitiſſent e).*

CAPUT V.

De ſecundo Hunnorum in Pannonias ingreſſu; ac de expugnatione Sirmii, & Sabariae per Attilam. Item de S. Leoniano Sabarienſi in Gallias abducto.

EJECTI de Pannoniis Hunni, transmiſſo Danubio, ad reliquos contribules ſuos ſe ſe recepere, *Mundzucho* Rege adhuc ſuperſtite, cui tamen ſubſequens annus 428 erat poſtremus. Defuncto ſucceſſere fratres *Uptarus*, & *Ruas*. Prior biennio poſt in expeditione Burgundica occubuit. Ad *Ruam* vero venit profugus ex Italia *Aetius* anno 432. In Chronico *Tironis Proſperi* editionis Pithœanæ legitur *Aetius* in Pannonia ad Hunnos profugiſſe: quocirca nonnullorum opinio eſt, Hunnos aut rurſus hoc jam anno Pannonias occupaſſe, aut certe non ex univerſis Pannoniis anno 427 exceſſiſſe *f*) Verum in aliis ejusdem *Proſperi* editionibus diſerte ſcriptum eſt: *Aetium* non in Pannonias, ſed *per Pannonias* ad Hunnos

d) *Caſſiodorus* in Chronico, *Theodoſio XI. & Valentiniano Cæſ. Coſſ.* Prolixius eadem narrantur ab Auctoribus paullo antea laudatis.

e) *Jornandes* de rep. Get. cap. XXXII. apud *Muratorium* T. I. Scriptorum Ital.

f) *Hanſiz* Annal. Eccl. Germ. T I, Lib. 5. *Pray.* Anna vet. Hunn. P I. Lib, II, p. 103.

veniſſe, quamobrem opinioni ſupra dictæ nihil deferendum eſt. Cauſa fugæ *Aetii* fuit; quod is ex morte *Bonifacii* Comitis, quem in certamine vulneravit, magnam ſibi in Aula Imperatoris conflaverat invidiam, quam proinde ut per abſentiam ſuam ſopiret, abdicato Magiſtratu rus conceſſit: cum vero nec ibi tuto eſſe liceret, *profugus ad urbem*, uti Proſper ſcribit, *atque illinc ad Dalmatias*, *deinde per Pannonias ad Hunnos pervenit g*).

Profugum ad ſe *Aetium* Rex *Ruas* non modo liberaliter hoſpitio accepit, verum etiam ſequente anno 433 copiis inſtructum ad Italiam remiſit, effecitque, ut priſtinæ dignitati reſtitutus etiam novo Patriciatus honore ornaretur. Non immemor beneficii *Aetius* curavit viciſſim, ut inito inter Hunnos, & Romanos occidentales fœdere, Hunni Pannoniam Saviam reciperent, dempto tamen *Sirmio*, quod Orientales Romani retinuere, ſerius ab Attila expugnandum. Meminit hujus fœderis *Priſcus* in rebus *Attilæ* hæc ſcribens: *Hic* (Oreſtes) *genere Romanus*, *Pæoniam*, *regionem ad Saum ſitam*, *incolebat*, *quæ ex fœdere inito cum Aetio*, *Romanorum occidentalium Duce*, *Barbaro parebat h*).

Sed fœderi huic non diu ſupervixit *Ruas*, eodem enim anno 434 deceſſit, relictis ſucceſſoribus *Attila*, & *Bleda*, *Mundzuchi* filiis. *Attila* primis regni ſui annis amicitiam cum Imperatore *Placido Valentiniano*, & Romanis occidentalibus coluit, eisdemque auxilia primum contra Burgundiones, dein contra Gothos, Narbonam obſidentes, in Gallias ſubmiſit. Eodem vero tempore, quo Narbona Hunnis auxiliantibus obſidione liberata eſt, nempe anno 437. Imperator Occidentis *Placidus Valentinianus* nuptias cum *Licinia Eudoxia*, Theodoſii junioris, qui in Oriente imperabat, filia, celebravit, ejusque gratia Orientalibus Romanis partem Illyrici, quam adhuc poſſidebat, tranſcripſit, ſolo Norico ſibi retento. Verum Rex *Attila* Orientis Imperio infenſus, variis illud exactionibus tributorum vexare cœpit; quæ ſi negabantur, aut non rite perſolvebantur, illico ejusdem provincias incurſabat, ferroque, & igni vaſtabat, præcipue Thraciam, Mœſiam, & omne Illyricum. De anno, quo *Attila* univerſas Pannonias ſuo adjunxit Imperio, non convenit inter Auctores. *Joannes de Thurocz* in Chronicis Hungarorum ſcribit, *Attilam* jam anno Chriſti 401 ab Hunnis Regia dignitate ornatum fuiſſe, Hunnosque tunc temporis jam annis octo & viginti in pacifica Pannoniarum poſſeſſione manſiſſe *i*). Ex adverſo *Anonymus Belæ Regis Notarius*, Hunnorum, & ipſius Regis Attilæ in Pannonias adventum nonniſi anno Chriſti 451 adfigit *k*). Neutri habenda fides. Certum enim eſt ex coævis, & ætate proximis Auctoribus, *Attilam* regia poteſtate Hunnis imperare

g) In Chronico ad an. 432.

h) De legationibus p. 37

i) P. II. Chron. Cap. XIII.

k) Hiſt. de ſeptem Ducib. Hung. Cap. I.

cœpiſſe ſub annum Chriſti 434. Certum præterea eſt, initio Regni *Attilæ* non omnes Pannonias, ſed *Saviam* dumtaxat Hunnis paruiſſe, idque vi fœderis tantum, hoc vel præcedente anno cum *Aetio*, Romanorum occidentalium Duce, initi. Immo ex *Priſco* Rhetore, qui legatione apud *Attilam* perfunctus erat, conſtat, ne *Saviam* quidem totam eo tempore ab Hunnis poſſeſſam fuiſſe. Nam *Sirmium*, Pannoniæ *Saviæ* caput, adhuc a Romanis Orientalibus tenebatur. Hoc equidem non tulit Attila: itaque anno circiter 441. *Sirmium*, ab *Apennio* Præfecto Prætorio Illyrici fortiter defenſum, arctiſſima cinxit obſidione, factoque aſſultu cepit, ac evertit. Capti, & everſi per *Attilam Sirmii* meminit imprimis ſupra laudatus *Priſcus* eo loco, ubi refert controverſiam inter *Attilam*, & *Valentinianum* Auguſtum exortam de pateris aureis, quas *Conſtantius* quidam ab *Aetio* ad *Attilam*, ut ipſi eſſet ab epiſtolis miſſus, ab Epiſcopo Sirmienſi acceperat, & poſt Sirmii excidium Romam delatas Sylvano cuidam in pignus dederat *l*). Meminit præterea Imperator *Juſtinianus* in *Novellis*, ubi refert, *Apennium* Prætorio Præfectum perdito *Sirmio* profugiſſe *Theſſalonicam*, eoque deinceps ipſam quoque Præfecturam Illyrici, & Sacerdotalem honorem, id eſt, jus metropoliticum Epiſcopi, translata fuiſſe.

Idem erat fatum *Sabariæ*, quam pariter *Attila*, ut Pannonia Superiore potiri poſſet, armis adgredi, vique adhibita expugnare debuit. Cives *Sabarienſes*, qui fuga elabi potuere, in Italiam commigrarunt, ac partim *Aquilejæ*, quamdiu hæc ſubſtitit, partim *Ticini*,* ſive *Papiæ* conſederunt. Priores paucis poſt annis una cum *Aquilejenſibus*, metu Attilæ profugis, nobiliſſimæ *Venetiarum* urbis ac Reipublicæ fundamenta jecerunt. Poſteriores autem *Ticinenſibus*, ſive *Papienſibus* permixti, lapſu temporis varios experti ſunt dominos, nam ab Imperio Romano avulſi primum *Gothis*, dein *Longobardis* parere coacti ſunt; immo non ſolum in jus, ſed etiam ipſum adeo nomen *Longobardicum* ſubin tranſierunt. Atque hinc eſt, quod ſupra dictus Chronicorum Hungariæ Auctor cives *Sabarienſes* *κατα προληπσιν latinos Longobardos* adpellat, hiſtoriam *Sabariæ* per Attilam expugnatæ ſic paucis perſtringens: *Licet*, inquit, *quorundam fuerit opinio*, *Venetos de Sabaria duxiſſe originem; tamen quia Sabariam Latinos Longobardos inhabitaſſe, in illaque tam ipſis Longobardis, quam ceteris nationibus ſcholam generalem, multis Philoſophorum, Poëtarum, ac ceterarum artium dogmatibus, luculenter illuſtratam fuiſſe, & illam per Alaricum, quondam Gothorum Regem, diuturna obſidione fatigatam, minime tamen captam, tandem vero, per Regem Attilam expugnatam extitiſſe, & poſt ejusdem expugnationem per regem Attilam factam cives illius in Italiam ſe tranſtuliſſe, & in civitate Papia, juxta flumen Ticinum fundata, incolatum recepiſſe tradunt hiſtoriæ; ob hoc Veneti, in quantum Aquilegiæ illos comitati ſunt cives, potius Trojani, quam de Sabaria oriundi, dici*

l) l. ſupr. cit p. 57.

merentur m). Magni faciendus eſt hic locus Chronici Turocziani pluribus de cauſis; primum, quia eo Auctor ſeipſum quodammodo corrigit, & emendat, dum refert *Sabariam*, Pannoniæ Superioris urbem ab Hunnis non prius, quam ſub Rege *Attila* expugnatam fuiſſe, qui tamen alio capite adſeruerat, eosdem Hunnos ſub id tempus, quo Attilam crearunt Regem, Pannonias jam in annum viceſimum octavum pacifice poſſediſſe. Deinde, quia *Sabariam* illo ævo quoddam velut emporium ſcientiarum & artium floruiſſe, civesque illius, capta per *Attilam* urbe, in Italiam, & quidem magnam partem *Ticinum* emigraſſe, ex hoc ſolo Chronici loco hodie innoteſcit, deperditis, in quibus id memoriæ proditum fuerat, antiquioribus documentis; quæ Auctor Chronici procul dubio vel in Bibliotheca Corviniana, vel in aliis ſcriniis repererit. Quippe id non ex vulgi rumore, neque ex incerta quapiam traditione ab illo ſcriptum eſſe, indicant hæc illius verba: *tradunt hiſtoriæ.* Dolendum ſane, quod morem ſui ævi ſecutus, Scriptores earum hiſtoriarum, quæ id tradiderunt, nominare neglexerit.

Tametſi vero annus expugnatæ per Attilam *Sabariæ* in Chronico nunc laudato non exprimitur, dubitandum tamen non eſt, quin id vivo adhuc *Bleda* Attilæ fratre, adeoque ante annum 445. acciderit. Ex hiſtoria enim miſcella *Paulli Diaconi* colligere licet, *Attilam* jam ante *Bledæ* fratris ſui necem Pannonias expugnaſſe; quippe hæc ibi inter alia referuntur: *Interea Rex Hunnorum Attila, cum regnum cum fratre Bleda intra* PANNONIAM *Daciamque gereret, Macedoniam, Mœſiamque, & Achajam, utrasque etiam Græcias immaniſſima rabie devaſtaret, Bledam germanum ſuum, regnique conſortem peremit, ejusque ſibi parere populos compulit n*).

Abhinc ergo *Sabaria* deſiit eſſe Romana, jam Hunnis in ea dominantibus. Cives veteres pars in Italiam, ut diximus, habitatum conceſſere, pars, ut in captis urbibus fieri ſolet, remanere, jugumque Hunnicum ferre coacti ſunt. His accenſendus videtur *Sanctus Leonianus Abbas*, cujus epitaphium *Jacobus Sirmondus* Viennæ Galliarum in ſuburbana æde ſancti Petri detexit, eſtque hujusmodi:

„ Hic vir ſanctitate conſpicuus in hac urbe Viennenſi Abbas extitit, „ *Sabaria Pannoniæ* ortus, a Barbaris captivatus, Gallorum finibus devenit, „ Auguſtoduni primum, dein Viennæ clauſtro peculiaris cellæ concluſus, qua„ draginta plus annis tali ordine Chriſto militavit, tantæ diſtrictionis, ut pæne „ vultu omnibus undequaque venientibus ignotus intro vixerit, cum eſſet verbo „ doctrinæ multis ad ſalutem notiſſimus: ita, ut juxta cellulam ſuam quam „ plurimos monachos rexerit; monachos vero ambitu monaſterii infra urbem „ incluſos ad ſexagenarium numerum mirabili ordinatione paverit, & diſcipli„ nabiliter cuſtodierit *o*).

m) P. II. Chron. Cap. XIX. *n*) Hiſt. miſcellæ Lib. XV.
o) T. II. Oper. *Sirmondi* p. 78. in Not. ad *Alcimi Aviti* Epiſt. 77.

Obitum hujus *Leoniani* Abbatis *Sirmondus* refert ad annum Chriſti proxime *quingenteſimum*, ſedente *Alcimo Avito* Epiſcopo Viennæ Allobrogum. Quoniam igitur S. *Leonianus*, teſte Epitaphio, *annis amplius quadraginta* Monaſticen in Galliis profeſſus fuerat, patet illius in Gallias adventum fere incidere ad tempus expeditionis Attilanæ, circa annum 451 ſuſceptæ. Itaque admodum veriſimile eſt, nomine *Barbarorum*, qui *Leonianum captivatum* e Pannoniis in Gallias abduxere, Hunnos, eorumve ſocios intelligi oportere. Certe vix dubium eſſe poteſt, quin *Attila* quemadmodum ex aliis nationibus, ita etiam e ſubjectis ſibi Pannoniis multos ad militiam vi rapuerit, & immenſum exercitum ſuum, quem ad excidium Galliarum conflaverat, ſequi coëgerit. Igitur poſt celebrem illam in campis Catalaunicis pugnam, qua Hunni diſceſſerunt inferiores, quid mirum, ſi nonnulli Chriſtiani, inter quos *Leonianus* quoque fuerit, fuga elapſi, in Galliis remanſerint?

CAPUT VI.

Brevis notitia Regni Gothici, & Longobardici in Pannonia, nec non everſionis Sabariae.

DEFUNCTO ſub annum Chriſti 454 Rege Hunnorum *Attila*, cum inter ejusdem filios *Ellacum*, *Dengizichium*, & *Irnachum* orta eſſet de regno contentio, Reges barbararum nationum, Imperio Attilæ prius obnoxii, jugum excuſſere. Primus contra Attilæ filios inſurgit *Ardaricus*, Gepidarum Rex, ſuoque exemplo alios ad idem audendum impellit. *In mutuum igitur*, inquit Iornandes p), *armantur exitium, bellumque committitur in Pannonia, juxta flumen, cui nomen eſt Netad. Illic concurſus factus eſt gentium variarum, quas Attila in ſua ditione tenuerat.* Adſunt Gepidæ, Gothi, Sarmatæ, Marcomanni, Quadi, Suevi, Alani, Satagæ, Heruli, Turcilingi, ſive Rugi, propriis cum Regibus, aliaque nationes barbaræ, quarum pars Hunnis, pars Gepidis ſe ſe conjunxerunt. *Poſt multos, graveſque conflictus favit Gepidis inopinata victoria. Nam triginta fere millia tam Hunnorum, quam aliarum gentium, quæ Hunnis ferebant auxilium, Ardarici gladius, conſpiratorumque peremit Occiditur Ellac, filiorum Attilæ natu major - - - Germanique ejus fugantur juxta littus Pontici maris*, ubi prius Gothorum erant ſedes. *Ceſſere itaque Hunni, quibus cedere putabatur univerſitas. Adeo diſſidium perniciosa res eſt, ut diviſi corruerint, qui adunati viribus territabant q).* Victis hunc

p) De Rebus Geticis Cap. L.
q) Ibidem.

in modum, proculque retruſis Hunnis primum Gepidæ trans Danubium regreſſi Daciam ſibi vendicarunt, miſſisque ad *Marcianum* Orientis Imperatorem legatis, pacem, & annua ſtipendia, ut ſtrenui viri, amica pactione poſtularunt. Dein aliæ gentes alias atque alias terras permiſſu Romanorum orientalium incolendas accepere. E Sarmatis nonnulli, & Cemándri, & quidam Hunnorum conſederunt ad caſtrum *Martenam* in parte Illyrici. Sciri vero, & Satagarii, atque ceteri Alanorum ſub Duce *Candace* in Scythiam minorem, inferioremque Mœſiam commigrarunt. At *Hernac*, ſive *Irnachus*, junior Attilæ filius, in extremis Scythiæ minoris finibus cum ſuis conſedit. Ripenſem Daciam, duabus Mœſiis interjectam *Ennedzar*, & *Uzindur*, ſanguine juncti *Irnacho*, cum non modica Hunnorum manu occuparunt. His vicini in Thracia, ac Daciæ parte habitabant *Gothi*, Minores dicti, populus ingens, ab Ulfila Præſule, ac primate ſuo, religione, ac literis inſtituti. Verum alii Gothi, ſeu *Oſtrogothi*, qui *Walemiro*, hujusque germanis *Theodemiro*, & *Widemiro*, e ſtirpe Amalorum progenitis, parebant, ſedes ſuas fixerunt in Pannoniis, quas inter ſe ita partiti ſunt, ut *Walemir* in Pannonia ſecunda inter fluvios Scarniungam, & Aquam nigram, *Theodemir* autem in Pannonia prima circa lacum Pelſodis; *Widemir* demum in Pannonia Valeria medius inter illos ſe ſe contineret. His vicini agebant Rugi, Heruli, Suevi, Quadi, Marcomanni *r*).

Hanc diviſionem Pannoniarum, inter tres fratres Oſtrogothos factam, ſubſecutus eſt ſæviſſimus terræ motus, quo *Sabariam* civitatem corruiſſe teſtatur vetuſtum Chronicon, a *Cuſpiniano* editum, hiſce verbis ad annum Chrtſti 455: *Et everſa eſt Sabaria a terræ motu VII. Idus Septembr, die Veneris.* Carolus *Sigonius* id ad VI. Idus Iulias referens: *eodem*, inquit, *anno VI. Idus Julias Pannonia ſævo adeo terræ motu concuſſa eſt, ut urbs Sabaria tota prociderit s*). Sed corrigit P. *Januarius Salinas*, notatque, in ſupra dicto Chronico ſcribi, *Avitum* Imperatorem *VI. Idus Julias* inauguratum fuiſſe, terræ autem motum, quo everſa fuit *Sabaria*, referri *ad VII. Idus Septembris*: quamquam & in hoc exiſtimat potius legendum *V. Idus Septembris*, quia hic terræ motus die Veneris contigiſſe dicitur; dies autem Veneris anno 455 ob literam dominicalem B. non in VII., ſed in V. Idus Septembris inciderat *t*).

Sub idem tempus Hunni per *Walamirem* profligati ſunt, *Theodemiri* autem, in cujus tunc ditione fuit *Sabaria*, natus erat filius *Theodoricus*, Regni Gothorum in Italia poſt ſublatum *Odoacrem* fundator. Utrumque eventum ita deſcribit Jornandes *u*): *Contigit, ut Attilæ filii contra Gothos, quaſi deſertores*

---

r) Ibid. Cap. L. LI. & LII.
s) Hiſt. de occidentali Imperio L. XIV. T. I. Operum *Sigonii* col. 516.
t) Ibid. in Not. (16).
u) De rebus Geticis Cap. LII.

dominationis ſuæ, velut fugacia mancipia requirentes, venirent, ignarisque aliis fratribus ſuper Walemir ſolum irruerunt: quos tamen ille quamvis cum paucis excepit, diuque fatigatos ita proſtravit, ut vix pars aliqua hoſtium remaneret, quæ in fugam verſa, eas partes Scythiæ peteret, quas Danubii amnis fluenta prætermeant, quæ lingua ſua Hunnivar appellant. Eoque tempore cum ad fratrem Theodemirem gaudii nuncium direxiſſet, eo mox die nuncius veniens felicius in Domo Theodemiris reperit gaudium. Ipſo ſiquidem die Theodericus ejus filius, quamvis de Erelieva concubina, bonæ tamen ſpei puerulus, natus erat. Hunc *Theodericum* non recte *Malchus*, de legationibus ſcribens, vocat filium *Balameris*, ſeu *Walemiris*, iſtum nempe cum *Theodemire* confundens.

Hæc ubi contigiſſent, *Walemir* ſuo, & fratrum nomine mittit legatos ad *Marcianum* Orientis Imperatorem, qui ſuam de Hunnis victoriam, ac *Theoderici* nativitatem nunciarent, ſimulque dona, quæ iis, ut viris ſtrenuis, ac Romanorum fœderatis debebantur, peterent. Verum hæc legatio minus benevole accepta eſt; quippe plus ea tempeſtate in Marciani aula valebant alii Gothi, Thraciam incolentes, quorum dux erat *Theodoricus* Triarii filius, *Aſpari* Alano, tunc per Thracias militiæ romanæ Magiſtro, affinitate junctus. Quam ob rem *Walemir* cum fratribus ſuis contemptum non ferens, mox in Illyricum procurrit, agrosque, & urbes Imperii Orientalis deprædatus, non prius ab ultione deſtitit, quam ab *Leone* Imperatore, *Marciani* anno 457 ſucceſſore, muneribus, & nova amicitiæ oblatione placatus fuiſſet. Ut autem pax magis firmaretur, fœderisque conditiones curatius ſervarentur, placuit *Theodericum*, filium Theodemiris, ad aulam Cæſaream mittere obſidem. Quamquam hoc, patre cunctante, nonniſi ſerius, anno nempe 463 cum jam regius puer octavum ingreſſus eſſet annum, obtineri potuit *x*).

Pace cum Romanis conſtituta, non tamen *Oſtrogothi* ab armis idcirco diſceſſere: agriculturam enim exoſi, & rapto vivere adſueti, primum *Satagas*, ex Alanis ortos, qui partem quandam interioris Pannoniæ poſſidebant, agris ſuis depellere decreverunt. Verum hos ab exitio liberavit *Dengeſichus*, qui collectis in Mœſia Hunnorum reliquiis, Ulzunguribus, Augiſciris, Bittugoribus, & Bardonibus, Pannoniæ fines invaſit, copiasque Baſſianæ civitati circumfudit. Relictis ergo *Satagis* neceſſe fuit, ut *Walemir* adverſus Hunnos regionem ſuam tutaretur; quod adeo ſecundo marte præſtitit, ut eos magna clade affectos procul a Pannonia repulerit. Quieſcentibus dein Hunnis, pacem Pannoniæ turbarunt Suevi, poſtea Sciri, & Sarmatæ. Horum primi cum ad invadendam Dalmatiam fines Pannonios pertranſirent, armenta Gothorum in campis errantia deprædati ſunt. Quamobrem *Theodemir* injuriam ulturus, Suevos a procurſione Dalmatica reduces, ad lacum *Pelſodis* ſubito adortus, partim occidit, partim vivos

x) Ibidem.

cepit. Inter captos numerabatur ipſe Rex *Hunnimundus*; qui cum a *Theodemire* haud multo poſt liber, ac ſine litro dimiſſus fuiſſet, adeo ſe ingratum exhibuit, ut adſcitis in belli ſocietatem *Sciris*, denuo in Gothos inſurgeret. In primo conflictu Rex *Walemir* equo excuſſus, lanceisque hoſtium confoſſus interiit. Quo viſo, Gothi tanto impetu in *Sciros* irruerunt, ut pæne univerſum eorum exercitum deleverint. Territi *Hunnimundus*, & *Alaricus*, Suevorum Reges, in novum prælium traxerunt Sarmatas, horumque Regulos *Beugam*, & *Babain*, & *Scirorum* reliquias, quibus *Edita*, & *Vulfo* præfuerunt; quin etiam a Gepidis, & Rugis nonnulla auxilia accepere, congregataque ingenti multitudine, ad amnem *Bolliam* in Pannoniis caſtra metati ſunt. Verum ubi ad manus deventum eſt, rurſus Gothi victoriam retulerunt, cædem Regis ſui Walemiris maxima hoſtium ſtrage ulti *y*).

Proxima hyeme anni 473. Theodemir adjuncto ſibi Widemire fratre, bellum in ipſam Suevorum regionem per Danubium gelu adſtrictum transfert, ac non modo Suevos, verum & alios Alemannos Suevis fœderatos cædit, ac pene ſubigit. Redux vero in Pannonias recipit filium ſuum Theodericum, ab ipſo Imperatore *Leone* magnis cum muneribus ſibi remiſſum. Is annum tunc ætatis octavum ſupra decimum agens, ut ſpecimen aliquod virtutis bellicæ daret, futuræque magnitudini ſuæ præluderet, adſumptis inſcio patre ſex circiter millibus Gothorum ſubito Danubium trajicit, ac *Babain* Sarmatarum Regem, recente de *Camundo* Romanorum Duce victoria ſuperbientem, opprimit, eoque interempto cum ſpoliis ad Patrem redit. Sequente anno 474, quo jam *Zeno* in Oriente imperare cœpit, *Theodericus* Singidunum Sarmatis eripuit, nec Romanis, quorum hæc civitas antea fuerat, reſtituit, ſed paternæ ditioni adjecit *z*).

His actis, cum aliquandiu ab armis ceſſatum eſſet in Pannonia, cœpit Gothis & victus, & veſtitus deficere. Magno itaque clamore orant Regem *Theodemirem*, ut, quacunque parte vellet, duceret exercitum: pacem ipſis detrimento eſſe, quibus non agrorum cultura, ſed ſpolia belis quæſita præberent alimoniam. Annuit votis *Theodemir* conſentiente fratre *Widemire*, decretumque eſt, ut pars in Italiam, pars in orientales Illyrici provincias prædæ cauſa procurreret. Sed *Widemir* ingreſſus Italiam haud multo poſt e vivis exceſſit, relicto cognomine filio, regni ſucceſſore, cui Imperator *Glicerius* datis muneribus perſuaſit, ut relicta Italia ad Viſigothos populares ſuos in Galliam ſe ſe reciperet. *Theodemir* vero, poſtquam ſuis cum copiis Savum trajeciſſet, illico Mœſiæ, & Illyrici loca ut Naiſſum, Ulpianum, Caſtra Herculis invaſit, ac diripuit: poſtmodum in Theſſaliam progreſſus, Lariſſam, & Heracliam civitates expilavit. In Macedonia demum cum Theſſalonicam obſediſſet, a *Clariano* Patricio, exercitus

---

y) Ibid. Cap. LIII. & LIV.

z) Ibid. Cap. LIV.

Romani Duce, victus eſt, non armis tamen, ſed muneribus, quæ illi Imperator *Zeno* ſubmiſerat, & ceſſione aliorum quorumdam in Mœſia locorum, quæ Oſtrogothi poſtea poſſiderent *a*).

Aderat in expeditione *Theodericus*, ad quem a morte patris Theodemiris brevi ſubſecuta, Regnum Oſtrogothicum devolutum eſt. Hunc *Zeno* Auguſtus omni honorum genere ſibi devincire ſatagebat. Accitum ergo Conſtantinopolim inter Palatii Proceres retulit, militiæque ſuæ Magiſtrum fecit; dein eum ſibi filium adoptavit; equeſtrem ei ſtatuam ante fores Palatii poni juſſit; ac ſecum Conſulem in annum proximum 484. deſignavit. Verum major fuit *Theoderici* animus, quam ut his omnibus expleri poſſet: quamobrem cum intellexiſſet, *Odoacrem* Herulorum Regem in Italia regnare, mox pari & ipſe ambitione exarſit: cauſatus igitur, ſuos Gothos magno tumultu expeditionem Italicam poſtulare, veniam a *Zenone* ejus ſuſcipiendæ petiit, & obtinuit. Uſus vero eſt fortuna adeo ſecunda, ut brevi votorum compos factus fuerit. Conflixit cum Odoacre imprimis ad *Sontium* amnem prope Aquilejam; poſtea in campis Veronenſibus, utrobique victor. Tandem Ravennæ eundem obſedit, ubi III. Kal. Mart. anno 493. inter belligerantes ita conventum erat, ut ambo Ravennam, Regnumque Italicum æquo jure poſſiderent: ſed fœdus paucos poſt dies ruptum eſt, *Odoacre* hoſpitales inter epulas trucidato *b*). Potitus Regno Italiæ *Theodoricus* imperium in Pannonias quoque exercuit, & Pannoniæ Sirmienſi, pulſis inde Gepidis, *Coloſſeum* Comitem præfecit. Qua de re apud *Caſſiodorum* binæ ſuperſunt Epiſtolæ, una, qua Rex *Coloſſeo* Comiti regimen Pannoniæ provinciæ committit; altera vero, per quam idem univerſis Barbaris & Romanis, per Pannoniam conſtitutis, præcipit, ut Coloſſeo Provinciæ rectori morem gerant *c*). Quin propoſitum illi erat, alias quoque provincias, ab Occidentis Imperio avulſas, armis recuperare. Verum hæc agitans anno 526. vivere deſiit.

Mors Theoderici finem Gothico in Pannoniis regno attulit: nam *Juſtinianus*, qui tum Orienti imperabat, Pannonias cum omni Illyrico ſui eſſe juris arbitratus, *Longobardos* iſthuc evocavit cum Rege *Audoino*. Sed hi annis dumtaxat *duobus & quadraginta* Pannoniam retinuere, eoque temporis intervallo continua fere cum Gepidis bella geſſerunt. Ad perdendos Gepidas plurimum operæ contulerunt *Avares*, gens Hunnica, ex Regis nomine ſic appellati, qui ex Aſia paucum ante tempus in Europam commigrarunt. His fœdere juncti Longobardi regnum Gepidarum extinxerunt, poſtremo ipſorum Rege *Cunimundo* per *Alboinum*, Audoini filium, interempto. Sed fructus victoriæ præcipuus ad *Avares* pertinuit: hi quippe ex fœderis pacto non ſolum manubiarum dimidium percepe-

a) Ibid. Cap LVI.
b) Ibid. Cap LVII.
c) *Caſſiodori* Variarum Lib. III.

runt, verum etiam tota regione Gepidarum, id eſt, Dacia omni uſque ad Tibiſcum, potiti ſunt. Hunc eventum Annales ad annum Chriſti 557. referunt. Multitudini *Avarum*, ad quam aliæ ſubin Hunnorum Tribus accedebant, cum jam Dacia vix ſufficeret, commode accidit, ut Longobardi ſuas eis in Pannonia, & Norico Ripenſi ſedes ultro cederent. Res hunc in modum acta eſt: *Juſtiniano* imperante, *Narſes* exercitus Romani ſtrenuus Dux, uſus Longobardorum auxiliis, Oſtrogothicum in Italia Regnum, occiſo Attila evertit, atque ex ejus ruinis Exarchatum, Orientali Imperio ſubjectum, erexit. Ob hæc, & alia bellicæ virtutis ſpecimina cum magnum eſſet *Narſetis* Eunuchi nomen, invidorum calumniis brevi patuit. Hæ poſt Juſtiniani mortem apud Imperatorem *Juſtinum*, hujusque conjugem *Sophiam* tantum valuere, ut *Narſes* non ſine contumelia ex Italiæ Præfectura revocatus, *Longinum* acceperit ſucceſſorem. Is igitur, uti refert Paulus Diaconus *d)*, *odio metuque exagitatus in Neopolitanam civitatem ſecedens, legatos mox ad Langobardorum gentem dirigit, mandans, ut paupertina Pannoniæ rura dererent, & ad Italiam cunctis refertam divitiis poſſidendam venirent. Simulque multimoda pomorum genera, aliarumque rerum ſpecies, quarum Italia ferax eſt, mittit, quatenus eorum ad veniendum animos poſſet illicere.* Cardinalis quidem *Baronius* pluribus argumentis *Narſetem* Eunuchum ab hac perfidia abſolvere nititur, *Corippi* præcipue carmine inductus, ex quo colligit Narſetem eo tempore non amplius in Italia fuiſſe, ſed Conſtantinopoli; neque invidiam *Juſtini* aut *Sophiæ* Auguſtæ incurriſſe. Verum *Horatius Blancus* dilucide oſtendit ex Procopio, Theophane, ac Theophylacto, tres *Narſetes* uno eodemque tempore fama illuſtres fuiſſe, eumque qui Corippo memoratur, diverſum fuiſſe a *Narſete* Eunucho, de quo nunc agimus *e*). Fides proinde habenda eſt *Paulo Diacono* ætati illi proximo, cui & alii ex veteribus ſuffragantur, ut Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Joannis III. & Landulphi Sagacis additamentum ad Hiſtoriam Miſcellam ex MS. Bibliothecæ Ambroſianæ; Item Iſidorus Hiſpalenſis, Marius Aventicenſis, Sigebertus, & plures ceteri.

Perſuaſus igitur a Narſete *Alboin ſedes proprias, hoc eſt, Pannoniam amicis ſuis Hunnis contribuit, eo ſcilicet ordine, ut ſi quo tempore Langobardis neceſſe eſſet reverti, ſua rurſus arva reciperent f*). Egreſſi autem ſunt Longobardi de Pannonia feria ſecunda Paſchatis, quæ tunc incidit in diem ſecundam Aprilis, anno Chriſti 568. *g*). Iter eis fuit per Venetorum regionem, qua evaſtata, in Liguriam irruperunt, ubi captis aliis urbibus, in Ticinenſi obſidione triennio adhæſerunt *h*). Poſt expugnatum Ticinum tribus adhuc annis & ſex menſibus

d) Lib II. de Geſtis Langobardorum Cap. V.

e) Apud Muratorium T. I. Script. Italiæ p. 427. Not. (46.)

f) *Diaconus* de Geſt. Langobardor. Lib. II. Cap. VII.

g) Ibidem. *h*) Ibid. Cap. XXVII.

Longobardico in Italia Regno præfuit *Alboinus*, triſtem ſortitus exitum; factione quippe Reginæ *Roſemundæ* Conjugis ſuæ interfectus eſt apud Veronam civitatem. Hujus ille iram in ſe provocavit, propinato illi ad bibendum vinum poculo, quod ipſemet de capite Regis *Cunimundi*, Soceri ſui, a ſe in bello occiſi, fecerat. Hoc poculum ſe vidiſſe teſtatur, qui cædem iſtam literis mandavit, Paullus Diaconus *i*). Idem vero refert, *Alboinum*, cum ad capeſſendum Italiæ regnum e Pannoniis egrederetur, non *Longobardos* tantum, ſed & alios multos ex diverſis, quas vel alii Reges, vel ipſe ceperat, gentibus, ſecum adduxiſſe, ut Gepides, Bulgaros, Sarmatas, Suavos, Noricos, Pannonios, iisque Ticinum, ſive Papiam obſediſſe *k*). Quod cum ita ſit, veriſimiliter etiam *Sabarienſes* Pannonii eundem comitati ſunt. Hac igitur occaſione jam altera *Sabarienſium* colonia Ticinum devenerat: niſi forte ſuſcipio cuipiam oboriatur, hanc ipſam fuiſſe, quam *Thuroczius* in ſuo Chronico ad Attilana tempora lapſu memoriæ retulerit.

CAPUT VII.

De S. Martino Braccarenſi Archiepiſcopo, natione Pannonio Sabarienſi; ac de rebus Pannoniae ſub Avaribus.

EODEM ſæculo, quo Pannonias Gothi, & poſt hos Longobardi poſſidebant, floruit in Eccleſia Chriſtiana Sanctus *Martinus* Braccarenſium Archiepiſcopus, natione *Pannonius*, & quidem, uti quorundam opinio eſt, *Sabarienſis*. De hoc *Martino* ex coævis, aliisque ætate proximis auctoribus, puta: ex Gregorio Turonenſi, Venantio Fortunato, Iſidoro Hiſpalenſi, ex Dyptichis Braccarenſibus, ex Martyrologio Hiſpanico, & aliis monumentis hæc certa ſunt: Pannonium fuiſſe, ſcientiis, ut illa ferebant tempora, egregie exculrum, linguæ non ſolum latinæ, verum etiam græcæ adeo peritum, ut a quibusdam origine Græcus eſſe putaretur. Adoleſcens ex Pannoniis in Orientem abiit partim ad inviſenda Sacræ Redemptionis noſtræ loca, partim ad perluſtrandas Orientis Academias. Inde in Gallæciam Hiſpaniæ provinciam venit, ubi *Theodemirum* Suevorum Regem, ejusdemque filium *Mironem* ab Ariana hæreſi ad Religionem Catholicam traduxit, adjutus primum ab *Eleutherio*, dein a *Lucretio* Eccleſiæ Braccarenſis Metropolitis, Anteceſſoribus ſuis. Abbas principio, poſtea Epiſcopus Dumienſis in Hiſpania, ac poſtremo Archiepiſcopus Braccarenſis factus. Scripſit 1. libellum de forma

i) Ibid. Cap. XXVIII.
k) Ibid. XXVI.

honeſtæ vitæ: 2. de moribus: 3. de correctione ruſticorum: 4. interrogationes, & reſponſiones SS. Patrum Ægyptiorum, & aliquot Epiſtolarum codices e græco in latinum tranſtulit, ac per Paſchaſium Diaconum deſcribi fecit: 5. compoſuit opuſculum pro repellenda jactantia, & ſuperbia: 6. Exhortationem ad humilitatem: 7. de affectibus iræ: 8. de Paſchate: 9. carmina: 10. capitula ex Orientalium Synodis græco ſermone conſcripta latine reddidit. Edita ſunt hæc univerſim quatuor & octoginta capitula in collectionibus Synodorum, & poſt Acta ſecundæ Synodi Braccarenſis recenſentur *l*). Obiit ætatis provectæ, ſecundum Dyptichon Braccarenſe anno Chriſti 579. ſecundum vero Gregorium Turonenſem anno quinto Childeberti Francorum Regis, adeoque anno Chriſti 580. *m*).

Poſterior hic annus etiam in Annalibus Pannoniæ memorabilis eſt, quod Avares tunc primo *Sirmium* expugnaverint. Adhærent hic nonnulli recentiorum, dubitantque idcirco, an Avares illico a Longobardorum exceſſu, id eſt, anno jam 568. Pannonias occupaverint. Immo *Joan. Severinus* diſerte negat, initiumque Avarici in Pannoniis Imperii nonniſi ad annum 602. quo in Oriente *Phocas* imperavit, defigere nititur. Sed ſtandum eſt auctoritate *Paulli Diaconi*, prius illud adfirmantis: teſtimonia enim aliorum veterum Auctorum, quæ adverſari videntur, facili interpretatione conciliari poſſunt. Nempe occupari Pannonia potuit ab Avaribus, quin totam illico inſederint. *Neceſſe enim non eſt*, inquit Cel. *Pray n*), *ut victores, quas in ditionem redigunt provincias, aut, qui has ex pacto ſui juris faciunt, ſemper ſuæ gentis populo impleant. Satis eſt, aliquos præſidii cauſa iſthic relinquere.* Quod vero attinet ad *Sirmium*, aliquot annis ſerius per Avares occupatum; hinc ſolummodo efficitur; nonnullas Pannoniæ Saviæ urbes poſt Longobardorum egreſſum a Romanis orientalibus fuiſſe occupatas, quas tamen Hunni Avares tamquam ſui juris factas poſtmodum repetebant. Hæc ſane cauſa fuerit, cur iidem anno 569. qui erat poſt relictam a Longobardis Pannoniam proximus, bellum Imperatori Juſtino intulerint, atque ex Dacia, ubi etiamnum eorum *Caganus* reſidebat, in Mœſiam infeſtis armis procurrerint. Sed, quoniam hæc procurſio, uti *Corippus*, & *Biclarienſe Chronicon* produnt, iis minus proſpere cecidit, idcirco uſque ad annum 574. ſe ſe quietos continuere: hoc vero anno poſtquam *Caganus* comperiſſet, Romanos orientales magnam a Perſis cladem accepiſſe, audacior factus, confeſtim legatos Byzantium miſit, ſibique civitatem Sirmienſem tradi, & intermiſſa ſtipendia perſolvi poſtulavit. *Targitius* erat unus e præcipuis Hunnorum Legatis, per hunc *Caganus*, uti a *Menandro* narratur *o*), *a Romanis ſibi tradi Sirmium oppidum, tamquam quod eſſet*

l) Vid. *Salazar* Anamneſis, ſive Commemorationes Sanctorum Hiſpanorum T. II. ad diem XX. Martii p. 306. ſeqq.

m) Diptych. Braccar. n. 32. Gregorius Turon. Hiſt. Franc. Lib V. cap. 37.

n) Diſſert. X §. III. p. 227.

o) *Menander* in Excerpt. Legat. p. 114 Et apud *Stritterum* in Memoriis populorum T. I. p. 664

ſua-

ſua privata, & domeſtica poſſeſſio, & quia ab ipſo Gepidarum res eſſent everſæ, neque quidquam præteritis annis ex pecuniis, quas Juſtinianus Hunnis quotannis pendebat, acceperant, omnes ſimul perſolvi, & ita in poſterum earum annuas collationes valere, & eas Romanos præſtare flagitabat. Cum autem tam hæc, quam aliæ complures legationes, quarum idem *Menander* meminit, irritæ eſſent, ad arma deventum eſt. Avares denuo in provincias romanas graſſati ſunt. Quo cognito Imperator *Juſtinus II. Tiberium*, excubitorum Comitem, adverſus eos miſit. Pugna cum Avaribus commiſſa, *Tiberius* ex improviſo ab hoſtibus oppreſſus ſuperatur, multisque e ſuis deſideratis revertitur *p*). Pax confecta fuit in eam conditionem, ut Avaribus octoginta millia numum aureorum ab Imperatore Orientis quotannis penderentur. Sed *Sirmium* adhuc tenebatur præſidio Romanorum etiam ſub *Tiberio*, *Juſtini II.* ſucceſſore, nec antea, quam anno 580 per Avares occupari potuit, idque aſtu, ac dolo *Bajani*, ipſorum Cagani, ſive Regis; qui ſimulata in Sclabenos expeditione, Romanos deluſit, ac *Sirmium* circumfuſis repente copiis ad deditionem compulit. Hanc *Sirmii* expugnationem prolixe, iisque cum adjunctis deſcribit *Menander*, ex quibus facile quivis intelligere poſſit, reliquam Pannoniam eo jam tempore Avaribus paruiſſe. Inter alia enim refert, *Caganum* ante *Sirmii* obſidionem multa vectoria, graviaque navigia in Pannonia ſuperiore conſtrui, ac per Danubium in Pannoniam Saviam devehi juſſiſſe *q*).

Succeſſu temporis Avares Regni ſui fines non modo in Noricum, ſed etiam in Dalmatiam protulerunt, ſubjugatis compluribus Slavorum gentibus. Nihilominus tamen & ipſi non modicis ſæpe cladibus affecti, & in anguſtum redacti fuere, præcipue a Carantanis, Vindis, Chrobatis, Serblis, Bulgaris, & Marahanenſibus: poſtremo autem res Avaricæ in Pannoniis per Francos penitus profligatæ, & everſæ ſunt. Forma Regni Avarici erat peculiaris, ac memoratu digna: univerſum enim Regnum muniebatur novem circulis, id eſt, ſepimentis in orbem diſpoſitis, quorum quædam facile M. P. L. ambitu ſuo amplectebantur, alia plus, minusve. Altitudo hujusmodi ſepimenti erat pedum XX, totidemque pedum latitudo. Conſtabat vero e ſtipitibus quercinis, faginis, & abiegnis, duplici ordine per circuitum in terram defixis, quibus retinebatur vallum e lapidibus, & creta tenaciſſima congeſtum, ac ceſpitibus contextum. Aditum & exitum præbebant peranguſtæ portæ. Intra hos igitur aggeres ita vici, & villæ erant locatæ, ut de aliis ad alias vox humana poſſet audiri. Diſtantia vero unius idgenus circuli ab altero erat circiter M. P. XL; & extra circulos quoque vici, & excubitorum ſpeculæ ſic erant diſpoſitæ, ut ſignum tuba datum facile de loco in locum perciperetur. Hujusmodi circulos Avares lingua ſua vocabant *Haganos*, Franci *Hringos*, vel *Rhingos*. Hinc *Aventinus* ex *Notkero Balbulo* eos adumbrans:

---

p) *Theophanes* p. 208 & ſeq. Et apud Stritterum l. cit. p 666.
q) Menander l. cit. p. 126. Et apud Stritterum l. cit. p. 670.

Avari, inquit, *portionem ſuam novem ſepimentis*, *& circulis*, *quos Rhingos nuncupamus*, *tutandi cauſa cinxerunt r)*. Ipſe vero *Notkerus* inducens loquentem ſecum *Adelbertum* militem, qui Hunnico bello cum *Keroldo* domino ſuo intererat, ita ſcribit: *Terra Hunnorum novem circulis cingebatur*: *& cum ego alios circulos*, *niſi vimineos*, *cogitare neſcius interrogarem*, *quid illud miraculi fuit*, *domine*? *reſpondit*, *novem Haganis muniebatur s)*. Non rite igitur *Joan. Tomka Szaſzky* Introductione in Geographiam Hungariæ antiqui, & medii ævi, *Hunniam Abaricam* dividit in *Hagias*, ſeu circulos IX, quorum quilibet totidem *Hringos* in medio ſui continuerit *t)*. *Hringus* enim, & *Hagia*, ſive potius *Haganus* rem unam, eademque ſignificat. Singulis *Haganis* præfuit unus *Chaganus*, id eſt, Regulus, Dux, aut Præfectus; unde non inveriſimile eſt, *Hagan* idem Avaribus ſignificaſſe, ac Ducatum, aut Præfecturam. Ex adverſo *Hringus*, ſive *Rhingus*, Francorum, ſeu veterum Germanorum vocabulum eſt, latina terminatione ex *Ring* depravatum, quo annularis, ſeu circularis forma ſupra dicti Sepimenti Avarici apte exprimebatur. Porro inter IX. *Haganos*, ſive *Rkingos* unum fuiſſe *Sabarienſem*, quem *Szaſzkius* ſecundo loco nominat, ob veterem loci celebritatem facile adducor, ut credam, tametſi *Rhingi Sabarienſis* mentionem apud Scriptores illius ævi nondum repererim *u)*. Idem Auctor præcipuum, eumque metropolitanum *Rhingum* ſtatuit *Budenſem* fuiſſe, *Budamque* ſupremos gentis Avaricæ Chaganos incoluiſſe: quod pariter, ur veriſimile, recipi poteſt.

Ob hæc munimenta cum Regnum Avaricum in Pannonia fere inexpubile videretur, bellis tamen Francicis deletum fuit. Origo hæc erat: Avares *Taſſiloni* Bajoariæ Duci, quem novas res molientem *Carolus Magnus* Ducatu exuit, atque in monaſterium detruſit, pertinacius addicti, Bajoariam, & Forum Julium, *Caroli Magni* provincias, hoſtiliter invaſerunt *x)*, & in controverſia de finibus, quæ *Wormatiæ* præſente ipſo Rege *Carolo* anno 790. agitabatur, nullam compoſitionem amicam admiſerunt *y)*. Indignatus ergo Rex Francorum bellum indixit Avaribus, quod ab anno Chriſti 791. uſque 799. continuatum eſt. Primæ expeditioni ipſe *Carolus Magnus* interfuit, unoque impetu ab Anaſo fluvio uſque ad Arrabonis oſtium, fugatis Avaribus, penetravit, indeque converſo per *Sabariam* itinere, exercitum pro hybernis in Bajoariam reduxit *z)*. Captum igitur hac expeditione fuit Noricum ripenſe, & Pannonia ſuperior. Eodem tempore

r) Annal. Boicor. Lib. 4. p. 333.
s) Lib. II. de geſtis Caroli M. Cap. 2.
t) P. II. Cap. 2 p. 19.
u) Ibid. pag. 20.
x) *Reginonis* Chronicon ad annum 788. *Sigebertus* Gemblacenſis ud ann. 787.
y) Laurishamenſe Chron. ad ann. 790.
z) Eginhardus in vita Caroli M. *Regino* ad ann. 791. Annales Bertiniani ad eund. ann.

Pipinus quoque Caroli filius rem proſpere geſſit in Pannonia *Savia a*). Sequente anno novi fiebant adparatus ad reliquam Pannoniam ſubjugandam: ſed Saracenorum irruptio in Aquitaniam, & rebellio Saxonum alio avocavit curas, & arma *Caroli.* Incuſſus tamen Avaribus metus tantum valuit, ut unus e Chaganis, *Tudunus* nomine, legatos in Saxoniam uſque ad *Carolum* miſerit, ſe, ſuamque regionem eidem offerens, tranſitumque ad Chriſtiana ſacra pollicitus *b*). Præterea ſub idem tempus inter alios populi Avarici Principes ortæ ſunt diſſenſiones, & ex his bellum civile, in quo factionum Capita, *Jugurrus*, & alius quidam *Chaganus*, cujus nomen intercidit, perierunt. Admonitus hac de re Carolus, illico *Ericum*, Forojulienſem Comitem, & Iſtriæ Præfectum, adverſus diſcordes Avarum Principes movere juſſit. Is adjuncto ſibi *Wonomiro*, Sclavorum Carantanorum Regulo, imperata executus, Avares domeſticis cladibus attritos facile vicit, expugnatoque Ringo, ingentes opes, quas barbari illic adſervabant, occupavit, Regique ſuo transmiſit *c*).

Anno proximo (ſcilicet 797.) ſupervenit novo cum exercitu *Pipinus*, qui reliquos Avares, etiamnum reſiſtere auſos, penitus debellavit, ultra Danubium ac Tibiſcum eosdem perſecutus. Ejectis ergo Avaribus omnis tandem Pannonia in Francorum poteſtatem venit. Reducem vero *Pipinum Carolus Magnus* Aquisgrani eo lætius accepit, quod cum eo ſimul *Tudunus* advenerat, qui ſacro fonte ablutus, poſt præſtitum fidelitatis juramentum in Chagani dignitate confirmatus eſt. At enim *Tudunum* defecit conſtantia, redux enim in patriam a fide deſcivit, jugumque Francicum tertio poſt anno excutere tentavit. Ad caſtigandum perduellem miſſus eſt *Geroldus*, limitis Bajoarici Comes, qui ad Comagenum montem perveniens, cum aciem inſtrueret, ipſo pugnæ initio ſagitta ictus occubuit. Vicerunt nihilominus Franci, cæſoque *Tuduno*, finem tandem impoſuere bello Avarico, quod omnium bellorum, quæ *Carolus Magnus* geſſit, dempto Saxonico, fuerat maximum. *Quot enim prælia*, inquit Eginhardus *d*), *in eo geſta, quantum ſanguinis effuſum ſit, teſtatur vacua omni habitatore Pannonia, & locus, in quo regia Cagani erat, ita deſertus, ut ne veſtigium quidem humanæ habitationis appareat. Tota in hoc bello Hunnorum nobilitas periit, tota gloria decidit; omnis pecunia, & congeſti ex longo tempore theſauri direpti ſunt - - - Ceterum incruentum pene Francis hoc bellum fuit, & proſperrimum exitum habuit, tametſi diutius ſua magnitudine traheretur.* Sequente anno 800. in ipſo Natali Domini *Carolus Magnus* Romæ a Leone Papa Imperator Occidentis renunciatus, & coronatus eſt.

---

a) Epiſt. Caroli M. ad Faſtradam, apud du Chesne T. I. cap. 255.

b) Annal. Fuldens. ad ann. 765.

c) *Eginhardus* in vita Caroli M.

d) Ibidem.

CAPUT VIII.

De rebus Sabariae, totiusque Pannoniae ſub Francis.

POST ſolennia coronationis nihil antiquius fuit Imperatori *Carolo Magno*, quam ut Pannoniam tot bellis exhauſtam, quantocyus reficeret, Imperioque ſuo, & Eccleſiæ Chriſtianæ utilem redderet. Mox igitur novas ex vicinis Bojis, Sclavisque colonias in eam deduci; villas, pagos, oppida, civitates in ea reſtaurari; deſertosque agros coli præcipit. Immo referunt Annales Francici, *Imperatorem Carolum Magnum* anno 803. veniſſe in Bajoariam, ut ordinandis Pannoniæ rebus propior adeſſet, nonnullasque eo pertinentes cauſas diſcuteret; cujusmodi erat celebris illa controverſia inter *Arnonem* Juvavenſem, ſeu Salisburgenſem, & *Waldericum* Paſſavienſem Antiſtem, exorta de finibus Diœceſium in Pannonias productis. Nempe haud ita pridem *Pipinus*, Caroli Magni filius, *Arnoni* Salisburgenſium Archiepiſcopo, ad cujus Diœceſim alioqui Pannonia Savia ſpectabat, ſubjecit reliquam etiam Pannoniam, inter Dravum, & Danubium poſitam, ut ſcilicet eo efficacius curaret converſionem Hunnorum, & Sclavorum, qui ibi circa lacum Peliſſæ inferioris, & ultra Arrabonem fluvium, ſub clientela Francica remanſerant *e*). At vero hæc Pannoniæ pars olim ad jus metropoliticum *Laureacenſium* Præſulum pertinebat: cum ergo his poſt everſum Laureacum ſucceſſerint Paſſavienſes, idcirco *Waldericus* ſui eſſe muneris arbitrabatur, litem ob id Salisburgenſi indicere. Nunc ergo judex in hac cauſa ſedit Imperator *Carolus Magnus*, eamque hunc in modum diremit: ut conceſſio quidem *Pipini* rata, firmaque permaneret; Eccleſiæ tamen Paſſavienſi ob id novæ quædam poſſeſſiones accederent: ſcilicet in *Hunnia*, id eſt, in Auſtria, *Zeiſenmurus*, *Drasmurus*, *Wachova*, & complura alia loca: item apud *Favianam*, (ſeu Viennam) duæ baſilicæ: nec non in Avarum provincia locus quidam *Lytaha* dictus a cognomine fluvio. Hanc donationem poſtea *Ludovicus Pius* novo diplomate confirmavit *f*).

e) Anonymus de converſione Bajoariorum, & Carantanorum: „ Patrem, inquit, Pannoniæ „ circa lacum Peliſſa inferioris, ultra fluvium, qui dicitur Rapa, & ſic uſque ad Dravum fluvium, & eousque Dravus fluit in Danubium, prout poteſtatem habuit *Pipinus*, prænominavit „ cum doctrina, & Eccleſiaſtico officio procurare populum, qui remanſit de Hunnis, & Sclavis in illis partibus, *Arnoni* Juvavenſium Epiſcopo, uſque ad præſentiam genitoris ſui Karoli „ Imperatoris. „

f) Fragmentum diplomatis exhibet Lazius Lib. VII. de migrat. gent.

At *Carolus Magnus* lite compoſita, Salisburgo Aquisgranum rediit. Illic anno 805. eum acceſſit unus ex Avarum Principibus, religione jam Chriſtianus, nomine *Theodorus*, qui ob Sclavorum Bohemorum continuam infeſtationem alias ſibi, & populo ſuo terras, inter *Sabariam* videlicet, atque *Carnuntum* ſitas, ad habitandum dari petiit, & ab optimo Imperatore facile obtinuit. Eventum hunc pluribus cum adjunctis referunt Annales Fuldenſes, in hæc verba: *Carlus junior in Boemanos Slavos cum exercitu a patre miſſus, depopulata provincia regem eorum nomine Lechonem occidit. Caganus Princeps Hunnorum Aquis ad Regem venit, & , ut poſtulavit, inter Sabariam & Carnuntum habitandi locum accepit, eo quod Sclavis infeſtantibus priſtinas ſedes habitare non potuit. Erat enim Chriſtianus, nomine Theodorus, quo ad ſuos reverſo, & non multo poſt morte prævento, Cagano per legatos ſuos petenti ab Imperatore conceſſus eſt honor antiquus, quem Caganus apud Hunnos juxta priſcum eorum ritum habere ſolebat g*). Succeſſor Theodori Cagani in baptiſmo nomen *Abrahæ* accepit, quem Chronicon Ratisbonenſe prodit *Fiſchamundæ* ſacris undis ablatum fuiſſe. *Et Abraham Caganus*, inquit, *baptizatus eſt ſuper Fiskahà h*). *Ottoni Friſingenſi* tam oppidum, quam præterfluens amnis vocatur *Viſcaha*: hodie Germanis *Fiſchament*, inter *Vindobonam*, & *Carnuntum* medio quaſi loco. Hinc vero *Hanſizius* arguit *i*), Avares, qui ſe dediderunt, & Chriſtiana ſacra ſuſceperunt, indulgentia Caroli Magni iſtum quoque locum poſſediſſe; immo & oppidum Favianenſe, id eſt, Viennenſe, & quidquid a monte Cetio eſt ſecundum Danubii ripam uſque Carnuntum, & in mediterraneis inter Carnuntum, & Sabariam, id omne ſub eorum ditione fuiſſe. Hæc veteris Pannoniæ portio poſtmodum *Avariæ* nomine aliquandiu deſignabatur: *Hunniam* autem appellabant portionem Norici Ripenſis ſupra montem Cetium *k*). Multorum hodie opinio eſt, ſedem Cagani Avarici fuiſſe *Sabariæ* defixam. Sed, quia *Sabariam* hoc tempore Præſulibus Juvavenſibus donatam fuiſſe ex fragmentis diplomatum, quæ infra adferentur, conſtat; idcirco longe veriſimilius eſt, Caganos Avarum aut *Vetvari*, aut *Fiskahæ* habitaſſe. De priore loco Cel. *Pray* facta mentione Epiſcopatus Vetvarienſis, *non dubitem*, inquit, *etiam Caganos Avarum abhinc, quam ſacra Chriſtiana amplexi eſſent, Vetuari*

---

g) Annal. Fuld. ad ann. 805. T. I. Script. Germ. curante Struvio p. 13.

h) Ad ann. 805.

i) T. I Germ. ſacræ p. 148.

k) *Lambecius* Lib. II. Bibl. Cæſ. Cap. V. primæ editionis refert; in quodam Codice MS ejusd. Bibliothecæ ſcriptum eſſe, Avaribus conceſſum fuiſſe habitandi locum inter *Sarabiam*, & *Carnuntum*. Idque interpretatur inter *Zagrabiam*, & *Carnuntum* Sed perperam; certum enim eſt, *Sarabiam* ibi mendoſe poni pro *Sabaria*: uti in Pithœano quoque Annalium Fuldenſium codice erronee ſcribitur, *inter Sariam*, & *Carnontum*. Corrigenda ergo ſunt hæc librariorum menda ex aliis æque vetuſtis monumentis, ut ex Eginhardo, ex Reginone, & ex Annalibus Metenſibus, ubi nec *Sariam*, nec *Sarabiam*, ſed *Sabariam* in laudato textu ſcriptam reperies.

quoque ſedem regiam fixiſſe. Idem vero arbitratur *Vetvarum* in ſitu hodierni *Altenburgi* Auſtriæ, inter Haimburgum, & Petronellam, idque ex eadem horum nominum ſignificatione conjectat. *Vár* enim Hungaris *arx* eſt; adeoque *Vetvár*, quaſi vetus arx, vel *vetus burgum l*). Præferenda tamen videtur *Fiskaha*, ſive *Fiſchamunda*, ubi Caganus *Abraham* baptiſmum ſuſcepiſſe legitur.

Non minus obſcurum eſt, ubinam priſtinæ ſedes fuerint horum Avarum, qui nunc permiſſu Caroli Magni inter *Sabariam* & *Carnuntum* conſederunt. Auctor paullo ante laudatus, eas fuiſſe exiſtimat vel trans Danubium intra fluvios Moravam & Vagum, vel cis Danubium infra Arrabonem. En ejusdem argumenta: ,, Arbitror, inquit, Avares hos, qui aliam ſibi a Carolo provinciam petierant, trans Danubium, & fortaſſe ab hodierno Poſonio ad Vagi fluminis ,, oſtia, ac Cituorum inſula habuiſſe, quam partem ab Carolo occupatam alibi ,, memoravimus, cum bipartito exercitu uſque ad Arrabonem fluvium impreſſionem armorum prima in Avares expeditione protulit. Facile enim ea ratione ,, fieri potuit, ut a Behemannis Sclavis, quorum Marahani Avaribus viciniores, aut ſocii, aut domini fuere, infeſtarentur. Sed huic conjecturæ video illud ,, obeſſe: ſi ea parte Avares cum Theodoro Cagano fuere, non apparere, qua ,, ratione is Chriſtiana ſacra amplecti potuerit, quod Arnoni Juvavenſium Præſuli eam Pannoniæ plagam a Carolo fuiſſe creditam in conſpicuo ſit, quæ ,, a Dravo ad Comagenum montem tenditur: niſi forte eam quoque, quam ,, Carolus trans Danubium ad Vagi oſtia occupaverat, curandam Arno acceperit. Id ſi locum non habet, neceſſe eſt, Theodorum infra Arrabonem habitaſſe, ac, quod Marahani ad Granum uſque ditiones ſuas forte protulerint, a Behemannis Marahanorum ſociis, transmiſſo Iſtro, hoſtilem in morem ,, petitum eſſe. Nec enim video, qua via ceteroquin Avares a Behemannis infeſtari potuerint. ,, Hæc in Annalibus veterum Hunnorum, & Avarum *m*). At ipſe collectis ex *Eginhardo*, & *Annaliſta Metenſi* indiciis eruo, *Theodorum* Caganum ſuis cum Avaribus habitaſſe in Ripenſi Norico, atque inde ob infeſtationem Behemannorum Slavorum tranſiiſſe ad provinciam, ab Imperatore Carolo ſibi adſignatam inter Sabariam, & Carnuntum. Sic enim ſcribit Eginhardus *n*): *Non multo poſt Caganus Princeps Hunnorum propter calamitatem populi ſui Imperatorem adiit, poſtulans ſibi locum dari ad habitandum inter Sabariam & Carnuntum, quia propter infeſtationem Sclavorum, qui Behemanni vocantur, in priſtinis ſedibus eſſe non poterant. Illi enim omnem terram Hunnorum depopulantes Lechonem tunc ducem habuerunt.* Hinc ergo liquet, Sclavos, a quibus infeſtabantur Hunni Avares, de quibus nobis ſermo eſt, *Behemannos* fuiſſe,

l) Annal Hunnor. P. II. p. 286.
m) L. cit. p. 285.
n) In vita Caroli M. ad ann 805.

non vero *Marahanos* horum aut ſocios, aut dominos: liquet præterea priſtinas eorundem Avarum ſedes in *terra Hunnorum*, ſive in *Hunnia* fuiſſe. Hanc enim Sclavi *Behemanni* duce *Lechone* depopulabantur. At vero ætate illa Scriptoribus Francis *Hunnia*, vel *terra Hunnorum* non aliud, quam *Noricum Ripenſe* intelligebatur, quemadmodum pars Pannoniæ ſuperioris, Norico Ripenſi contigua, illis erat *Avaria*, ſeu Provincia Avarum. Certum id eſt ex diplomate *Ludovici Pii*, quo *Caroli Magni* donationes, Eccleſiæ Paſſavienſi factæ, hoc modo memorantur: *Tradidit in provincia quemdam locum, qui vocatur Lytha, & in terra Hunnorum Zeyſenmurum, Traſmam, &c.* Omnia hæc loca ſunt in hodierna Auſtria; ſed *Lytaha* infra Vindobonam, ubi erat pars Pannoniæ ſuperioris, *Zeyſenmurus* autem, & *Traſma* ſupra Vindobonam trans montem Cetium in regione, quæ ſub Romanis vocabatur Noricum Ripenſe. Nihil ergo jam dubitandum eſt, quin *Theodorus Caganus*, antequam novas inter Carnuntum, & Sabariam ſedes a Carolo Magno accepiſſet, in Ripenſi Norico ſuis cum Avaribus habitaverit. Quod etiam auctoritate Annalium Metenſium confirmare licet, qui narrant exercitum adverſus Sclavos, Avaribus infeſtos, a Carolo Magno ſubmiſſum, non in *Marahaniam*, ſed in *Bohemiam*, Norico Ripenſi vicinam, irrupiſſe. Narratio ita habet *o*): „ Eodem anno cum eſſet Imperator in palatio, quod ſitum eſt Aquis, „ miſit exercitum ſuum cum filio ſuo Carolo in terram Sclavorum, qui vo- „ cantur Behemi, & per tres vias in eandem regionem exercitum penetrare præ- „ cepit. Partem autem exercitus cum Carolo rege filio ſuo per orientalem par- „ tem Franciæ, ſeu Germaniæ, ire præcepit, ut Hircano (*Hercynio*) ſaltu „ transjecto jam dictos Sclavos invaderet. Aliam vero partem per Saxoniam di- „ rigens, ut ex altera parte cum Saxonibus, & innumerabilibus Sclavis tranſito „ ab aquilone jam dicto ſaltu in Sclavos prorumperet. Tertia quoque ex parte „ expeditionem totius Bojoariæ in eandem intrare juſſit. Venientes autem undi- „ que in planiciem Behemi, univerſi Principes diverſarum gentium in conſpectu „ regis Caroli pervenerunt. Caſtra metati ſunt autem haud procul a ſe illi innu- „ merabiles exercitus diſtantes. Caroli autem Regis, & Principum, qui cum „ eo erant, imperio uſus totus ille exercitus ipſam regionem invaſit. Sed Sclavi „ in vias, & ſaltus penetrantes, ſe minime ad pugnam præparaverunt. Vaſtata „ autem, & incenſa per quadraginta dies eadem regione, ducem eorum nomine „ Lechonem occidit. „ Quæ ſane omnia non de *Marahania*, verum de *Bohemia* vaſtata, intelligi oportere in conſpicuo eſt.

Ceterum Avares e Norico Ripenſi in Pannoniam ſuperiorem digreſſi, pro Behemanis jam Marahanos Sclavos habuere finitimos, a quibus pariter non diuturna illis erat quies. Teſtatur enim *Eginhardus p*), Carolum Magnum anno 811

o) In Chron. Met. ad ann. 805.
p) In vita Caroli M. ad ann, 811.

coactum fuiſſe mittere partem exercitus in Pannoniam ad controverſias Hunnorum, & Sclavorum finiendas, quæ, ut veriſimile eſt, limitum cauſa obortæ fuerunt. Territi Sclavi Marahani, quorum tunc Principes erant *Moymirus*, & *Privina*, legationem Aquisgranum ad Imperatorem, ut juſſi ſunt, miſerunt: eodem venerunt Avarum quoque Primores *Canzaucus*, & *Tudun*. Reſponſum eſt Legatis, ut Marahani Danubio ditionum limite ſe ſe contineri paterentur. Plurimum tamen ad continendos in officio tam Sclavos Marahanos, quam Avares, contulit *Urolphus* Paſſavienſium Antiſtes, qui cum magnam utriusque populi partem ad gregem Chriſti adjunxiſſet, duos Epiſcopatus in Marahania, nempe Speculunenſem, & Nitravenſem, totidemque in Avaria, utpote Favianenſem, & Vetvarienſem, inſtituit, eoque rem adduxit, ut Principes utriusque nationis ſupplices ad *Eugenium* Papam literas dederint, quibus orabant, ut *Urolpho* vetera Laureacenſium Antiſtitum jura reſtituere, eidemque cum pallio Archiepiſcopali vicem auctoritatemque Apoſtolicam per Moraviam & Pannonias conferre vellet. Annuit *Eugenius* datis Literis Apoſtolicis hujus tenoris *q*).

„ Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei Rathfredo ſanctæ Favianenſis Eccleſiæ, & Methodio ſanctæ Speculi Julienſis, quæ & Sorigutu„ renſis nuncupatur, atque Alevino ſanctæ Nitravienſis Eccleſiæ, parique modo „ Annoni ſanctæ Vetvarienſis Eccleſiæ Epiſcopis: ſimul etiam Tutundo, nec „ non Moymaro ducibus, & optimatibus, exercitibusque plebis Hunniæ, quæ „ & Avaria dicitur, & Moraviæ. Deſiderio ſalutis animarum veſtrarum, filii in „ Chriſto chariſſimi, cum audivimus chriſtianiſſimam converſationem veſtram, „ & ſanctæ fidei, bonorumque operum veſtrorum proceſſum, ſummo gaudio „ atque lætitia fuimus exhilarati; quia divina in vobis operante clementia, ut „ Apoſtolus ait: ubi abundavit delictum, ibi ſuperabundat gratia; atque quo„ modo ſancta Dei Eccleſia noſtris temporibus quotidianum in electione veſtra „ ſuſcipit incrementum. Cujus optabilis rumoris index fuit Reverendiſſimus Yrol„ phus ſanctæ Laureacenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, & ſanctiſſimus frater noſter, „ veſter autem ſpiritualis Pater, qui per ſuam ſanctam prædicationem adopti„ vos Deo vos genuit filios. Is itaque ad Apoſtolorum limina orationis cauſa „ veniens, novam Eccleſiam noſtris Apoſtolicis benedictionibus informandam „ ſubnixe commendavit, quam domino auxiliante catholice gubernandam in ve„ ſtris partibus ſuſcepit. In quibus etiam quondam Romanorum, Gepidarum„ que ætate, ut e lectione certum eſt, in ſeptem Epiſcoporum Parochias Ante„ ceſſores ſui jure metropolitano obtinuerunt Diœceſim. Qua ex juſtitia, & lege, „ præfatus Deo digniſſimus Archiepiſcopus debito obligatur, ut illi terræ, prius „ Chriſticolæ, atque ſuorum antiquitus Succeſſorum creditæ providentiæ, quam „ nunc vos Dei omnipotentis occulto mediante judicio, velut hæreditariam

q) In Adpendice ad Chronicon Reicherſpergenſe.

„ poſſidetis,

„ poſſidetis, ipſe Evangelicus Agricola, diu negata cœleſtis ſpargat ſemina vitæ, „ atque in lucrandis Chriſti animabus redivivam de vobis nutriat ſegetem. Quem „ nos doctiſſimum divini miraculi miniſtrum, ſaluti veſtræ cognoſcentes per „ omnia neceſſarium, fide & exemplo probatum merito erga illum Apo- „ ſtolicam ſervantes ſententiam, qua dicitur: quomodo credent ſine præ- „ dicante? aut quomodo prædicabunt, niſi mittantur? ab hac ſancta Romana „ matre Eccleſia vobiſcum rectorem transmiſimus. Atque etiamnum in præfatis „ regionibus Hunniæ, quæ & Avaria appellatur, ſed & Moraviæ, provinciarum „ quoque Pannoniæ, ſive Mœſiæ Apoſtolicam vicem noſtram, & Diœceſim, „ atque jus Eccleſiaſticum exercendi, & uſum, ac poteſtatem Anteceſſorum „ ſuorum, videlicet ſanctæ Laureacenſis Eccleſiæ Archiepiſcoporum, ſibi ſuc- „ ceſſoribusque ſuis canonica auctoritate committimus, atque hujus conſtitutionis „ noſtræ decretum ſubſcriptionis privilegio roboramus. Pallium præterea juxta „ conſuetudinem antiquam ſanctitati ſuæ dedimus, quod ita ſibi conceſſimus, „ ſicut Prædeceſſores noſtri ſuis prædeceſſoribus conceſſere; privilegiorum ſuo- „ rum ſcilicet integritate ſervata. Cujus dilectioni, quamvis hoc debito permit- „ teremus, propter veſtras autem petitiones, ſuper hac re flagitantibus ad ho- „ norem ſuum, noſtram Apoſtolicam vicem, & auctoritatem inſuper accumu- „ labimus, quod nunquam ſuis eſt permiſſum prioribus. Quatenus & vos con- „ fratres, & Coëpiſcopi deinceps ei reverentiam ampliorem exhibere ſciatis, „ & in ſana doctrina cœleſtis eruditionis ad ædificationem veſtram, ut filii „ ſapientes, obediatis; atque vos Laici, primates, & vulgus ſaluberrimis præ- „ ceptis ſuis, non velut homini, ſed tamquam Deo humiliter obtemperetis, & „ in fide catholica, quam per Dominum Jeſum conſecuti eſtis, fortes perma- „ neatis. Nam totius doli artifex diabolus, cujus dominio, & pompis in ba- „ ptiſmate abrenunciaſtis, jacturam & damnum veſtræ ſalutaris ſurreptionis mo- „ leſte patitur; ac per varias occaſiones zizania perfidiæ ſeminando, velut multa „ injuria bachatur; & ut veſtrum aliquis terga vertat ſanctæ profeſſioni, in- „ ceſſanter molitur. Quapropter ſæpe dicti Archiepiſcopi, videlicet Paſtoris ve- „ ſtri, a Deo deſtinati, inſtitutionibus benignas aures præbete, qui vos & ver- „ ſutiem Sathanæ cavere, atque ejus æternos cruciatus evadere inſtruit, ac ipſe „ in die judicii de bonis operibus veſtris ſeculorum domino perpetua remune- „ randos gloria præſentabit. Ad perfectam autem, & neceſſariam conditionis „ veſtræ ſalutem, cum, ut comperimus, non ſufficiant pauci, qui modo con- „ ſtituti ſunt vobis Epiſcopi, quia plures ſunt adhuc gentilitatis errore ibidem „ detenti, ad quos propter inopiam præconum divini verbi nondum pervenit „ notitia Chriſti. Idcirco enim, ut augeſceret turba fidelium, ſtudeat ſolertia „ veſtra pro mercede, & remiſſione peccatorum veſtrorum, adminiculum, atque „ juvamen præbere Reverendiſſimo Yrolpho Archiepiſcopo, quatenus dudum „ illic conſtitutorum Epiſcoporum numerus impleatur. Qui congrue conſtituti,

„ & vobis, poſterisque veſtris poterunt eſſe proficui, ſi ad reſtaurationem Ec-
„ cleſiarum propter nomen Domini de poſſeſſionibus veſtris, quas reditus do-
„ tesque earum fama divulgante quondam fuiſſe noveritis, æternam ſufficientiam
„ vobis comparantes, eisdem Eccleſiis ipſi conferatis, idoneis viris ad hoc mi-
„ niſterium electis: maxime in illis locis, ſi opportunitas, & utilitas commen-
„ daverit, ordinentur Antiſtites, ubi indicia Eccleſiarum, & ædificiorum ſedes
„ pontificales olim fuiſſe demonſtrant: ſin autem; illius arbitrio & delibera-
„ tioni, qui, vel, ubi diſponantur Epiſcopi, concedimus; cui vicem noſtram
„ Eccleſiaſtici regiminis per omnia commiſimus. „

Datæ fuerunt hæ literæ circa annum Chriſti 823: e quibus patet, *Urolphum* Laureacenſem Præſulem conceſſione *Eugenii II.* jus ſacrum metropoliticum accepiſſe non modo per Avariam, & Moraviam, verum etiam per ulteriores Pannoniæ, & Mœſiæ provincias exercendum. Quod quidem ſuperſtite aut Imperatore *Carolo Magno*, aut *Arnone* Salisburgenſi Archiepiſcopo, vix obtenturus erat. Verum ille jam anno 814, hic autem anno 821 e vivis exceſſerunt. Non defuit tamen muneri ſuo *Adalramus*, Arnonis ſucceſſor, qui Pontificiæ huic conſtitutioni tanta vi, & efficacia interceſſit, ut quoad ulteriores Pannoniæ, & Mæſiæ provincias nullum ſortita fuerit effectum, quemadmodum *Hanſizius* ex hiſtoria Converſionis Bajoariorum, & Carantanorum colligit *r*). Immo prætendebat *Adalramus*, omnem Pannoniam uſque ad montes Comagenos ad jus metropoliticum Salisburgenſis Eccleſiæ pertinere, adeoque novos Epiſcopos, ab *Urolpho* in Avaria conſtitutos, ſibi eſſe debere obnoxios. Lis tandem ad *Ludovicum*, Pii filium, petente Reginario Paſſavienſi Epiſcopo, delata, hunc in modum deciſa fuit: *ut Regio, quæ ultra Comagenos montes eſt, inter eos divideretur, ſic, ut Aquilonarem Occidentalemque oram, qua Spirazza amnis exoritur, & cum altera Spirazza, & Arrabone confluit, Patavienſis haberet; reliqua Orientem, Auſtrumque ſpectantia procurarentur ab Salisburgenſi. Actum Reganespurch anno Chriſto propitio DCCCXXIX. Anno XVII. Hludovico Imperatore. filio ejus Hludovico regnante in Bojaria anno V. XIIII. Kal. Decembris. Luna XVI. Indictione VIII. Angelmarus ad vicem Gotzbaldi ſcripſi, & ſubſcripſi s*). Hac ergo deciſione jura Eccleſiarum Paſſavienſis, & Salisburgenſis ſic diſcreta ſunt, ut Regio, quæ ultra Comagenos montes in Pannoniam excurrit, uſque ad *Spirazam* amnem, qui cum altero ejus nominis rivo, & Arrabone confluit, occidentem, ac ſeptentrionem verſus Paſſavienſi Antiſtiti pareret; reliqua ad Auſtrum, Orientemque ſpectantia, ad Salisburgenſis Archiepiſcopi ſacram procurationem pertinerent. Hæc eſt *Calleſii* interpretatio; qui addit, fluviolum *Spirazam*, ſeu *Spra*[illegible]*am* miſceri *Arraboni* in confinio Hungariæ, & Styriæ non longe a fluvio *Pinka t*). Quod

r) T. II Germ ſacræ p. 124.
s) Ibidem. *t*) T. I. Annal. Auſtr. p. 177.

ſi ita eſt, patet *Sabariam* dehinc in ſacris a Paſſavienſibus Metropolitis dependiſſe; cum antea Salisburgenſibus fuerit ſubjecta: ſecus proinde, ac *Hanſizius* opinatur, cum ſcribit, hoc decreto utramque Diœceſim ad veteres terminos, qui tempore *Pipini*, & *Caroli Magni* defixi fuerant, revocatam eſſe: antea enim terminus harum Diœceſium erat fluvius *Litaha*, ſeu *Leitha*, Peiſoni lacui vicinus; ideoque *Sabaria*, longe ab hoc fluvio Arrabonem verſus diſſita, ad *Salisburgenſem* ſpectabat.

Jam quod ad formam civilem Pannoniæ ſub Regibus Francis attinet: omnis Pannonia regebatur a Comitibus, ſeu Præfectis limitum, qui & Marchiones vocabantur a Præfectura Marchæ, ſive limitis. Idgenus Comites imperante Carolo Magno erant Gonterranus, Verenharius, Albricus, Gothefridus, & Geroldus *u*). His ſubjecti erant Sclavorum, & Avarum, Pannonias incolentium Duces, ac Dynaſtæ. Inter hos ſub *Ludovico Pio* eminebat *Lieudewitus* Chrobatorum Dux in Pannonia Savia, qui *Cadaloi*, Forojulienſis Ducis, Comitisque limitanei immanitate offenſus, jugum Francicum excutere tentavit, ſed in apertam rebellionem erumpens, cum poſt infelicem pugnam anno 822. fugere in Dalmatiam coactus eſſet, ibi fraude *Liudemisli* perierat. *Inchoferus* ſcribit, *Ludovicum Pium* hoc tempore de erigendo *Sabariæ* Epiſcopatu cogitaſſe, ſed quemadmodum id antea perfici non potuit propter Principes, qui in ea civitate reſidebant, a ſacris Chriſtianis alienos, ita nunc inpedimento fuiſſe *Lyndeutum* Pannoniæ Sabariæ Præſidem, & hoc exacto, alios Principes æque infideles, qui ſanctum hoc propoſitum impediebant. Sed en ejusdem verba *x*): „ *Cur Sabariam*, inquit, quæ civitas non minimæ Pannoniæ parti nomen dedit, ea prærogativa præterierit, ut „ Eccleſiarum illic caput eſſet, merito in quæſtionem venit. - - - Ceterum „ quod illis temporibus, ſplendidis quibusque civitatibus evenit, ut dominatu „ Principum alienorum, religio non facile in illis exſurgeret, eadem quoque „ ſors *Sabariæ* fuit. Quippe ob honoris prærogativam, quod ſedes dominantium eſſet, plurimorum ambitione conflictata; vel, ſi de religione ſermo ſit, „ in Evangelium haud propenſa, ſpatium ſanctitati non ita laxum dedit, ut „ vel emergere, vel dilatare ſe poſſet. Satagebat ejus rei *Carolus Magnus*, „ ſatagebat & poſtea *Ludovicus Pius* ejusdem natus; ac ut ille circa Albam, „ ſic iſte *Sabariæ* fundando Chriſti regno locum metatus eſt; neque tamen „ ſtabilem Religioni ſedem nactus fuit, tametſi *Lyndeutum*, Pannoniæ Sabariæ „ Præſidem armis exegiſſet, continuo rurſus novos ebulliente Principes infidelitate. „ Eadem ex Inchofero exſcripſit *Gabriel Szerdahelyi* in Chorographia celebrium Hungariæ urbium, nonnullis tamen mutatis: *Lyndeutum* enim gentilem, & Pannoniæ Saviæ, non Sabariæ, Præſidem vocat. Sed hæc nullis vete-

u) Apud Anonymum de Converſione Bajoar. & Carant. XVII.

x) T. I. Annal. Eccl. Hung. in Apparatu p. XVI.

rum monumentis firmari poſſunt, immo his manifeſto in quibusdam adverſantur, quemadmodum jam a RR. *Salagio* demonſtratum eſt *y*); & ſatis patet ex iis, quæ hactenus de rebus Sabariæ totiusque Pannoniæ, ſub Regibus Francis conſtitutæ, antiquorum Auctorum veſtigia ſecuti, retulimus, ac deinceps referemus.

Poſt *Lieudewiti* perduellis interitum Savienſes Chrobati nullum ſuæ gentis Principem aliquandiu habuere: idemque accidit aliis quoque Sclavis, qui in Pannonia Bojis permixti agros, inter Arrabonem Dravumque diffuſos, colebant, quorumque Duces antea fuerunt (perhibente proximo illis temporibus Auctore Anonymo de Converſione Bajoariorum, & Carantanorum) *Priwislaunga*, *Comicas*, *Ztoimar*, *Etgar*. Nam *poſt illos Duces Baguarii cœperunt prædictam terram dato Regum habere in Comitatum*, *nomine Helmwing*, *Abgarius*, *& Pabo z*). Ceterum ſupra memoratam *Lieudewiti* rebellionem alia quoque rerum converſio ſubſecuta fuit in iis Pannoniæ partibus, quas gentes Sclavicæ ſub clientela Regum Francorum poſſidebant. *Ortomagus* enim Rex Bulgarorum, qui tunc præter Mœſiam, partemque veteris Daciæ circa Tibiſcum, etiam portionem quandam Pannoniæ Saviæ poſſediſſe videtur, Cæſari litem de finibus indixit, &, poſtquam per legatos iterum, iterumque miſſos nullum certum reſponſum accepiſſet, contemptum interpretatus, factis celeriter navigiis copias eis imponit, trajectoque Dravo flumine in Pannoniam Valeriam irrumpit, Sclavosque Ludovico Pio ſubjectos cædit, omnique eorum regione evaſtata, Præfectos iis Bulgaros conſtituit. Cladem hanc Annales Francici ad annum 827. hiſce verbis referunt: *Bulgari Sclavos in Pannonia ſedentes miſſo per Dravum navali exercitu ferro & igni vaſtavere*, *& expulſis eorum Ducibus*, *Bulgaricos ſuper eos Rectores conſtituerunt a*).

Clade hac audita Imperator *Ludovicus Pius* graviter indignatus *Baldericum* Carantaniæ, & limitis Pannonici Præfectum, ob cujus ignaviam id accidiſſe rebatur, loco ſuo movit, ejusque Præfecturam in quatuor Comites diviſit, ac anno ſequente Ludovicum filium ſuum, cui Bajoariæ provincias tradidit regendas, adverſus Bulgaros lecto cum exercitu miſit *b*). Interfuit huic expeditioni præter alios *Adalramus* Archiepiſcopus Salisburgenſis, qui eadem occaſione ad vicinos Bulgaris Moravos divertit, ac Nitriæ apud *Privinam*, Bojorum amicum, Eccleſiam conſecravit *c*). Quinam porro hujus expeditionis fuerit exitus, non commemorant Annales; repreſſos forte, non tamen perdomitos fuiſſe Bulgaros inde pateſcit, quod haud multo poſt iterum Dravo navibus trajecto nonnullas

y) Lib. III. de antiquis Epiſc. Pann. p. 227.

z) Anonym. de Conv. Bojoar. & Carant. XVII.

a) Annal. Fuld. ad ann. 827.

b) Annal. Bertiniani ad ann. 828. Item Reuberiani ad eund. ann. & Biograph. Ludovici Pii.

c) De Converſ. Bajoar. XVIII.

Francorum villas flumini vicinas incenderint *d*). Sed Pannoniæ a Moravis major, quam a Bulgaris imminebat pernicies, ut poſtea videbimus. Nunc pauca prius de fatis *Privinæ*, cujus paullo ante meminimus, referre libet.

Privina, Princeps Nitravienſis apud Moravos, orto inter ſuos diſſidio, per *Moymarum* Ducem ejectus, primo ad *Ratbodum* limitis Pannonici Præfectum, dein ad Regem *Ludovicum* venit, dilatumque baptiſmum *Treiſmæ*, Salisburgenſis ditionis oppido, ſuſcepit. Varia dehinc ejus fata fuere. Redux enim in Pannoniam cum filio ſuo *Chezilone*, & aliquandiu iterum apud *Ratbodum* commoratus, ſubito ad Bulgaros, poſtea ad *Ratimarum*, Dalmatiæ, & Croatiæ Ducem, ſe ſe contulit. At jam in *Ratimarum*, Francis infidelem, bellum erat decretum; quod auſpiciis *Ludovici* Regis a *Ratbodo* ita geſtum eſt, ut *Ratimarus*, multis ſuorum amiſſis, fuga ſalutem quærere debuerit. Tum vero & *Privina*, capto ex neceſſitate conſilio, ad *Salachonem* Pannoniæ Saviæ Comitem ſe ſe recepit. Proſpere id ei vertit: hujus enim opera reconciliatus *Ratbodo*, & *Ratbodi* interceſſione a Rege *Ludovico* in gratiam receptus fuit, ſimulque ditionem quamdam in Pannonia, jure fiduciario prius conceſſam, dein dono ſibi collatam accepit *e*). In quanam Pannoniarum regione hæc *Privinæ* ditio exſtiterit, obſcurum eſt hodie. Anonymi libellus de Converſione Bajoariorum a RR. *Salagio* editus *f*), perhibet, eam fuiſſe *in Pannonia inferiore circa fluvium, qui dicitur Sana.* Sed editio Freheriana eum fluvium non *Sanam*, ſed *Savam* vocat, quod rectius eſſe videtur: *Sava* enim, ſive *Savus* non ſuperiorem tantum, verum & inferiorem Pannoniam præterfluit: de *Sana* vero Pannoniæ inferioris fluvio nuſpiam alibi occurrit mentio. Unde apparet, ditionem *Privinæ* circa Savum fluvium in inferiore Pannonia, id eſt, in hodierna Sclavonia poſitam fuiſſe. Sed obſtant nomina locorum, quæ eodem libello in ditione *Privinæ* memorantur, ut *Salapiugis* (Frehero *Salapurgis*) & *Quinque Baſilicæ* &c. Extant enim hodieque loca ejusdem fere nominis, uti *Szalavár*, quod latine redditum notat *Salaburgum*, & *Quinque Eccleſiæ*, quæ idem prorſus ſignificant, quod *Quinque Baſilicæ*. Sagaciter proinde conjectant doctiſſimi duumviri *Koller*, & *Salagius*, uterque Quinque Eccleſienſis Canonicus, pro fluvio *Sana*, & *Sava* Auctorem ſupra dicti libelli aut ſcripſiſſe, aut ſcribere debuiſſe *Salam*. Fluvius *Sala*, cujus ſcaturigines in Comitatu Caſtriferrei non longe abſunt ab oppido *S. Gothardi*, labitur ab occaſu ortum verſus per Comitatum Saladienſem, & præterfluens oppidum *Szalavarinum* miſcetur lacui *Balatoni*. Circa hunc itaque fluvium erat ditio *Privinæ*, ſic tamen ut nonnullas poſſeſſiones etiam longius ab hoc fluvio remotas habuerit, veluti *Quinque Baſilicas*. Neque adverſatur huic interpretationi, quod ea ditio dicatur pars *Panno-*

d) Annal. Fuld. ad ann. 829.
e) In fine Libri IV. de ſtatu Eccl Pann.
f) De Converſ. Bajoar. XVII. XVIII. & XX.

niæ inferioris fuiſſe, cum tamen circumſita fluvio *Salæ* Regio reipſa ſit in *Pannonia ſuperiore*. Non enim deſunt exempla, quibus oſtendi poteſt, Scriptoribus inferioris ævi eam vocari *Pannoniam inferiorem*, quæ antiquioribus erat *Pannonia Superior*, & vice verſa. Sic in Itinerario Hieroſolymitano pag. 561. primus a *Patavione* Norici civitate ingreſſus in *Pannoniam Superiorem* ſic deſcribitur: *Tranſis Pontem, intras Pannoniam inferiorem g*). Sed jam reliqua de *Privina* Duce abſolvamus. Obtenta hac ditione *cœpit ibi habitare*, inquit idem Auctor, *& munimen ædificare in quodam memore* (nemore) *& Palluſelede fluminis*, id eſt, & Palude, ſive ad Paludem Salæ fluminis, adeoque ad Balatonem; hanc enim paludem influxu ſuo Sala fluvius efficit. Ædificavit autem ibidem civitatem *Salapiugin* cum caſtro *Moſapurg* dicto: ſimulque terras ſuas, accitis undiquaque populis, præcipue, ut videtur, Moravis popularibus ſuis, implevit. Quo facto, multas dein variis in locis Eccleſias erexit, ac jurisdictioni Archiepiſcoporum Salisburgenſium ſubjecit. Sed poſtremo a perfidis Moravis occiſus eſt, relicto ſucceſſore filio *Chezilone*, ad quem S. *Methodius* Sclavorum Apoſtolus venit, uti poſtea dicetur.

CAPUT IX.

De cladibus Pannoniae per bella Moravica illatis: & an Sventibaldus Moravorum Dux Pannoniam poſſederit?

DEFUNCTO ſub annum Chriſti 846 Duce *Moymaro*, qui *Privinam*, ut dictum eſt, ejecit, Moravi defectionem ab Imperio Francorum moliebantur. Verum tempeſtive advolavit Rex *Ludovicus* valida inſtructus manu, compreſſaque ſeditione Ducem illis conſtituit *Raſticen*, aliter *Ratislavum* quoque dictum, Moymari nepotem. Quamquam neque hic in fide Francorum diu permanſit: adſumpto enim in conſortium Principatus *Sventibaldo*, ſeu *Suatoplugo*, nepote ſuo, paucis poſt annis clientelæ *Ludovici* Regis renunciavit, ortoque ſub annum Chr. 855. bello, magnis damnis cum Ludovici exercitum, tum Pannonias, & Noricum affecit. Irritam quoque reddidit expeditionem, per *Carolomanum* Ludovici filium anno 858 adverſus ſe ſuſceptam, nec prius, quam anno 864 debellari potuit. Poſtremo hoc bello ipſe Rex *Ludovicus* ingentibus cum copiis adverſus rebellem venit, progreſſusque ultra Danubium *Dovinam* (Hungaris *Dévén* in Comitatu Poſonienſi arx, & oppidum ad fluvium Moravam) tam arcta cinxit obſidione, ut *Raſtices* eidem incluſus rebus deſperatis ſe ſe dedere, & præſtito

g) Vide Notas *Weſſelingi* ad hunc Itinerarii locum p. 561.

rurſus fidelitatis juramento, datisque in pignus fidei obſidibus, imperata facere coactus fuerit. Sed idem ſervitutis impatiens prima data occaſione fidem denuo fregit, ac junioris *Ludovici* rebellionem adverſus Patrem adjuvit, adſcito in ſocietatem novi hujus belli *Sventibaldo*. Quæ perfidia ei tandem exitium attulit: poſtquam enim Carolus, & Carolomanus, a patre ſuo Ludovico Rege miſſi, magnam utrique cladem intuliſſent, alter poſtea alteri inſidias ſtruere cœpit, quibus demum *Sventibaldus* prævaluit, ligatumque *Raſticen* ad pœnas perduellionis Ludovico Regi tradidit *h*).

Raſtice anno 870 oculis orbato, & in monaſterium detruſo, ſolus dehinc *Sventibaldus* apud Moravos transdanubianos rerum potiri cœpit; non multo tamen poſt ipſe quoque infidelitatis accuſatus in Francorum manus, & cuſtodiam venit. Quo audito Moravi, eum jam periiſſe rati, illico Presbyterum quemdam *Sventibaldi* propinquum, nomine *Sclagamarum* ſibi præficiunt, iſtoque Duce, quamvis perinvito, in Francos inſurgunt; incaſſum tamen: *Sclagamarus* enim a *Wilhelmo*, & *Engiſcalcho*, Pannoniæ Superioris Rectoribus, Auſtriæque Marchionibus facile victus, fugatusque eſt. Interea vero *Sventibaldus* objectum infidelitatis crimen ea dexteritate diluit, ut non ſolum liber a Carolomano dimiſſus, verum etiam regiis ornatus muneribus ad Principatum ſuum redierit, comitante exercitu, quem ſpecie debellandi *Sclagamari* impetraverat *i*). Hæſit tamen in animo injuriarum, ſibi a Francis illatarum, memoria: quamobrem in Moraviam redux nullam prætermiſit vindictæ occaſionem; ac primum easdem Bajoariorum copias, quæ illi contra *Sclagamarum* datæ erant, ex improviſo in caſtris adortus eſt, plurimis occiſis, multis in captivitatem abductis. Omitto alia bella, quibus Francos divexaverat uſque ad annum 876. quo Rex *Ludovicus* obiit: verum illa ſilentio non ſunt prætereunda, quæ dein ſub *Carolo Craſſo*, & *Arnulpho* geſta fuere, uſque dum nova, prorſusque inexpectata rerum converſio ſequeretur, Pannoniorum æque, ac Moravorum provinciis ad *Hungaros*, gentem advenam, devolutis.

Bellis Moravicis ſub Imperatore *Carolo Craſſo* occaſionem, cauſamque præbuerunt *Megingotus*, *Babo*, & *Werinharius*, Marchionum *Wilhelmi*, & *Engiſcalchi* filii, qui facta conſpiratione *Arbonem*, Norici, & Pannoniæ Superioris Præfectum, ejecerunt, & in Moraviam ad *Sventibaldum* fugere compulerunt *k*). Igitur *Sventibaldus* tam *Arbonis*, quam ſuas injurias vindicaturus, prima expeditione anno 883. Noricum ripenſe, & contiguam Superioris Pannoniæ partem invaſit; *Megingoto*, & *Babone* profligatis, *Werinhario* autem, & *Weclone* Comite barbarum in modum excruciatis. Legatione dein ad *Arnulphum*, *Ca-*

h) Annales Fuldenſes ad ann. 855. 864. 870. & Hermannus Contractus ad eosd. ann.

i) Annal. Fuld. ad ann. 871.

k) *Hermannus Contractus* ad ann. 883. Supplem. Fuld. ex Pyth. ad ann. 884.

Rolemanni filium nothum, atque hoc tempore Carentaniæ, ac Pannoniarum Ducem, miſſa, hæc duo poſtulavit: primum, ne *Megingoto*, ac *Baboni* receptum, auxiliumve præberet; poſtea jurejurando comprobaret, ſe nec in vitam, nec in regnum ipſius conſilia cum Bulgaris Moravorum hoſtibus iniviſſe. Neutrum cum obtinuiſſet, alteram ſequente anno expeditionem ſuſcepit, qua magnam Pannoniæ partem pene in ſolitudinem redegit. Redeuntibus jam tertio Moravis *Megingotus*, & *Babo* ſe ſe quidem cum nonnullis copiis objecerunt, ſed in fugam illico verſi, & relicto inter captivos *Bertholdi* Comitis fratre, Arrabonis demum flumine hauſti ſunt. Exin *iſto continuato tertio anno dimidio inſtanti* (verba ſunt Supplementi Fuld. ex Pythæo) *Pannonia de Hraba flumine ad orientem tota deleta eſt. Servi, & ancillæ cum parvulis ſuis conſumti ſunt, primoribus quibusdam tentis, quibusdam occiſis: &, quod turpius erat, truncatis manu, lingua, genitalibus, remiſſi ſunt l*). in quæ *Calleſius* commentatus *m*): „ Obtrita, inquit, & exina„ nita erat omnis prope ab Arrabone ad Savi Iſtrique confluentem Pannonia: „ tantum nobilis, plebejique ſanguinis fuſum: tot edita, tamque barbaræ imma„ nitatis exempla, ſatis ut appareret, nihil nec humani, nec divini juris com„ mune ſibi cum Germania *Sventibaldum* voluiſſe. — Excitatus tot cladibus, „ exulumque lamentis *Carolus* Cæſar, quamquam ſero, in Auſtriam deſcendit, „ promotisque ad Tullinam fluvium caſtris, Sventibaldum ad amicam compoſi„ tionem evocavit. Locus colloquio in monte Comageno captus: Sventibaldus, „ qui ad ſimulationem a natura factus, non modo obedienter, ſed officioſe etiam „ cum magno procerum ſuorum comitatu adfuit, renovato fidei ſacramento in „ gratiam facile receptus eſt. „ Eodem tempore *Wratislaus* quoque, alias *Brazlavo* dictus, Sclavorum in Pannonia Savia Dux, præſtito de more militari juramento, in Ducatu ſuo confirmatus, & *Arbo* in priſtinum honoris gradum repoſitus fuit *n*).

Hac pace confecta, an *Suentibaldus* Pannoniam bello captam retinuerit, haud ſatis liquet. Affirmant *Hanſizius*, *Godefridus Schwarzius*, *Joannes Severinus*, *Katona*, & *Szklenar*, nonnullique alii. Oppoſitum ſentire videntur *Sigismundus Calles* & *Georgius Pray*: aperte vero negat, multisque modis alteram ſententiam oppugnat *Stephanus Salagius*. Quoniam vero paucis oſtendi nequit, quid horum veriſimilius videatur, idcirco quæſtionem hanc peculiari diſceptatione de finibus Magnæ Moraviæ diſcutiendam in ſequens Caput differimus; nunc vero cœptam de Sventibaldo narrationem proſequemur. Poſt Imperatoris *Caroli Craſſi* ex Norico abitum pax quoque coaluit inter *Arnulphum*, & *Sventibaldum*; quæ, ut firmior conſiſteret, etiam ſacrum acceſſit amicitiæ vinculum,

---

l) Ad ann. 884.

m) T. I. Annal. Auſtr. III p 305.

n) Eadem licet aliis verbis habet Suppl. Fuld L. cit.

dum

dum *Arnulphus* filium ſuum a Sponſore *Sventibaldo* e ſacro fonte levari, atque ex Ducis nomine pariter *Sventibaldum*, ſeu *Svatoplugum*, adpellari voluit *o*). Viciſſim vero *Sventibaldus* Dux operam ſuam commodavit *Arnulpho* ad conſequendum Carolo exauctorato Imperium; id quod anno 887. accidit. Eruitur id e Lambeciano Annalium Fuldenſium Supplemento, in quo *Arnulphus*, poſtquam e conſilio *Luitwardi*, Vercellenſis Epiſcopi, ad eripiendum Carolo Craſſo Imperium ſe ſe convertiſſet, cum manu valida Noricorum, & Sclavorum ſuperveniſſe perhibetur.

Diu hos inter Principes duratura videbatur amicitia, præcipue cum ea fuerit *Arnulphi* in *Sventibaldum* liberalitas, ut ei ad ceteras ditiones Ducatum quoque Bohemiæ adjiceret. Factum id eſt Omuntespergæ in Pannonia ſub annum Chriſti 890. *p*). At vero in perfidum collatæ ſunt tot gratiæ. *Sventibaldus* enim novi Ducatus acceſſione tumidus continuo res novas moliri, ſe Regem ferre, debitumque Imperatori obſequium detrectare cœpit. Miſſi ſunt ab *Arnulpho* legati, qui eum ſanciti fœderis, datæque fidei admonerent, pacemque cum eo renovarent. Immo ipſe adeo Imperator *Arnulphus* anno 892. ad fines Pannoniæ acceſſit, ſpe ductus, venturum ad ſe obſequii cauſa *Sventibaldum*. Sed incaſſum erant omnia. Ergo exandeſcens Imperator *Hengſtfeldam* abit, & habita cum *Brazlavone*, Pannoniæ Saviæ Duce, deliberatione, *Sventibaldum* Reipublicæ hoſtem declarat, ſimulque triplici agmine ditiones ejusdem aggreſſus, omnia longe, lateque proſternit. Quatuor hedbomadas tenuit depopulatio, ad quam etiam Hungari prima nunc vice, ſeu ſponte ſua, ſeu ab Arnulpho evocati, magno numero concurrerunt. Actum quoque cum Bulgaris fuit, ut *Sventibaldum* pro hoſte haberent, ſubjectoque ei populo ſalis coëmptionem denegarent *q*).

Tot hoſtibus conſtrictus, tantisque cladibus permotus *Suentibaldus* ſerio tandem inire videbatur conſilia pacis, quam tamen non aliter, ac dato filio obſide, promiſſoque tributo obtinuit. *r*). Pax hæc inſequente mox anno rupta eſt, novum bellum decernente Imperatore *Arnulpho*, qui nova, eaque periculoſa *Sventibaldi* conſilia ſubodoratus erat. Adfuere iterum auxiliares Francis, & Bajoariis Hungari in maximam Moravorum perniciem. Nec mora: cæſo ad internecionem *Sventibaldi* exercitu, omnis Moravia, quæ tunc longe lateque patuit, rapinis, cædibus, incendiis præcipue per Hungaros defœdata fuit: *Sventibaldus* ipſe ægre fuga elapſus eſt. Scriptores Bohemi ac Moravi perhibent *s*), eum pœnitentia ductum clam in montem Zobor ſeceſſiſſe, ibidemque habitu eremitæ

o) Regino L. 2. ad ann. 890.

p) Suppl. Fuld. ad ann. 890.

q) Annal. Fuld. ad ann. 892.

r) *Regino* Lib. 2. *Sigibertus Gembl'ac.* ad ann. 893.

s) Coſmas Pragenſis Chron. Lib. I. Dubravius Hiſt. Boh. Lib. IV.

ad finem uſque vitæ delituiſſe. Verum Annaliſta Fuldenſis refert *t*), *Sventibaldum* deinceps quoque ſeditioſa, quoad vixit, agitaſſe conſilia. Non diu tamen eum poſthac vixiſſe oportet, quoniam obitus ejus a *Reginone* ad eundem annum 894. quo ea clades accidit, commemoratur, in hæc verba: *Circa hæc etiam tempora Zundipolch Rex Marahenſium Sclavorum vir inter ſuos prudentiſſimus, & ingenio callidiſſimus, diem clauſit extremum.* Immo veriſimile eſt, mortuum fuiſſe ante autumnum anni nunc memorati, cum in autumno pax inter *Arnulphum*, & *Moravos* coaluerit, petentibus eam procul dubio poſt obitum patris ſui *Moymaro*, & *Sventibaldo* juniore *u*). Quænam hujus pacis conditiones fuerint, non commemorant Annales; ex rerum tamen adjunctis illius temporis colligere licet, acciſos iis fuiſſe *Magnæ Moraviæ* fines, hinc Francis, inde Hungaris partem haud modicam ſibi vendicantibus. Pacem inter Moravos, uno circiter anno durantem, ſubſecutæ ſunt Principum fratrum diſcordiæ, & bella civilia, quibus ferventibus Hungari reliquas eorum terras, inter fluvios Granum & Moravam ſitas, invaſerunt, & occuparunt. Qua de re ita *Conſtantinus Porphyrogenitus x*): *Moraviæ Princeps*, inquit, *Sphendoplocus fortis, terribilisque populis finitimis fuit, filiosque habuit tres - - - Poſt hujus autem Sphendoploci mortem anno uno in pace exacto, orto deinde diſſidio, & bello civili, invadentes Turcæ* (Hungari) *funditus eos exstirparunt, regionemque eorum occuparunt, quam in hodiernum uſque diem incolunt: quæque ſupererat multitudo, diſſipata confugit ad finitimas gentes, nimirum ad Bulgaros, Turcas, & Chrobatos, ac reliquas nationes.* Pannonia paullo ſerius ab Hungaris occupata fuit, nimirum proximo poſt *Arnulphi* obitum anno 900. Quæ an *Sventibaldi* Senioris tempore pars fuerit *Magnæ Moraviæ*, adeoque an *Sabarienſes* noſtri antea, quam cum reliquis Pannoniis ad Hungaros devolverentur, etiam ſub *Sventibaldi*, Sclavorumque Moravorum dominatu fuerint, jam inveſtigabimus.

CAPUT X.

De finibus Magnae Moraviae e Conſtantino Porphyrogenito.

An *Magna Moravia*, cujus meminit *Conſtantinus Porphyrogenitus*, præter alias terras *Pannoniam* quoque complexa fuerit? ſive (quod in idem recidit) an

t) In Supplem. Fuldens. ex Codice ſæculi XI. Bibl. Cæſ. a Gentiloto ad Annales Lambec. adjecto. Extat apud Muratorium T. II. P. II. p. 121.

u) Ibidem ad ann. 894. *Avari, qui dicuntur Hungari, in his temporibus ultra Danubium multa miſerabilia perpetravere - - - Pax tempore autumni inter Bajuarios, & Moravos compacta eſt.*

x) De adminiſtr. Imper. cap. XI.

Sventibaldus Moraviæ ſuæ Pannoniam adjecerit? lis eſt hodie inter Auctores. Affirmat *Hanſizius* hæc ſcribens *y*): „ Anno, inquit, 884 *Caroli* Regis interventu, qui ad orientem ipſe profectus, prope flumen Tullinam in monte „ Comiano, colloquium cum *Sventibaldo* habuit; conventa pax, Arbone in præ„ fecturam repoſito, & Pannonia *Sventibaldo* permiſſa, quæ inde dicta *Mora„ via magna*; quam in poteſtate Sventibaldi fuiſſe, vel inde colligitur, quod „ annis abhinc aliquot *Arnulphus* legatos ſuos ad Bulgaros mittere terreſtri iti„ nere ob inſidias *Sventibaldi* haud potuerit; coactus eos mittere per regnum „ *Brazlavonis*, quod inter Dravum & Savum erat: qui profecti per fluvium „ Odogra uſque ad Gulpam, dein per Savum: quæ omnia nos docet Anna„ liſta Fuldenſis. „ Verum reponit *RR. Salagius z*); in Annalibus Fuldenſibus nuſpiam diſerte perhiberi, *Sventibaldo* permiſſam fuiſſe a Rege Carolo *Pannoniam*. Juramentum autem fidelitatis ab eo præſtitum fuiſſe non propter Pannoniam, verum propter Principatum Moraviæ, quo exauctorandus erat ob rebellionem. Quod autem *Arnulphus* ob inſidias legatos in Bulgariam non miſerit terreſtri itinere per *Pannoniam*, ſed potius per Savum, qui Regnum Brazlavonis alluebat; ex hoc minime ſequi ait, *Pannoniam* tunc in *Sventibaldi* poteſtate fuiſſe. Quippe ea cautione uti poterat aliam ob cauſam, nempe quia eo tempore *Pannonia* continuis vicinorum Moravorum incurſionibus fuerat expoſita. Affert dein argumenta, quibus probat, Pannoniam nec ante, nec poſt obitum Regis Arnulphi ad Moravos pertinuiſſe. Hujusmodi ſunt: quod Arnulphus *Theotmaro* Saliſburgenſi Epiſcopo poſſeſſiones quasdam in Pannonia contulerit, ut *Sabariam*, *Moſeburgum*, *Quinque Eccleſias*; & quod *Brazlavoni* commendaverit Pannoniam cum urbe Paludarum; item quod *Engiſcalchum* Marchionem Pannoniæ creaverit. Poſt mortem vero *Arnulphi* quod Epiſcopi Bavari in ſua ad *Joannem IX.* Papam Epiſtola Pannoniam dicant Regni Bajoarici provinciam.

Hæ ſunt Salagianæ animadverſiones, quibus omnino efficitur, quæſtionem hanc, an *Sventibaldus* Pannoniam Moraviæ junctam poſſederit, ſolo Annalium Fuldenſium teſtimonio decidi non poſſe, cum id non adeo clarum, & apertum ſit, ut non aliam quoque interpretationem admittat. Verum ſupereſt aliud ſententiæ prioris fundamentum, e Conſtantino Porphyrogenito petitum, in quo ſubruendo irritus eſt omnis *RR. Salagii* labor. *Porphyrogenitus* nempe, Auctor Auguſtus, *Sventibaldo* prope coævus, adeoque fide digniſſimus, in libro quem de adminiſtratione Imperii circa annum 949. conſcripſit, *Pannoniam*, quam *Turcæ*, id eſt, *Hungari*, a Patzinacitis propulſi, occuparunt, & in qua ſtabilem ſedem fixerunt, nunquam aliter, quam vel *Magnam Moraviam*, *Sphen-*

y) T. I Germ. ſacræ p 165

z) Lib. IV. de ſtatu Eccl. Pann. Cap. VII.

doploci regionem, vel *terram Moraviæ* appellat. En loca, in quibus id reperias ordine Capitum. *Turcis*, inquit Cap. XIII. *hæ gentes finitimæ ſunt: ad occidentem Francia, ad ſeptentrionem Patzinacitæ, ad meridiem Magna Moravia, ſive Sphendoploci regio, quæ omnino a Turcis vaſtata eſt, & ab ipſis jam obtinetur. Chrobati vero ad montes Turcis adjacent.* Hæc non eſſe accipienda de antiquioribus Hungarorum ſedibus, uti vult *RR. Salagius*, verum de terris, quas ætate Porphyrogeniti poſſidebant, certum eſt. Antiquiores enim illorum ſedes procul & a Francis, ſeu Germanis, & a Moravis, & a Chrobatis remotæ erant: ex Aſia quippe in Europam venientes primum inter fluvios Tanaim & Boriſthenem in Lebedia regione habitabant, Chazaris & Patzinacitis finitimi. Poſtea vero, quam a Patzinacitis victi eſſent, pars Turcorum, ſive Hungarorum, orientem verſus in Perſidem receſſit, pars altera occidentem verſus profecta, & Boriſthenem transgreſſa, ſedes ſuas fixit circa fluvium *Alutam* (Porphyrogenito *Atel*, & *Etel* dictum) in hodierna Valachia & Tranſilvania. Hæ erant antiquiores Hungarorum ſedes, has *Porphyrogenitus* aliis ejusdem libri capitibus, uti poſtea referemus, deſcribit. Hinc rurſus pulſi a Patzinacitis in hodierna demum Hungaria conſederunt, ſed principio in Boreali dumtaxat Danubii ora, atque tum omnino ad meridiem habebant Pannoniam proprie dictam, quam Porphyrogenitus vocat *Magnam Moraviam*, & quam illi nonniſi poſt obitum *Sventibaldi*, & *Arnulphi* penitus expugnarunt, ſibique adſeruerunt. Quæ ne arbitrarie dici videantur, rurſus Porphyrogeniti verba excito: Capite XXXVIII. *Turcorum*, inquit, *gens olim prope Chazariam habitabat in loco, cui cognomen Lebedias a primo ipſorum Boebodo. - - - Bello autem inter Turcas & Patzinacitas, tunc temporis Cancar cognominatos, exorto, Turcarum exercitus devictus fuit, atque in partes duas fuit diviſus; & earum una quidem orientem verſus partem Perſidis incoluit; - - altera vero pars occidentem verſus ſedes poſuit cum Boebodo ſuo, ac Duce Lebedia in locis Atelcuſu a) nuncupatis. - - - Poſt aliquot vero annos Turcas invadentes Patzinacitæ, eos cum Principe Arpade perſecuti ſunt. Turcæ itaque profligati fugientes, & terram ad ſedes collocandas quærentes, Magnam Moraviam ingreſſi, incolas ejus expulerunt, ibique ſedes ſuas poſuerunt, tenentque etiam in hodiernum uſque diem.* En rurſus ſub nomine *Magnæ Moraviæ* univerſam Hungariam, adeoque hanc etiam Hungariæ partem, quæ ſola olim vocabatur Pannonia. Vin' clarius adhuc ejusdem hac de re teſtimonium? lege Caput XL. in quo hæc ſunt: *Locus autem, quem primitus Turcæ* (Hungari) *occupabant, a fluvio interlabente nuncupatur Etel, & Cuzu b), in quo nunc Patzinacitæ commorantur; a quibus ſane*

---

a) Hungaris *Atel köz*, id eſt, inter *Alutam*.

b) Legendum, uti ſupra, *Atelcuſu*, pro Hungarorum *Atel köz*. Sic hodie in Comitatu Sopronienſi regio quædam vocatur *Rábaköz* ab interlabente fluvio *Rába*, & in aliis Hungariæ Comitatibus *Csallóköz*, *Muraköz* pari de cauſa.

pulſi Turcæ, & profugientes, ſedes poſuerunt illic, ubi nunc habitant. In hoc autem loco antiqua quædam monimenta ſuperſunt, inter quæ pons Trajani Imperatoris ad initia Turciæ, & Belegrada, quæ trium dierum itinere ab ipſo ponte diſtat, ubi turris eſt ſancti ac magni Conſtantini Imperatoris; & rurſus ad curſum fluminis extat Sirmium, quod Belegrada abeſt duorum dierum itinere: inde Magna Moravia baptiſmo carens, quam Turcæ devaſtarunt, cujusque Princeps olim Sphendoplocus Hoc poſtremum de *Pannonia*, quam ætate Porphyrogeniti Turcæ, ſive Hungari, baptiſmo adhuc tum carentes, devaſtarunt, ac retinuerunt, a Porphyrogenito dici, tam clarum, & apertum eſt, ut rem non ſat ſerio agere videatur *RR. Salagius*, dum Lib. IV. p. 401. hunc *Porphyrogeniti* locum laxius arbitratur intelligendum, nempe de parvo illo Moraviæ Principatu, qui fluviis Morava & Grano terminabatur, magnoque terrarum intervallo a Belgrado, & Sirmio in oppoſita Danubii ripa removebatur. Sed inquit „ Hungarorum annales perhibent, intra fluvios Granum, & Tibiſcum ſub adventum „ eorum dominatum fuiſſe Salanum Bulgarorum Ducem, ab Hungaris ditione „ ſua exutum, ultra autem Tibiſcum imperitaſſe Gladum pariter Bulgarum, & „ poſtea Achtumum a Sunado tempore S. Stephani Regis imperio ſpoliatum „ c). Hæc ſcilicet colliguntur ex Hiſtoria Ducum Anonymi Belæ Regis Notarii, tribus circiter ſæculis Conſtantino Porphyrogenito poſterioris. Verum ſit ſua ei fides; nec enim idcirco locus ille Conſtantini Porphyrogeniti, quo Magnæ Moraviæ initium inde a Ponte Trajani ex illa Danubii parte ſtatuitur, tam laxe intelligi debet, ac id RR. *Salagio* videtur. Quin potius hæc duo invicem conferendo eruitur, *Sventibaldum* prolatis, dum fortuna favebat, Moraviæ ſuæ finibus ultra Granum, Tibiſcumque uſque ad rudera Pontis Trajani, Principes Bulgarorum eas terras incolentium ſibi ſubjectos habuiſſe, perinde nimirum, ac Reges Germaniæ nonnullis Chrobatorum, aliorumque Slavorum Ducibus quasdam in Pannoniis provincias jure fiduciario poſſidendas reliquerunt.

Nunc reliqua videamus, unde magis magisque elucefcat, quod probandum ſuſcepimus. Eodem Cap. XL. poſt mentionem *Magnæ Maraviæ*, olim Sphendoploco ſubjectæ, hæc ſubjungit: *atque hæc quidem juxta Iſtrum flumen monumenta ſunt, & cognomina. Ulteriora vero, quæ omnia Turcis habitantur, cognomina nunc habent a fluminibus transcurrentibus. Eorum primus Timeſes eſt; alterum Tutes: tertium Moreſes: quartum Criſus: quintum Titza. Confines autem Turcis ſunt orientem verſus Bulgari, ubi eos Iſter fluvius, qui & Danubius dicitur, ſeparat. Septentrionem verſus Patzinacitæ, ad occidentem Franci, ad meridiem Chrobati.* Denique Capite XLII. univerſam regionem, quam Turcæ, ſeu Hungari, in utraque Danubii ora occuparunt, generatim vocat *terram Moraviæ*, hiſce verbis: *a Theſſalonica uſque ad Danubium flumen, in quo urbs Belgrada, octo dierum iter*

c) Lib. IV. de ſtatu Eccl. Pann. Cap. VII. de Archiepiſcopatu Moraviæ p. 401.

eſt Et habitant quidem trans Danubium flumen Turcæ in terra Moraviæ, atque etiam ulterius inter Danubium & Sabam fluvios. At vero hic plane locus eſt Porphyrogeniti, quo RR. *Salagius* impugnat *Schwartzium* hæc ſcribentem *d*): „ Explicaverat Svatoplucus fines regni ſui ultra Dravum, ex parte etiam Savum, ad alpes uſque Noricas. Ac licet victores Hungari profligatos a Danubio Moravos ultra Danubium profecuti ſunt, ſtatimque a principio irruptionis ſuæ partem aliquam intra Dravi & Savi confluenta expugnaverint, manſit tamen potior pars Superior juris Marahenſium; ex quo magnam Moraviam ad meridiem Turcis ultam Conſtantinus dixit. „ Cui *Salagius* reponens *e*): „ Verum hoc, inquit, fingere eſt, non mentem Auctoris explicare. Conſtantinus ſitum Moraviæ clariſſime deſignat his verbis: *& habitant quidem trans Danubium flumen Turci in terra Moraviæ, atque etiam ulterius intra Danubium & Sabam fluvios.* Viden' e ſententia Conſtantini Moraviam fuiſſe trans Danubium, & regionem Danubio, Savo, Dravoque concluſam extitiſſe ultra, ſeu extra Moraviam. „ Ita ergo Celeberrimus Auctor oppugnando Schwartzium nobis quoque nodum implicat, quem jam reſolviſſe videbamur. Sed hæc ejusdem interpretatio (ultra, ſeu extra Moraviam) cur admitti debeat, nondum video. Nam ſi apud Porphyrogenitum *Cap. cit.* narrationis contextus expendatur, non tam illic *Moraviæ*, quam *Belgradi* ſitus deſcribitur, & ſenſus verborum eſt: Turcas, ſive Hungaros habitare Belgrado vicinos in terra Moraviæ, non modo trans Danubium videlicet e regione Belgradi, verum etiam mox ſupra Belgradum inter Danubium & Savum in provincia Sirmienſi, unde magnam Moraviam incipere jam Cap. XL. Porphyrogenitus dixerat.

At vero Scriptores Franci nuſpiam meminerunt Moraviæ per Pannonias diffuſæ. Nil mirum: neque enim Reges Germaniæ unquam admiſerunt, ut eo nomine adpellaretur Pannonia ſive tota, ſive pars ejusdem per *Sventibaldum* occupata, & vi pacis, anno 884 confectæ, non aliter quam præſtito fidelitatis juramento retenta. Verum *Sventibaldus*, poſtquam a Regibus Germaniæ averſus ad Græcos Imperatores ſe ſe adplicuiſſet, facile impetravit, ut ſuæ ditiones, quas cum alibi, tum in Pannoniis peramplas poſſidebat, a Græco Scriptore, eoque Auguſto nomine *Magnæ Moraviæ* inſignirentur. Fuit enim Porphyrogenitus filius Imperatoris *Leonis Sapientis*, exemplo deceſſorum ſuorum Principibus Moraviæ amici, quemadmodum ex *Actis SS.* Cyrilli, & Methodii colligere licet. Non mirum etiam, ſi Rex *Arnulphus*, Sventibaldo partem Pannoniarum tenente, jus ſummum in reliquis Pannoniis exercuit, *Sabariam*, & alia quædam loca Dietmaro Salisburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo donavit, ſi Engiſcalchum Pannoniæ Marchionem conſtituit, ac demum ſi Brazlavoni Panno-

d) Init. Relig. Chriſt. inter Hung p. 24.
e) Lib. II de ſtatu Eccl. Pann. p. 83.

niam cum urbe Paludarum commendavit. Hæc enim omnia probant ſolummodo, non univerſas Pannonias Francis a Sventibaldo fuiſſe ereptas. Quamquam poſtremum illud de Brazlavone jam ad aliud tempus pertinet, poſt devictum nempe auxiliantibus Hungaris Sventibaldum, adeoque poſt receptam ab Arnulpho integram Pannoniam, quam poſt hujus obitum Hungari Arpado Duce occuparunt.

CAPUT XI.

De ſacra expeditione SS. Cyrilli, & Methodii, ad Moravos, aliosque Sclavos in Pannoniam ſuſcepta.

NESTOR, antiquiſſimus Ruſſorum Chronographus, qui exeunte Sæculo XI. floruit, de ſacra expeditione ſanctorum *Cyrilli*, quem *Conſtantinum* appellat, & *Methodii* hæc ſcribit *f*): „ Inter Bulgaros Danubii accolas degebant baptizati „ Slavi, eorumque Principes erant Roſtislav, Svætopolc, & Kozel. Et hi miſerant ad Cæſarem Michaëlem nuncios, hæc ſignificantes: noſtra regio eſt „ baptizata, & nos nullum habemus Doctorem, qui nos inſtruere, & ſacros „ codices interpretari poſſet. Alii enim ſic, alii aliter nos docent: nos autem „ nec græcam, nec latinam linguam intelligimus, immo ne literas quidem in „ libris novimus, minus earum ſenſum. Mittite ergo nobis Doctorem - - - - - „ Audiens hæc Cæſar, - - - e conſilio Sapientum accivit e civitate Selun duos „ filios Leonis, doctos, & callentes linguam Slavicam, Methodium, & Conſtantinum - - - Hi acquieſcentes poſtulato Cæſaris, profecti ſunt in regionem Slavorum ad Roſtislav, Svætopluc, & ad Kozel. Quo cum veniſſent, cœperunt „ alphabetum in lingua Slavica conficere, & verterunt Apoſtolum, & Evangelium. Ob id Slavi gaviſi ſunt, quod magnalia Dei in propria lingua audirent. Deinde verterunt Pſalterium, & *Ochtaik g*), & alios libros. Sed quidam cœperunt cavillari libros Slavicos dicentes: nulli alteri nationi conveniens eſſe, habere proprium alphabetum, præterquam Hebræis, Græcis, & Latinis, ſecundum inſcriptionem Pilati, ſuper Cruce Domini poſitam. Audiens autem id Romæ Papa, reprehendit eos dicens: hoc modo impleri verbum Scripturæ: Omnes gentes laudabunt Deum: & illud: Omnes linguæ „ narrabunt magnalia Dei, prout Spiritus ſanctus dabit eis eloqui. Qui ergo

---

f) Des heiligen Neſtors Mönnichs im Petſcheriſchen Kloſter des heiligen Theodoſius in Kiew, und der Fortſetzer deſſelben älteſte Jahrbücher des ruſſiſchen Geſchichte überſezt von Joh. Benedict Scherer. Leipzig 1774. pag. 53. ſeqq.

g) Librum octo melodiarum.

„ Slavicam linguam contemnet, excommunicatus eſto, uſque dum ſe ſe emen-
„ daverit. Nam iſti ſunt lupi, & non oves - - - vos autem filii Dei attendite
„ doctrinæ, & non derelinquite doctrinam Eccleſiæ, quam vobis Magiſter ve-
„ ſter Methodius monſtravit. *Conſtantinus* autem reverſus eſt ad condiſcendam
„ Bulgaricam linguam, ſed *Methodius* manſit in Moravia. Poſthæc *Kozel* Prin-
„ ceps *Methodium* conſtituit Pannoniæ Epiſcopum, contulitque ei cathedram
„ ſancti Apoſtoli Andronici, qui fuit unus e ſeptuaginta diſcipulis, ſancti Pauli
„ Apoſtoli diſcipulus - - - Fuit ergo Apoſtolus Andronicus primus Doctor lin-
„ guæ Slavicæ. Quamquam & Apoſtolus Paulus in Moravia erat, & ibi do-
„ cuerat: nam ibi eſt Illyricum, quo Paulus Apoſtolus venerat. „

Mira ſunt, quæ Georgius *Szklenar*, ex hac Neſtoris narratione deducit *h*); nempe, quod nomen & imperium Moravorum in Mœſiis primum natum, & auctum; inde in Daciam, & Pannonias illatum, ac nonniſi *Sventibaldi* ſeu *Svatopluci* armis ad extremos hodiernæ Moraviæ fines propagatum fuerit. Ideoque errare ait illos, qui exiſtimant Duces, Sventibaldo priores, *Moymarum*, & *Ratislaum*, ſeu *Raſticem* in Moravia, trans Danubium poſita, imperitaſſe, aut qui Epiſcopatus *Speculijulienſem*, & *Nitravienſem*, ab *Urolpho* Paſſavienſi Metropolita inſtitutos, & in literis *Eugenii* Papæ memoratos, aut *Dovinam* civitatem, in qua Dux *Raſtices* a *Ludovico* Germaniæ Rege obſidebatur, in illa *Moravia*, ac non potius in *Mœſia* extitiſſe arbitrantur. Nova hæc ſunt, & a receptis hactenus antiquæ Geographiæ, & Hiſtoriæ Moravicæ rationibus prorſus abhorrentia conſectaria, quæ tamen ex Neſtoris narratione minime fluere, paucis oſtendam. Scribit *Neſtor*, inter Bulgaros, Danubii accolas, habitaſſe chriſtianos Slavos, id eſt, Moravos, quorum Principes erant *Roſtislaus Svetopluc*, & *Kozel*; ſive *Ratislaus*, aliter *Raſtices* dictus, & *Svatoplucus*, alio nomine *Sventibaldus* & *Kozel*, qui aliis *Chezilo* eſt. Hos tres Principes aliquandiu ſimul vixiſſe, & Slavis Moravis præfuiſſe, certum eſt ex aliis quoque monumentis. Nunc quanam ratione Moravi inter Bulgaros habitarint, videndum eſt. Nempe Bulgari illo tempore circa utramque Danubii ripam ita ſe ſe diffuderunt, ut non modo Mœſiam ſuperiorem uſque ad Savi oſtium occupàrint, verum etiam trans Danubium partem Daciæ veteris, terramque Jazygum Metanaſtarum inſederint; immo in ipſas ſubin Pannonias ſe ſe intruſerint. Conſtat id ex annalibus Francorum, qui Bulgaros per Dravum Pannonias ulteriores infeſtaſſe, Præfectosque e ſua gente munitionibus Slavorum Pannoniorum impoſuiſſe, & alia, quæ jam ſupra diximus, referunt. Inter Bulgaros ergo habitabant Slavi Moravi hoc ſenſu, quod illis finitimi fuerint tam trans Danubium circa Granum fluvium ſub Principibus *Raſtice*, & *Svatopluco*, quam cis Danubium circa Savum ac Dravum ſub *Chezilone* Principe, in cujus ditionibus etiam Sirmienſem Pannoniam fuiſſe, *Neſtor*

h) Diſſ. de vetuſtiſſimo Magnæ Moraviæ ſitu Poſonii 1734.

prodit,

prodit, cum perhibet, Principem *Kozel*, id eſt, *Chezilonem* S. Methodio contuliſſe Cathedram Epiſcopalem divi *Andronici*, quam in Sirmio extitiſſe, ex *Heſychio*, ſæculi quinti Epiſcopo Salonitano, diſcimus. Savi oſtium terminabat ab ortu Diœceſim Sirmienſem, ſimulque ditionem *Chezilonis* Principis Moravi, quam poſtea *Sventibaldus*, ſeu *Svatoplucus* armis ſibi adſeruit: & *Belgradum* in oppoſita Savi ripa ſitum non amplius Moravici, ſed Bulgarici juris erat. Hoc ex Epiſtola LXXV. *Joannis* Papæ VIII., quæ ut *Sergius* Belgradenſis Epiſcopus gradu ſuo dejiceretur, non ad Moravum Principem, ſed ad Bulgarorum Regem data, & inſcripta fuit, luculenter innoteſcit. Verum ſupereſt alia circa *Chezilonem* difficultas. (Hic teſte Anonymi hiſtoria de converſione Bajoariorum) Privinæ patri ſuo, a Moravis circa annum 861 occiſo, ſucceſſit in ea ditione, in qua fuit *Moſapurg*, *Salapiugis*, urbsque *Paludarum*, quæ omnia procul a *Sirmio*, non circa Savam, ſed circa Salam fluvium erant, uti ſupra diximus: aut ergo Neſtoris *Kozel* diverſus eſt a *Chezilone*, aut fallit *Neſtor*, ſcribens, *S. Methodium* ab illo evectum fuiſſe ad Sirmienſem Epiſcopatum. Neutrum neceſſe eſt admittere: nam uti de *Brazlavone*, *Chezilonis* ſucceſſore, in annalibus Francorum legimus, ei præter Sclavoniam, cujus Dux erat, Pannoniam quoque cum urbe Paludarum ab Rege *Arnulpho* fuiſſe commendatam; ita nunc ex Neſtore colligimus, *Chezilonem* quoque præter paternam ditionem Ducatum quempiam in Sclavonia poſſediſſe, veriſimiliter clientelæ nomine ſibi a Ludovico Germaniæ Rege collatum.

His prævie obſervatis, jam quantum lucis Neſtor affundat ipſis Actis ſanctorum Cyrilli, & Methodii, videamus. Nullis hactenus monumentis, quæ ad noſtram ætatem pervenere, proditum eſt, cujusnam ſedis Epiſcopus, aut Archiepiſcopus fuerit S. *Methodius*: unde variæ ſunt recentiorum Auctorum conjecturæ. Quidam arbitrantur, eum Speculi Julienſi Eccleſiæ præfuiſſe, ſpiſſoque anachroniſmo S. Methodium Cyrilli fratrem confundunt cum altero Methodio, Urolphi Paſſavienſis Metropolitæ ſuffraganeo, cujus mentio fit in literis Eugenii Papæ ſupra deſcriptis. Alii uti S. *Cyrillum*, ita & S. *Methodium* Welehradienſes fuiſſe Archiepiſcopos arbitrantur, apocryphis quibusdam, certe non ſat vetuſtis documentis inhærentes. Hoc nunc dubium tollit *Neſtor*, qui prodit S. *Methodium* ſediſſe in cathedra divi Andronici, primi Sirmienſium Epiſcopi, ac Metropolitæ. Obſcurum quoque, neque ſatis hactenus exploratum erat, qua de cauſa *Joannis* VIII. Papæ Epiſtola ad *Methodium* data hoc præferat exordium: *Reverendiſſimo Methodio Archiepiſcopo Pannonienſis Eccleſiæ*; cum in altera ejusdem epiſtola, *Sventopulcro glorioſo Comiti* inſcripta, idem Methodius vocetur *Reverendiſſimus Archiepiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Moravenſis*. Diſcriminis hujus rationem reddens *Pagius i*): „Moraviæ, inquit, Principatus, & jurisdictio Metropoli„tana in eo inſtituta complectebatur Pannoniam uſque ad Dravum fluvium, po-

i) In Critica ad ann. 880. num. V.

„ puloſque inibi habitantes Methodius ad Chriſti fidem perduxerat: hinc in Epi- „ ſtola Joannis Papæ CXCV. Methodius dicitur Archiepiſcopus Pannonienſis „ Eccleſiæ, & in Epiſtola citata CCXLVII. Reverendiſſimus Archiepiſcopus „ Morabenſis. „ Idem *Pagius* exiſtimat, S. Methodium fuiſſe Archiepiſcopum Welehradienſem, ſcribitque *Joannem* Papam in eadem epiſtola jura Archiepiſcopatus Welehradienſis, a S. Cyrillo in Moravia hodierna inſtituti, confirmare. Quod quam falſum ſit, *Aſſemani* verbis commonſtrabo: „ Equidem, inquit ille *k*), „ ſemel, iterum, ac tertio Epiſtolas omnes Joannis VIII. Papæ percurrens, „ quæ Tomo IX. Concil. Labb. a pag. 2. ad pag. 247. continentur, nihil tamen „ reperire potui eorum, quæ *Pagius* in Epiſt. CXCV. vel CCXLVII. legiſſe ſe „ perhibet de Welehradienſi Archiepiſcopatu, a S. Cyrillo in Moravia inſtituto. „ Quin immo in aliis Joannis Papæ Epiſtolis, nimirum CCLXVIII, in qui- „ bus Methodii, aut Moraviæ Principum fit mentio, ne verbum quidem de „ Welehradienſi Archiepiſcopatu, ſed neque de Cyrillo ipſo, niſi in Epiſt. „ CCXLVII. ubi *Conſtantinus* quidam, ſeu, *quondam Philoſophus Sclavonicarum* „ *literarum inventor* adpellatur. In quanam igitur *Joannis* Papæ Epiſtola id lege- „ rit *Pagius*, divinare nequeo. Fortaſſe memoriæ lapſu vir impenſe doctus, pro „ Sergio Belgradenſi Epiſcopo Cyrillum ſubſtituit, aut a Cyrillo exiſtimavit „ epiſcopatum illum Belogradenſem inſtitutum. In Epiſtola ſiquidem LXXV. „ ad Michaëlem Regem Bulgarorum data Indict. XI. die 19. Aprilis anno 878. „ Ioannes Papa VIII. Sergium illum, a Georgio quodam ordinatum, omni „ gradu eccleſiaſtico dejectum decernit - - - Verum quid hæc ad S. Cyrillum? „ quid ad Archiepiſcopatum Welehradienſem a Cyrillo inſtitutum? Cyrillus „ Romæ ſub Hadriano II. anno 868. ineunte Epiſcopatui renuncians, in mona- „ ſtico inſtituto obiit, quemadmodum illius Acta teſtantur. Non igitur Archie- „ piſcopatum Welehradienſem inſtituit, non rexit - - - Errandi anſam Pagio, ut „ mihi videtur, præbuit MS. Florarium Cyrilli, ac Methodii, in quo ad diem „ IX Marti apud Henſchenium pag 12. legitur: *In Moravia civitate Weligrad* „ *SS. Cyrilli & Moiudii Epiſcoporum & Confeſſorum.* Vel Jacobus de Voragine „ anno 1292. creatus Genuenſis Archiepiſcopus, qui in vita S. Clementis *Cy-* „ *rillum* vocat Moranorum, id eſt, Moravorum Epiſcopum - - - - Conjunxit „ enim Pagius hæc duo, quæ certe in Cyrillo fuerant omnino ſeparanda, nimi- „ rum, cum Cyrillus dictus fuerit (etſi perperam) *Moravorum Epiſcopus*, cum- „ que *Weligrad* eſſet unus e præcipuis Moraviæ Epiſcopatibus, Pagius exiſtimavit, „ Weligradienſem Moraviæ Epiſcopatum a Cyrillo fuiſſe inſtitutum. „ Hæc *Aſſemanus* ad rationem a *Pagio* redditam, cur *Methodius* a Joanne Papa VIII modo *Pannonienſis* modo *Moravienſis Eccleſiæ* appelletur Archiepiſcopus, replicuit: ubi, uti patet, id ſolummodo improbat, quod *Pagius* jurisdictionem me-

k) T. III. Calend. univ. P. I. Cap. III. p. 136. ſeq.

tropolitanam, quæ illius opinione ex Moravia in Pannoniam uſque ad Dravum ſe ſe extendebat, ad Epiſcopatum Welehradenſem quaſi a Cyrillo inſtitutum, & a Methodio tunc poſſeſſum, retulerit. Ceterum, hoc dempto, eadem eſt Aſſemani quoque ratio, ob quam Methodius, Moravorum Archiepiſcopus, ab Joanne Papa etiam Pannonienſis Archiepiſcopus dictus fuerit. Nam poſt recenſitas ejusdem Joannis Papæ duas Epiſtolas hæc ſubjungit *l*): „ Tam in hac, „ inquit, Epiſtola CXCV. quam in antecedente CXCIV. *Methodius* a Joanne „ Papa vocatur *Archiepiſcopus*, & cum addito *Pannonienſis*, id eſt, Moraviæ, „ quæ tunc temporis Pannoniam uſque ad Dravum fluvium complectebatur. „ Quod pariter a veritate alienum eſt; quippe anno 879. quo illæ Joännis Papæ Epiſtolæ fuerunt datæ, nondum pars hæc Pannoniæ, quam *Aſſemanus* deſignat, juris Moravici fuit, uti conſtat ex annalibus Francorum, ſecundum quos *Sventibaldus* Moraviæ Princeps Pannoniam a Raba ad Dravum, immo uſque ad Savum, anno primum 883 armis, anno autem 884 pactione cum Rege Carolo Craſſo inita occupavit. Sed neque *Samuel Timon* rei veritatem adſecutus eſt, cum hæc ſcripſit: „ Summus ille Sacerdos (*Joannes* Papa VIII.) vocat Methodium „ Archiepiſcopum *Moravenſem*, alias appellarat *Pannonienſem*; qua re declaravit, „ cum in Pannonia vir ille verſaretur, dictum fuiſſe *Pannoniorum*, cum vero in „ Moravia, *Moravorum* Antiſtitem *m*). „ Fallitur quoque, cum *Methodium* nonniſi provincialem, nullique certo adfixum loco Archiepiſcopum fuiſſe ſcribit *n*). Omnes enim has conjecturas evertit clariſſimum Neſtoris teſtimonium de Methodio, cathedram epiſcopalem divi Andronici, id eſt, Sirmienſem tenente. In Pannonia ergo Sirmienſi, quam tunc Moravus Dux *Chezilo o*) regebat, & quam hoc tempore potiſſimum Moravi incolebant, Epiſcopatum adeptus eſt S. Methodius cum titulo ac jure Archiepiſcopi. Non temere igitur eum Joannes Papa modo *Pannonienſem* a provincia, in qua erat Sirmium, modo *Moravienſem* vocat Archiepiſcopum a populo, qui tunc per Pannoniam quoque diffuſus erat.

Epocham ſacræ expeditionis, a SS. Cyrillo & Methodio ad Moravos ſuſceptæ, *Henſchenius* ad annum 856. defigit: *Pagius* ad 863. quem *Hanſi ius* ſequitur: *Aſſemanus* vero circa annum 867. „ Ut ſlavico tamen idiomate Miſſas, „ officiumque eccleſiaſticum Moravi celebrare a Methodio edocerentur, rejectis „ iis, qui latinam linguam propugnabant, & Privina ipſo Comite interfecto „ id nonniſi anno circiter 870. contigiſſe autumat *p*); ut ut idem ſcribat, Privi-

l) L. cit. pag. 135.

m) Imag. Hung. antiq. Lib. II. Cap XVI.

n) Ibid.

o) Aliis *Hezilo ſcribitur*, ſed vetuſtus Auctor hiſtoriæ Converſionis Bajoariorum habet *Chezilonem*: & hoc rectius, quia patria lingua *Kozel* vocabatur, teſte Neſtore; Dlugoſſo autem *Koczi*el pronunciatione polonica.

p) L. ſupr. cit. p. 121.

nam anno jam 861. aliaque de cauſa per Moravos interfectum *q*). Verum uti locorum, ita temporum quoque ratio in hac ſacra expeditione paullo aliter digerenda videtur. Nempe Cyrillus & Methodius a Michaële III. Imperatore Conſtantinopolitano ſub annum 863. miſſi, primum omnium non in Pannoniam, ſed in *Raſtilai*, ſeu *Raſticis*, & *Sventibaldi* Moraviam, in regione olim Quadorum poſitam, atque Bulgaris transdanubianis contiguam venerunt. Raſtices enim excuſſo Francorum jugo, junctisque cum Sventibaldo conſiliis, ad orientis Imperatorem legatos miſit, & inter alia Doctores fidei ab eo ſibi mitti poſtulavit. Qui huc profecti, per villas, pagos, & oppida Moraviæ annis quatuor ac dimidio viam ſalutis lingua ſlavica docebant. Ac Cyrillus quidem interea temporis ad vicinos quoque Bulgaros regreſſus eſt, eo propoſito, ut linguam Bulgaricam penitius condiſceret, atque ſic utiliorem genti, nuper baptiſmo initiatæ, operam navaret. Anno 867. vel ſequente, Romam a *Nicolao* Papa evocati, cauſam ſuam contra iniquos accuſatores apud Hadrianum II. Nicolai ſucceſſorem ita perorarunt, ut ambo Epiſcopatu digni viderentur. Sed *Cyrillo* pontificales honores recuſante, ſolus *Methodius* conſecratus eſt Epiſcopus, remiſſusque ad Moravos cum jurisdictione Archiepiſcopali apud eam gentem exercenda. Illic magna cura commiſſum ſibi gregem paſcebat, erudiebat, & corrigebat, apoſtolica uſus libertate in corripiendo etiam ipſo Principe *Sventibaldo*, qui remoto *Raſtice*, jam ſolus ab anno 870. Moraviam transdanubianam regebat, finesque ſui Principatus longe lateque proferre ſatagebat, continuis idcirco bellis implicitus. At neque *Methodium* ſuus promovendæ gloriæ divinæ ardor unius regionis finibus ſe ſe continere patiebatur. Itaque circa annum 873. ad Slavos Pannoniæ inferioris, quorum pars magna e Moravis, Cheziloni ſubjectis, conſtabat, iter ſuſcepit. Lætus tanti viri adventu Dux *Chezilo*, ut eum apud populum ſuum retineret, vacantem jam diu Epiſcopatum Sirmienſem ei deſtinat, & a ſummo Pontifice Romano, id temporis Joanne VIII. impetrat. Cui conſilio ne vel Rex Ludovicus, vel hujus filius Carolomanus (qui tunc Pannoniis, & Carantanis præſidebat, quibusque Chezilo jure ſiduciario obnoxius erat) reſiſterent, illico *Joannes* Papa utrumque literis apoſtolicis convenerat. Extant harum literarum fragmenta in Vaticano Tabulario, teſte Timone, qui ea recitat. Sed quoniam *Methodi* mentio nonniſi in epiſtola ad Carolomanum data occurrit, ſufficiat hujus dumtaxat partem huc attinentem referre, quæ ſic habet: *Joannes Epiſcopus glorioſo viro Carolomano, dilecti filii noſtri Ludovici filio. Reddito, ac reſtituto nobis Pannonienſium Epiſcopatu, liceat Fratri noſtro Methodio, qui illic a Sede Apoſtolica ordinatus eſt, ſecundum priſcam conſuetudinem libere, quæ ſunt Epiſcopi, gerere r*). Tametſi vero Datum hujus epiſtolæ interciderit, certum tamen eſt, eam ante annum 873. non fuiſſe

q) Pag 95.
r) Apud *Timonem* L. ſupr. cit. & apud *Salagium* Lib. IV. Cap. VII. p. 439.

ſcriptam, quoniam iſto primum anno Joannes VIII. in cathedra S. Petri ſedere cœpit. Idem eruitur ex hiſtoria converſionis Bajoariorum, quæ Methodii adventum in Pannoniam ad annum 873. conſignat. Abhinc ergo S. Methodius Moravorum tam intra, quam extra Pannoniam degentium Archiepiſcopus erat. Sed cum in Pannonia etiam, poſtulante populo, uſum linguæ Slavicæ in rebus ſacris invexiſſet, brevi factum eſt, ut acerrimos nanciſceretur adverſarios. Præcipui erant Presbyteri Diœceſis Juvavenſis: quibus & aliæ odii & invidiæ cauſæ non deerant, veluti quod per *Methodii* Archiepiſcopatum dominatus Juvavenſium (*Salisburgenſium*) in Pannoniis reſtringeretur; quod *Methodius* homo Græcus in provinciis regno Bajoariæ obnoxiis ſacra moderaretur; quodque ſuſpicarentur, eum præter linguam Slavicam ritus quoque græcos in adminiſtratione rerum ſacrarum adhibere, immo & novam quamdam, Eccleſiæ Romanæ minus conſentientem doctrinam ſectari. Quamobrem inſtructæ adverſus eundem accuſationis capita Romam deferuntur, quo ſub annum 879. rurſus ad cauſam dicendam cum evocatus eſſet, denuo innocens, ac orthodoxus publica Curiæ Romanæ ſententia declaratus fuit. Geſtæ hujus rei teſtes habemus *Joannis* Papæ epiſtolas ſupra memoratas; quarum prior ipſi *Methodio*, altera autem *Sventopulcro* glorioſo Comiti inſcribitur. Ex poſteriore hac epiſtola, anno 880. data, ſimul intelligimus, eodem tempore ab *Joanne Papa* VIII. conſecratum fuiſſe *Vichinum* Eccleſiæ Nitrienſis Epiſcopum, ea lege adjecta, ut Archiepiſcopi Methodii ſuffraganeus eſſet, eidemque debitam præſtaret obedientiam. De anno & loco mortis beati Methodii incerta ſunt omnia, niſi quod conſtet, eum ante annum 900. mori oportuiſſe, quia hoc anno *Joannes* Papa IX novum Moravis Archiepiſcopum nomine Joannem cum duobus ſuffraganeis Benedicto, ac Daniele ſubmiſit, quemadmodum colligere licet ex Epiſtola Epiſcoporum Bajoariæ ad eundem Papam Joannem IX. data.

CAPUT XII.

De Sabaria, & quibusdam aliis Pannoniae locis, Eccleſiae Salisburgenſi per Germaniae Reges attributis.

Sub idem tempus, quo *Methodius* Eccleſiæ Pannonienſis Archiepiſcopus floruit, Rex *Arnulphus*, poſtulante *Dietmaro* (alio nomine *Theodmaro* dicto) confirmavit Anteceſſorum ſuorum donationes quasdam, Eccleſiæ Salisburgenſi factas; inter quas cum *Sabaria* quoque memoretur, referam iſthic fragmentum diplo-

matis, eam confirmationem complectentis. Sic autem habet *s*): *Arnolfus divina avente gratia Rex - - - Competiat omnium noſtrorum - - - fidelium ſolertia, ſqualiter - - - venerabilis Archiepiſcopus noſter Dietmarus - - - poſtulavit Serenitatem noſtram, ut quasdam res - - - ad Sanctam Eccleſiam Juvavenſem - - - concederemus - - - Tradimus itaque - - - ad Sabariam, ad Panwchabe, ad Moſepurch Abbatiam, ubi S. Adrianus Martyr Chriſti requieſcit - - - Ad Salapiugen curtem cum CCC. manſis, & totiden vineis, vel quicquid ibi habuimus, Eccleſiam ad Quartana, Eccleſiam ad Genſi, ad V. Eccleſias cum theloneis, & vineis, foreſtibus, & cum omnibus, quæ ab anteceſſoribus noſtris antea beneficiata fuiſſent, firmamus in proprium. Data XII. Kal. Decembris anno Chriſti incarnationis DCCCLXXV. anno Domini Arnolfi sereniſſimi Regis II. in orientali Francia regnante, Indictione IX.* Annus quidem II[dus] Regis Arnulphi incidit in annum Chriſti DCCCLXXXVIII. uti ex Annalibus Fuldenſibus, ex Reginone, & ex Hermanno Contracto certum eſt: quamobrem patet, erronee in hoc diplomate adſcriptum eſſe annum DCCCLXXV. Sed non idcirco rejiciendum eſt diploma, cum teſtentur Mabillonius, aliique *t*), chronographicos hujusmodi errores etiam in genuinis, ſincerisque medii ævi diplomatibus haud raro reperiri.

Quonam vero pacto Theodmarus hoc diploma ab Arnulpho Germaniæ Rege obtinere potuerit, Methodio Archiepiſcopatum Pannonienſem tenente, ac Sventibaldo Moravorum Principe Pannoniam ſub idem tempus poſſidente, Hanſizius expedire videtur difficultatem hæc ſcribendo: „ Cauſam, inquit, Metropolitanæ Juvavenſis per Pannoniam adhuc ſuſtinebat *Arnolfus*, cui poſt obitum *Ludovici* patrui Germaniæ Regis dominatio Carantana, cui Pannoniæ adſcribebantur, ceſſerat. Sed anno 883. *Sventibaldus* Moravus Pannoniam occupavit: in ejus etiam partes abſceſſit *Bratislaus*, *Hezilonis* Pannoniæ inferioris Ducis filius. Tum excluſa penitus Juvavenſium poteſtate, ſolus omnia Methodius potuit: niſi quod Pannonia inferior cum Duce Bratislao (quem Fuldenſes *Braxlavonem* appellant) anno 785. ad officium rediit, copiamque dedit *Theodmaro*, uti poſſeſſiones illic egregias Arnulfi dono nanciſceretur „ Erat *Theodmarus* (al. *Dietmarus*) antea in Palatio Carolomani Regis ſacrorum Præfectus. Is, cum Germaniæ Proceres anno 886. a *Carolo Craſſo* abhorrerent, tum ob *Luitbertum* Moguntinum Caroli clientem, tum ob indicia debilitatæ mentis ſat manifeſta; legationem ad eum communi voto ſuſcepit, eoque rem perduxit, ut exauctorato Carolo *Arnulphus* ad Regni ſolium eveheretur. Ob

---

s) Apud *Salagium* Lib. IV. Cap. VI. p. 382. Seq.

t) *Mabillonius* Lib. II. de re diplom. Cap. I. n. 10. *Baluzius* T. I. Maiſon d'Avergne p. 272. *Muratorius* T. III. Antiq. Ital. Diſſ. XXXIV. Col. 68. Patres Congr. S. Mauri Tract. de re diplom. P. II. Sect. 5. cap. 10. ac recentiſſime *Martinus Gebertus* Abbas S. Blaſii in Comment. de Rudolpho Suevico Comite de Rhinfelden pag. 8. ſeq.

hoc igitur meritum *Theodmarus* Regem Arnulphum, apud quem deinceps Archicapellani etiam munere fungebatur, adeo erga ſe, Eccleſiamque ſuam expertus fuit benignum ac liberalem. Egit quoque idem Antiſtes poſt mortem S. Methodii, ut poteſtatem metropoliticam in Pannoniam, & Moraviam Eccleſiæ ſuæ Juvavenſi, ſeu Salisburgenſi, revindicaret: ſed impedimento fuit primum *Vichingus* ex Nitrienſi Epiſcopatu ad Paſſavienſem translatus, Regisque Arnulphi Cancellarius factus, qui vetera Laureacenſium Præſulum jura reficere ſatagebat: dein omnem *Theodmari* conatum everterunt, partim *Joannes* Papa IX., miſſo in terras Moravorum *Joanne* Archiepiſcopo cum duobus ſuffraganeis *Daniele*, & *Benedicto*; partim vero Hungari, qui circa id tempus ſubjugatis Moravis, victisque Bajoariis, univerſam Pannoniam in ſuam redegerunt poteſtatem. Pugnatum quidem ſæpius fuit adverſus Hungaros, ſed anno 907 fœda clades accepta eſt, qua ipſe quoque *Theodmarus* occubuit.

Itaque non diu Archiepiſcopis Salisburgenſibus poſſeſſione *Sabariæ* frui licuit: ne tamen ſuo in eam juri vel ſub Hungaris renunciaſſe viderentur, Privilegium Arnulphinum novis poſteriorum Germaniæ Regum diplomatibus confirmari poſtularunt. Poſtremum idgenus diploma ſub exitum adhuc ſæculi XII. a *Philippo* Rege, Imperatoris *Henrici* IV. fratre, datum eſt, petente *Adelberto* Eccleſiæ Salisburgenſis Archiepiſcopo, ipſius Philippi conſanguineo. Vulgavit illud præter alios *Henricus Caniſius* T. III. antiq. lect. *u*). Ex contextu autem diplomatis facile intelligitur, contineri eo privilegia omnium fere antecedentium Germaniæ Regum, adeoque non *Arnulphi* tantum, verum etiam *Caroli*, & *Ludovici*, ac præcipue *Ottonis*. Nos reliquis prætermiſſis unam dumtaxat illius pericopen, in qua ſit mentio iterata *Sabariæ*, & nonnullorum aliorum locorum, ad Privinæ & Chezilonis ditionem olim ſpectantium, iſthic referemus. En illam: „ Item „ ſecundum exemplar præcepti, quo divus Auguſtus *Otto* prædictam Salzburgenſem Eccleſiam munivit, ac ditavit, nos donationes eidem Eccleſiæ factas - - - „ renovamus, & confirmamus - - - - *Rapam Sabariam* civitatem, & Eccleſiam „ cum decima, & teloneis, vineis, agris, pratis, paſcuis, foreſtis, montibus „ cunctis ad eandem civitatem legaliter pertinentibus. Inſuper *ſiccam Sabariam*, „ & Pennichaha, & Moſaburch Abbatiam, ubi Sanctus Adrianus requieſcit. Nonam quoque de omnibus Regalibus inibi cum teloneo in civitate, & piſcina „ ad Salabingam curtem, cum trecentis manſis &c. „

Animadverſione autem dignum eſt, in hoc diplomate duplicem commemorari *Sabariam*, quarum una *Rapa Sabaria civitas*, altera *ſicca Sabaria* vocatur. Ac fortaſſe erit aliquis, qui dubitet, an non utraque hæc *Sabaria* ſitu longe diverſa fuerit ab hodierna *Sabaria*, cui nec *Rapæ*, nec *ſiccæ* denominatio convenire videtur. *Rapa* enim illo ævo erat nomen *Arrabonis* fluvii, a quo tamen

u) pag. 457. ſeqq.

noſtra *Sabaria* tribus amplis milliaribus diſtat. *Sicca* vero *Sabaria* indicat aliquem hujus nominis locum, qui nullo fluvio, neque rivo alluitur, quod pariter de *Sabaria*, inter duos amnes (*Gyöngyös*, & *Perenth*) poſita, dici nequit. Augeri dubium poteſt ex hoc etiam capite, quod uti *Philippi*, ſic *Ottonum* quoque tempore Reges Germaniæ nihil amplius juris habuerint in *Sabariam*, & cætera loca Pannoniæ, utpote jam Hungarorum Principibus ſubjectæ. Cæterum vocabula *Rapæ*, & *ſiccæ* varios in chartis medii illius ævi habent ſignificatus, qui videri poſſunt in Gloſſario Ducangii: quamobrem hoc loco *Rapa Saboria* fors idem eſt, ac *territorium Sabarienſe*, & *ſicca Sabaria* forſitan non aliud, quam ipſum Sabariæ locum ſignificat. Aut, ſi hæc interpretatio non ſat veriſimilis apparet ideo, quod in hoc diplomate nomen *Rapæ* reipſa *Rabam*, ſeu *Arrabonem* fluvium indicare videatur (eſt enim ibidem & *Luimingæ juxta Rapam*, & *Rapæ ad Judlerben* mentio) ſit ergo, per me licet, *Rapa Sabaria* eadem, quæ ad *Rabam*, ſeu *Rabenſis*, id eſt, *Arrabonenſis Sabaria*; propterea ſic dicta, quod civitatis hujus territorium ad Arrabonem uſque pertigerit: tum autem *ſiccæ Sabariæ* nomine intelligere licebit alteram illam, reapſe omni fluvio, rivoque deſtitutam, quam medio hoc ævo juxta montem S. *Martini* extitiſſe, & Anonymus Belæ Regis Notarius, & ipſe Rex *Bela IV.* teſtantur, uti *Lib. I.* hujus oper. *Cap. IV.* dictum eſt. Nec enim gemina hæc *Sabaria* extra Pannoniam idcirco quærenda eſt, quod eam *Philippus* Germaniæ Rex, cui nihil in Pannoniam juris erat, Salisburgenſi Eccleſiæ donaſſe legitur. Quippe hoc *Philippi* diplomate continetur confirmatio omnium donationum, quæ Archiepiſcopis Salisburgenſibus aliquando factæ erant, etiam quoad ea loca, quorum poſſeſſione jam dudum exciderunt.

HISTORIÆ

HISTORIÆ SABARIENSIS
LIBER SEPTIMUS.

DE
STATU PANNONIÆ, RERUMQUE SABARIENSIUM SUB HUNGARIS
AB ANNO CHRISTI 900 AD 1578.

CAPUT I.

De occupatione Pannoniae per Hungaros, horumque ad fidem Chriſtianam converſione.

PANNONIA ad Hungaros anno 900. devoluta primum Ducibus parebat, poſtea Regibus; paretque ad præſens uſque tempus. Ducum tempore nihil memorabile occurrit in Annalibus de civitate *Sabaria.* Direptam fuiſſe prima Hungarorum irruptione, prorſus eſt veriſimile: ingentes enim ſtrages tota late Pannonia editæ fuerunt, non per Hungaros tantum, ſed per ipſos quoque Moravos, qui Hungaris permiſti clades a Bajoariis acceptas omnimode ulciſcebantur. Graves hac de re querelas continet Epiſtola, quam Bajoariæ Epiſcopi ad Joannem Papam IX. hoc tempore dederunt, hæc inter alia de Moravis ſcribentes: „ Ipſi „ Ungarorum non modicam multitudinem ad ſe ſumpſerunt, & more eorum „ capita ſuorum pſeudo-chriſtianorum penitus detonderunt, & ſuper nos chri- „ ſtianos immiſerunt, atque ipſi ſupervenerunt, & alios captivos duxerunt, alios „ occiderunt, alios ferina carcerum fame, & ſiti perdiderunt, innumeros vero „ exilio deputaverunt, & nobiles viros, ac honeſtas mulieres in ſervitium rede-

„ gerunt, ita ut in tota Pannonia noſtra maxima provincia, tantum una non ap-
„ pareat Eccleſia, prout Epiſcopi, a vobis deſtinati, ſi fateri velint, enarrare
„ poſſunt, quantos dies tranſierunt, & totam terram deſolatam viderunt „ *a*).

Cæterum etiam Moravi, ac iſti quidem priores, apud eundem Papam queſti ſunt; hæc Bajoariorum culpa accidiſſe: ipſos enim fuiſſe primos, qui amicitiam cum Hungaris inierint, qui nefario ſacramento per canem lupumque fœdus pepigerint, immo & pecuniis adjuuerint Hungaros ad Italicam procurſionem. Unde apparet, admiſſum eſſe utrinque aliquid, quod Hungaris ad has terras invadendas, & ſubjugandas viam fecit expeditiorem. Acriter ſane invehitur *Luitprandus* in Regem *Arnulphum b*), quod is ad *Sventibaldum* Maravanorum Ducem debellandum Hungaros in auxilium convocarit: *ſi tamen*, inquit, *auxilium dici poteſt*, *quod paullo poſt eo moriente tum genti ſuæ*, *tum cæteris in meridie*, *occaſuque degentibus nationibus grave periculum*, *immo excidium fuit - - - Devicto namque Zventebaldo Maravanorum Duce*, *Arnulfus pace habita Regno potitur. Hungari interim obſervato exitu*, *contemplatique regionem*, *cordibus malum*, *quod poſtmodum in propatulo apparuit*, *machinabantur.* At Conſtantinus *Porphyrogenitus* refert, ad excidium *Magnæ Moraviæ* (quo nomine Pannoniam quoque ab illo comprehendi ſupra probavimus) plurimum contuliſſe diſſidia, poſt obitum *Sventibaldi* inter ejusdem filios exorta.

Gliſcentem autem inter fratres Moravos, *Moymarum II.* & *Sventibaldum II.* diſcordiæ flammam fovebat *Arbo*, limitis Auſtriaci Præfectus, hujusque filius *Iſenricus*, qui poteſtatem ſuam, diviſa inter ſe, & *Leopoldum* Præfectura Auſtriæ, diminutam ægerrime ferebant. Ad iſtum igitur cum junior *Sventibaldus* confugiſſet, illi factionem *Moymari* clam primum, mox palam adjuvabant. At vero *Moymarus*, poſteaquam ejecto fratre ſolus rerum in Moravia potiri cœpiſſet, illico permoleſtum ſibi Germaniæ jugum excuſſit, detrectato tributo, omnique, quod clientelæ nomine fieret, negato obſequio. Ad hæc, ſecutus paterna veſtigia, provinciam ſuam a metropolitana Præſulum Germaniæ jurisdictione ſubtraxit, propriumque ſuæ genti Archiepiſcopum, & ſuffraganeos Antiſtites a Pontifice Romano impetravit. Hinc nova iterum odia, novæ lites, & bella recruduere inter duas nationes, quorum tandem cervicibus tertia ſupervenit, Hungarorum videlicet natio ſub Duce *Arpado.* Ab his principio in Moravos factus fuit impetus, quibus & regio circa Granum, Vagumque erepta eſt. Poſt autem, ubi certis nunciis compertum fuiſſet, *Arnulphum*, cujus adhuc ſive metu, ſive amicitia, aut fœdere ſe ſe continebant Hungari, e vivis exceſſiſſe, inque illius locum *Ludovicum* filium, adhuc impuberem, Germaniæ Regem ſalutatum

a) T. II. Concil. Labb. & apud Ludewig Vol. II. Script. Germ. in Adpendice ad Chronicon Reicherſpergenſe,

b) Lib. I. de rebus Impp. & Regum Cap. V.

eſſe, tum enimvero Dux *Arpadus* tempore utendum ratus, contracto celeriter exercitu, quem haud modica Moravorum, in fidem receptorum, manu auxerat, Danubium trajicit, Pannonias invadit, finesque Regni Bajoarici, & ipſam adeo Italiam, editis late ſtragibus, actisque prædis quamplurimis, percurrit. Quod anno Chriſti 900. accidiſſe, colligitur ex his Luitprandi verbis: *Primo mortis hujus* (Arnulphi) *natique ejus* (Ludovici) *ordinationis anno, Hungari permagno collecto exercitu, Maravanorum gentem quam virtutis eorum adminiculo Rex Arnulfus ſubdiderat, ſibi vendicant, Bajoariorum etiam fines occupant, caſtra diruunt, Eccleſias conſumunt, populos jugulant c)*.

Commune periculum ad pacis tandem conſilia Principes Bajoariæ, & Moraviæ flexit, quæ anno 901. Ratisbonæ habito Oratorum conventu, coaluit, armis in Hungaros converſis. Atque iſti quidem diverſis vicibus nonnullas ab Auſtriis, Carentanis, & Moravis clades accepere: verum anno 907. cum de ſumma rei dimicaretur, inſignem retulerunt victoriam. Periit hoc bello inter cæteros illuſtres viros *Theodmarus* Salisburgenſis Archiepiſcopus, cui *Sabariam* ab Rege Arnulpho donatam fuiſſe diximus. Periit & *Leopoldus* Auſtrius, cujus adhuc manu, conſilioque ruens Regni Bajoarici fortuna utcunque ſuſtentabatur. Ab hac victoria *Zoltanus*, filius *Arpadi*, regimen ſuum auſpicatus eſt. Verum Rex *Ludovicus*, quia pacem Germaniæ annuo tributo redimere cogebatur, mœrore animi anno 911. contabuit. Extincta eſt in illo Stirps Carolingica, Imperiumque Germaniæ liberis Procerum ſuffragiis *Conrado*, Franconiæ Duci; iſto autem ſub annum 919. extincto, delatum fuit *Henrico Aucupi*, Duci Saxoniæ. Hic anno 933. Hungaros Thuringiam, & Saxoniam infeſtantes ingenti prælio devicit, Germaniamque a tributis, quæ *Ludovicus IV.* & *Conradus* hactenus perſolvebant, liberavit. Poſt *Zoltanum* Hungaros rexit Dux *Toxus*, cujus exercitum *Otto I.* cognomento *Magnus*, prope Auguſtam Vindelicorum anno 955. pene delevit.

Parta hoc victoria, Præſules Germaniæ ſpem conceperunt maximam propagandæ inter Hungaros Religionis chriſtianæ. Primus horum *Wolfgangus*, Eccleſiæ Ratisbonenſis Antiſtes, hujus rei cauſa iter in Pannoniam, ac labores apoſtolicos ſuſcepit, idemque ſtudium in *Piligrino*, Paſſavienſi Metropolita, accendit. Pios conatus plurimum adjuvit ipſe *Otto* Imperator, qui anno 972. miſſo ad *Geyſam*, ſucceſſorem *Toxi*, legato *Brunone* Verdenſi Epiſcopo, inter cæteras pacis oblatæ conditiones obtinuit, ut chriſtianis doctoribus liber eſſet in Hungariam aditus. Quo comperto *Fridericus*, Salisburgenſis Epiſcopus, mox vetera Eccleſiæ ſuæ jura, a *Pipino* & *Carolo Magno* conceſſa reſuſcitaturus, egit apud *Benedictum* Papam VI., ut Pannoniam omnem ſuo rurſus Archiepiſcopatui adſcriberet; egit quoque apud Imperatorem *Ottonem Magnum*, ut antiquas

c) Lib. II. Cap. I.

in Pannonia poſſeſſiones, inter quas numerabatur *Sabaria*, novo privilegio ſibi, ſuisque ſucceſſoribus confirmaret. Datum ei fuiſſe ab *Ottone* idgenus privilegium, conſtat ex poſterioribus *Philippi* Regis literis privilegialibus, ſupra memoratis. Sed an eo privilegio *Sabariam*, & alias in Pannonia veteres poſſeſſiones reapſe receperit, haud ſatis liquet: quoniam incertum eſt, an *Otto* devictis Hungaris partem aliquam Pannoniæ recuperaverit. Quod autem ad ſacrum jus metropoliticum, per omnem Pannoniam exercendum, attinet: de hoc litem ei movit *Piligrinus*, Paſſavienſis Antiſtes, provocans ad vetera pariter Eccleſiæ Laureacenſis jura, per *Eugenium*, *Gregorium*, *Leonem*, *Agapetum* Pontifices Romanos conceſſa. Arbiter, & judex hac in cauſa ſedit *Benedictus* Papa VII., qui *Agapeti* deciſionem confirmans decrevit, ut ſola deinceps Pannonia occidentalis, ſeu Superior, Archiepiſcopo *Salisburgenſi*; Orientalis autem, ſeu Inferior, *Avariam* continens, ſimulque provincia Mœſia, includens *Moraviam*, in rebus ſacris *Laureacenſi* Metropolitæ ſubjaceret. Obſcuri ſunt hodie hi Diœceſium termini, quoniam alii Auctores Pannoniam occidentalem & ſuperiorem vocant eam, in qua fuit *Avaria*, utpote Norico ripenſi, quod nomine *Hunniæ* Scriptoribus Francis, ut ſupra dictum eſt, veniebat, contigua, & *Moraviæ*, trans Danubium ſitæ, vicina. Tum etiam, quia *Mœſia* alias hodiernam *Serviam*, procul a Moravia diſſitam, ſignificat. Sed videtur medio illo ævo adpellatio Mœſiæ latius patuiſſe, ut ſcilicet partem quoque Hungariæ, a Bulgaris, & Moravis circa Tibiſcum, Granum, Vagumque, & Moravam fluvios poſſeſſam, comprehenderet. Cæterum omnis in Hungariam jurisdictio tam Salisburgenſium, quam Laureacenſium Præſulum deſiit ineunte ſæculo XI., quo divus Rex *Stephanus* proprios Eccleſiæ Hungariæ Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus inſtituit, quemadmodum ſuo loco dicetur.

Cœptam vero ſub Duce *Geiſa* Hungarorum ad ſacra chriſtiana converſionem retardavit mors *Ottonis Magni*, & ſubſecuta bella, quibus ſe ſe Hungari immiſcuerunt. Primum bellum anno 974. inter Henricum Ducem Boicum, & Imperatorem *Ottonem II.* erupit. Hoc durante *Piligrinum*, Hungariæ Apoſtolum, *Ottoni* fidelem, magnis detrimentis affecerunt non modo Bavari, Paſſavio intercepto, verum etiam Hungari, *Henrici* Ducis fœderati, qui terras, & prædia Eccleſiæ Paſſavienſis vaſtarunt, & incenderunt. Bellum alterum eodem *Henrico* auctore exarſit adverſus *Ottonem III.* anno 983., quo limes orientalis Germaniæ iterum ab Hungaris direptus, & divexatus fuit. Tot irruptionibus modum tandem anno ſequente poſuit Imperator *Otto III.* uſus opera *Leopoldi* Babenbergici, Auſtriæ Marchionis, qui expugnato Mellicenſi caſtro Hungaros ultra montem Cetium rejecit, ac fugavit. Omnis tunc Auſtria rediit ad veteres dominos: immo, ſi *Aventino* fides, victor exercitus in ipſam quoque Hungariam pedem intulit, eodemque bello Poſonium, Sopronium, *Sabariam*, multaque alia loca Auſtriæ, & Styriæ propinquiora cepit, quæ tamen poſtmodum pactis nuptialibus, inter

Giſelam Bavaram, Imperatoris *Henrici* ſororem, & *Stephanum*, *Geiſæ* Ducis filium, initis, Hungariæ reſtituta fuere *d*).

Ad eundem annum 984., quo hæc acciderunt, quidam recentiorum, uti *Hanſizius*, *Stiltingus*, *Aſſemanus*, & *Pray*, referunt S. *Adalberti*, Pragenſis Archiepiſcopi, in Hungariam adventum, ac nativitatem, baptiſmumque S. *Stephani*, Geiſæ filii. Nititur hæc ſententia auctoritate *Chartuitii* Epiſcopi, qui in Biographia ſub *Colomanno* Rege conſcripta perhibet, S. *Stephanum*, quem Strigonii natùm S. *Adalbertus* ſacris undis abluerit, jam pueritiæ metas anno 997., quo pater ejus *Geiſa* obiit, exceſſiſſe. Sed miras circa eventum adeo illuſtrem tenebras offuderunt variæ aliorum Scriptorum relationes. *Ademarus* enim, Ecolismenſis monachus, *Geiſæ*, & S. *Stephano* coævus, ſcribit in fragmento Chronici, per *Henricum Caniſium* vulgati *e*), tam *Geiſam*, quam hujus filium non a S. *Adalberto*, ſed ab hujus imitatore, & coapoſtolo S. *Brunone* Martyre baptiſmo initiatos fuiſſe, impoſito utrique *Stephani* nomine, quia hæc ſolemnitas in natali Protomartyris *Stephani* peragebatur: *Ottonem* vero tertium egiſſe Sponſorem in baptiſmate *Geiſæ*, ſeque adeo liberalem erga eundem exhibuiſſe, ut *regnum ei liberrime habere permiſerit*, id eſt, ut omni juri, quod adhuc Reges Germaniæ in Pannonias habere videbantur, hac occaſione renunciaverit, *dans ei idcirco licentiam ferre lanceam ſanctam ubique*, *ſicut ipſi Imperatori mos eſt*, *& reliquias ex clavis Domini*, *& de lancea ſancti Mauricii ei concedens in propria lancea*: ad hæc, ejusdem filio *Stephano* deſpondens *Giſelam*, Ducis *Henrici*, poſt ſe imperaturi, ſororem *f*). Fidem *Ademaro* habuiſſe videtur *Dlugoſſus*, non incelebris ſæculi XIV. Hiſtoricus Polonus; quippe is S. *Adalbertum* non baptiſmum, ſed confirmationis dumtaxat characterem S. *Stephano Geiſæ* filio impendiſſe tradit *g*).

---

d) Aventin. Annal. Bojor. lib. 5.

e) T. III. Antiquar. lect. ad ſæc. X. p. 66. ſeq.

f) *Ademari* verba ſunt l. cit. „ Erant ei (Imp. *Ottoni III*) duo reverentiſſimi Epiſcopi, „ ſanctus videlicet *Adalbertus* de civitate Praga, quæ eſt in provincia *Bevehem*, ſanctus etiam „ *Brunus* Epiſcopus de civitate *Osburg*, quæ eſt in provincia Bajoariæ, conſanguineus ejusdem „ Imperatoris. „ Deſcribens dein *Adalberti* virtutes, ejusque abitum in Poloniam, ac Pruſſiam, martyriumque apud Pincenatos, ſubjungit: „ ſanctus autem *Brunus*, convertit ad fidem Un- „ griam provinciam, & aliam, quæ vocatur Ruſſia: Regem Ungriæ baptizavit, qui vocabatur „ *Gaitz*, & mutato nomine in baptiſmo, *Stephanum* vocavit; quem *Otto* Imperator in natali „ protomartyris *Stephani* a baptismate excepit, & regnum ei liberrime habere permiſit, dans „ ei licentiam ferre lanceam ſanctam ubique, ſicut ipſi Imperatori mos eſt, & reliquias ex „ clavis Domini, & de lancea ſancti Mauricii ei conceſſit in propria lancea. Rex quoque ſupra „ dictus filium ſuum baptizari juſſit, & ſanctus *Bruno* impoſuit ipſi nomen, ſicut ſibi, *Stephanum*. „ Poſtea vero ipſi filio ejus *Stephano* Otto Imperator ſororem *Henrici* poſtea Imperatoris in con- „ jugio dedit. At vero ſanctus *Brunus* cum ad Pincenatos properaviſſet, & Chriſtum prædicare „ cœpiſſet illis, paſſus eſt ab eis, ſicut paſſus fuerat ſanctus *Adalbertus*. „

g) Hiſt. Polon. Lib. 2.

Et vero mirum eſt, inter ipſos Biographos *Chartuitio* vetuſtiores neminem eſſe, qui diſertam faceret mentionem baptiſmi, per *Adalbertum S. Stephano* Geiſæ filio collati. In Theſauro Monumentorum Eccleſiaſticorum, ſive in Lectionibus antiquis *Henrici Caniſii* Tomo III. præter fragmentum ſupra laudatum ex Chronico *Ademari*, extant tria alia ſæculi X. documenta de S. *Adalberto* Pragenſi Antiſtite. Primum horum continet ejusdem vitam, & paſſionem ab auctore coævo conſcriptam, in qua nihil omnino, quod vel ad Hungariam pertineat, reperies. Secundo loco exhibentur fragmenta ex alia biographia S. *Adalberti*, ubi, quæ ad rem præſentem ſpectent, hæc ſolummodo leguntur: „ Non tacendum, quod „ juxta poſitis Ungaris nunc nuncios ſuos miſit, nunc ſeipſum obtulit, quibus „ etiam ab errore ſuo parum mutatis umbram Chriſtianitatis impreſſit „ *h*). Et infra: „ Miſerat his diebus ad Ungarorum Seniorem magnum, immo ad uxo- „ rem ſuam, quæ totum regnum viri manu tenuit, & quæ erant viri, ipſa re- „ gebat, qua duce erat chriſtianitas cœpta: ſed intermiſcebatur cum paganiſmo „ polluta Religio, & cœpit eſſe deterior barbariſmo languidus ac tepidus chri- „ ſtianiſmus; ad quam tunc pervenientes, illinc nuncios in hæc verba Epiſto- „ lam miſit. Papatem meum, ſi neceſſitas, & uſus poſtulat, tene: ſi non, propter „ Deum ad me mitte eum „ *i*). Viden', nihil iſthic eſſe de baptiſmo S. *Stephani*, ſed ea ſolummodo narrari, e quibus certum eſſe poſſit, S. *Adalbertum* tum per ſe, tum per alios collaboraſſe in Hungaris partim convertendis, partim vero in fide chriſtiana confirmandis. Similiter in chronico Magdeburgenſi, cujus fragmentum ibidem tertio loco proponitur; generatim dumtaxat, & quidem nonniſi ad annum 996. adnotatum reperies, S. *Adalbertum* in convertenda Pannonia ſimul, & Polonia laboraſſe. Verba Chronici ſunt: *Signifer Chriſti Præſul Adalbertus retibus fidei cepit Pannoniam ſimul, & Poloniam k*). Itaque, quæcunque antiquiorum *Chartuitio* Scriptorum teſtimonia ſpectentur, hæc facile cum *Ademari* narratione conciliari poſſunt, ſi nempe baptiſmum a S. *Brunone*, Confirmationis autem characterem a S. *Adalberto* collatum fuiſſe S. *Stephano* intelligas. Erravit tamen *Ademarus*, memoriæ, uti reor, lapſu, quod S. *Brunonem* Martyrem exiſtimaverit jam ſub Imperatore *Ottone III.* factum fuiſſe Epiſcopum, & quidem *Osburgenſem*, ſeu Auguſtanum, *Odolrici* anteceſſorem. Ex *Ditmaro* enim Merſeburgenſi Epiſcopo, hujus *Brunonis* contemporali, & conſcholaſtico conſtat, ipſum non prius, quam poſt *Ottonis* obitum imperante *Henrico II.* cum ſe ſe Pruſſico itineri accingeret, in civitate Merſeburg a *Tagmone* Magdeburgenſi Archiepiſcopo conſecrationem epiſcopalem, palliumque Archiepiſcopale, ſibi a Pontifice Romano miſſum, ſuſcepiſſe *l*). At vero apud *Ditmarum* nulla,

h) Henr. Caniſii antiqu. lect. T. III. p. 61.

i) Ibid p. 63.

k) Ibid. p. 65.

l) Chron. Lib. VI. p. m. 82.

inquis, in rebus *Brunonis* Martyris de baptiſmate *Geiſæ*, hujusque filii mentio reperitur; unde haud immerito ſuſpicari licet, *Ademarum* in hoc etiam memoria lapſum eſſe, quod rem a Sancto *Adalberto* geſtam tribuerit *Brunoni* Martyri ejusdem imitatori. Silentium *Ditmari*, fateor, haud parvi eſſet momenti, niſi conſtaret, alias quoque res permultas, memoratu digniſſimas, quæ ejus tempore acciderunt, ab ipſo prætermitti. Sic *Ditmarus* ne ipſius quidem S. *Adalberti* Pragenſis Archiepiſcopi in toto ſuo opere meminit, niſi forte tacito nomine illum intelligat, cum refert *Geiſam* ab Antiſtite ſuo accuſatum eſſe, quod ritus chriſtianos ethnicis ſuperſtitionibus pollueret. *Geiſa* illi eo loco *Deiux* appellatur: *Geiſæ* autem uxor *Beleknegini*, id eſt, ut ipſe interpretatur, *pulchra domina*, ſclavonice dicta *m*): item alibi ſanctus Rex *Stephanus* eidem *Waic* eſt *n*): quæ nomina apud neminem alium reperies. Hinc vero apparet, *Ditmarum* in rebus Hungaricis ſat peregrinum, certe minus curioſum fuiſſe, utpote qui ne Principum quidem Hungariæ, ſuo tempore regnantium, vera, & genuina nomina tenuerit. Attingit tamen res quasdam tum de *Brunone* Martyre, tum de *Geiſa*, & S. *Stephano*, ſed ſuboſcure, & ſparſim dumtaxat, ac velut incidenter, quæ apud *Ademarum*, aliosque clarius expreſſa leguntur. De *Brunone* videlicet ſcribit, ipſum genere clariſſimo editum, & in aula Imperatoris *Ottonis III.* aliquandiu commoratum. *A tertio*, inquit, *deſideratur Ottone, & ſuſcipitur, quem non longe poſt deſerens ſolitariam quæſivit vitam o*). Id quod cum *Ademari* narratione congruit, qui refert eundem *Brunonem*, Imperatoris *Ottonis III.* conſanguineum, in aula Cæſarea cum *S. Adalberto* Pragenſi converſatum eſſe, dein hujus exemplo aulam deſeruiſſe, & prædicandi Evangelii cauſa primum in Ungariam, poſtea in Ruſſiam, Pruſſiamque abiiſſe. *Ditmarus* quidem nullam, ut ſupra dixi, mentionem *S. Adalberti* facit, verum de *Brunone* ibidem ſubjungit, ipſum *duodecimo converſionis, ac inclytæ converſationis ſuæ anno* ad Pruſſiam prædicationis cauſa profectum eſſe. Apud eundem *Ditmarum*, alio ejusdem chronici loco, *Geiſæ* Hungarorum Ducis Chriſtianismus hoc modo perſtringitur: *Hujus* (regis Pannonici) *pater erat Deiux nomine, admodum crudelis, & multos ob ſubitum furorem ſuum occidens. Qui cum Chriſtianus efficeretur, ad corroborandam hanc fidem contra reluctantes ſubditos, ſævum & antiquum facinus, Zelo domini exæſtuans, abluit. Hic Domino omnipotenti, variisque Deorum illuſionibus immolans, cum ab Antiſtite ſuo ob hoc accuſaretur, divitem ſe & ad hæc facienda ſatis potentem affirmavit. Uxor autem ejus Beleknegini, id eſt, pulchra domina, slavonice dicta, ſupra modum bibebat, & in equo more militis iter agens quemdam virum iracundiæ nimio fervore occidit p*).

---

m) Chron. Lib. VII p. 106.
n) Ibid. Lib. IV. pag. 46.
o) Ibid. Lib. VI. p. 82.
p) Chron. Lib. VII. p. 106.

Quæ ſane narratio recte cohæret cum illa, quam ſupra excerpſimus ex vetere biographia S. *Adalberti*, ubi hic Antiſtes dicitur monitores miſiſſe, & ſcripſiſſe ad Geiſam, ejusque uxorem, propter Religionem apud ipſos paganiſmo adhuc pollutam. Demum alibi idem *Ditmarus* de primo Hungarorum Rege S. *Stephano* ſic ſcribit: *Imperatoris autem prædicti* (*Ottonis III.*) *gratia & hortatu gener Henrici Ducis Bavariorum Waic in regno ſuimet Epiſcopales cathedras faciens, coronam ac benedictionem accepit q*). Hæc partim *Ademaro*, partim *Chartuitio*, aliisque Scriptoribus conſona ſunt. Diſerte enim *Ademarus*, uti ſupra vidimus, tradit; *Ottonem III.* dediſſe *Stephano*, filio Geiſæ, conjugem ſororem *Henrici* Ducis poſtea Imperatoris: cujus pater cum fuerit itidem *Henricus* Dux Bavarorum, patet, quam recte ſcripſerit *Ditmarus*, gratia & hortatu Imperatoris *Ottonis III.* Stephanum factum eſſe generum Ducis Bavariorum. Tum illa, quæ de Epiſcopatibus a Stephano erectis, ac de corona & benedictione accepta ibidem a *Ditmaro* aſſeruntur, quis non videt conformia prorſus eſſe his, quæ apud Hungaros non tam ex Chartuitio, quam ex continua traditione pro certis & indubitatis habentur, de *corona* ſcilicet, ac *benedictione*, quam Sanctus *Stephanus* poſt fundatos in Hungaria recens converſa Epiſcopatus a Pontifice Romano (id temporis *Sylveſtro II.*) per Aſtricum legatum ſuum petiit, & anno Chriſti 1000, imperante adhuc *Ottone III.* obtinuit.

Verum inquiet aliquis; hæc, quæ modo dicta ſunt de corona & benedictione ſancti *Stephani*, adverſari videntur teſtimonio *Ademari*, qui jam *Geiſam*, Stephani patrem, appellat Regem, perhibetque regios ei honores, & inſignia mox poſt baptiſmum ab Imperatore *Ottone III.* fuiſſe collata, *qui regnum ei liberrime habere permiſit, dans ei licentiam ferre lanceam ſanctam ubique, ſicut ipſi Imperatori mos eſt, & reliquias ex clavis Domini, & de lancea ſancti Mauricii ei conceſſit in propria lancea r*). Equidem non ignoro hoc ipſum eſſe, ob quod nonnullis tota hæc *Ademari* norratio de baptiſmo *Geiſæ*, Stephanoque per S. *Brunonem* Martyrem adminiſtrato diſplicet, ſubleſtæque fidei eſſe videtur. Non enim, ajunt, eo tunc loco res Hungarorum erant, ut *Geiſam* oportuerit quaſi precario Regnum ab Rege Germaniæ accipere: quid quod hac ratione neceſſe foret ſeriem Regum Hungariæ non a divo Stephano, ſed a *Geiſa*, ejusdem patre, auſpicari? Ut ut ſit, ipſe nihilominus exiſtimo hæc non ſufficere, ad explodendum, rejiciendumque teſtimonium Auctoris, rei geſtæ coævi, nec rudis omnino, nec fingere ſoliti, quantum ex toto, quod ſupereſt, ejusdem Chronici fragmento conjicere licet. Deinde ejus verba facile alios explicatus admittunt. Regem vocat *Geiſam* ex uſu illius temporis, quo ii, qui populis ſumma cum poteſtate præerant, promiſcue nunc Duces, nunc Reges, etſi coro-

q) Ibid. Lib. IV. p. 46.

r) Cit. fragmento ex Chronico Ademari.

nati non eſſent, a Scriptoribus adpellari conſueverant. Quod autem ſcribat *Ottonem regnum ei liberrime habere* permiſſe, data ei poteſtate ferendi lanceam ſanctam cum reliquiis clavorum Domini, & lanceæ S. Mauricii, ſicut ipſi Imperatori mos erat; id veriſimilius hunc ſenſum habet; quod Imperator *Otto III.* ad conteſtandam ſuam amicitiam erga Ducem *Geiſam*, cujus in baptiſmate Sponſorem egit, ſolemniter omni juri, quod Reges Germaniæ in Pannoniam adhuc habere videbantur, renunciaverit, eidemque ſummæ in regno ſuo poteſtatis inſignia detulerit, qualia videlicet nonniſi chriſtianus Imperator tunc temporis deferre conſueverat, ſanctam videlicet lanceam cum reliquiis clavorum Domini: quorum quidem effigiem ruditer expreſſam videor mihi deprehendere in denariis argenteis, a divo Rege *Stephano*, Geiſæ filio ſignatis: nam ſtipes longior crucis, quo Stephanei denarii inſigniuntur, parte extra circulum emergente ita reapſe effingitur, ut formam quamdam lanceæ adumbret; ad quatuor vero crucis angulos exigua quædam triangula ſpeciem clavorum referre videntur. Idem utrinque typus eſt: perigraphe autem in antica STEPHANUS REX. In poſtica REGIA CIVITAS. Cæterum hanc typi interpretationem nonniſi conjecturæ inſtar accipi velim ob nimiam cælaturæ in hujusmodi denariis ruditatem.

Quoniam vero ad Hungariæ converſionem, præter ipſum ſanctum *Stephanum*, Regem vere Apoſtolicum, haud parum ejus quoque Conjux *Giſela*, & hujus frater ſanctus *Henricus* contulere, idcirco non deſunt inter Scriptores Germanos, qui præcipuam fere hujus ſancti operis gloriam vel *Giſelæ* Reginæ, vel Imperatori *Henrico II.* adſcribant, tam in modo, quam in tempore non leviter aberrantes. Hujusmodi eſt, ex antiquioribus *Otto Friſingenſis* ita de S. *Henrico* Imperatore ſcribens: *Sorore ſua Giſela Stephano Ungarorum Regi in uxorem data, tam ipſum, quam totum ejus regnum ad fidem vocavit.* s) dein *Sigebertus* Gemblacenſis: *Gens Hungarorum*, inquit, *hactenus idololatriæ dedita, hoc tempore ad fidem Chriſti convertitur per Gislam ſororem Imperatoris, quæ nupta Hungarorum Regi ad hoc regem ſua inſtantia adduxit, ut ſe, & totam Hungarorum gentem baptizari expeteret, qui in baptismo Stephanus eſt vocatus.* t) Hæc autem ille non prius, quam ad annum Chriſti 1010. palmari utique errore refert. Ex recentioribus ſufficiet iſthic unicum adducere *Aventinum*, ſi non alia, hac certe de cauſa, quod converſionem Hungariæ nuptiis *Giſelæ* Bavaræ attribuens, ſimul commemoret civitatem *Sabariam*, quam ea cum pluribus aliis oppidis velut pro dote ab Imperatore acceperit, Hungarisque reſtituerit. u) „ Adſunt, ait ille, legati Ugro-„ rum, pacem cum *Hainrico*, perpetuumque fœdus componunt. Rectori eo-„ rum filio Geizonis, qui obierat anno Chriſti 996. *Giſala* ſoror *Hainrici* de-

s) Lib. VI. Cap. 27.
t) Chron. ad Ann 1010.
u) Annal. Bojor. Lib. V.

„ ſpondetur, hac lege, atque omine, ut ille exploſa falſorum Deorum ſuperſtitione, Chriſti unius, & veri, & ſummi Dei cultum cum popularibus reciperet. Accepit conditionem Princeps Vgrus: ſtatim aqua luſtrica tingitur, *Stephanus* appellatur, & a Cæſare Rex nuncupatur. *Giſala* igitur fatale ſortita nomen, *Stephano* tamquam obſes, & fidei vinculum nuptum datur. Cujus ope, & conſilio Ugri philoſophiam chriſtianam ſectari cœperunt. *Giſala* autem lingua Teutonum obſidem valet, crebrum apud Germanos fœminarum nomen. Nam majores noſtri vim quamdam divinam concordiæ, amorisque mutui ineſſe fœminis crediderunt, & efficacius obligari animos eorum exiſtimarunt, quibus inter obſides puellæ quoque nobiles imperarentur. Hanto, Wolfger, Hermannus, Boſo, Venceslaus, Bojorum optimates cum Giſala in Ugriam migrant: & more Teutonum Stephanum enſe, baltheo militari accingunt, armis induunt - - - - Juxta hunc morem a Bojorum proceribus divus Stephanus arma ſumpſit; atque illorum opera in pace ac bello uſus, gentem ſuam armorum ſtudioſiſſimam, proinde a pietate chriſtiana quaſi inutili, adverſaque viris bellicoſis abhorrentem, in obſequio religionis vi continuit. Quod ut facilius aſſequeretur, dotis nomine ei Coloniæ Bojorum Vratislaburgium *(Piſonium)* infra Phiſcam omnem Oedenburgium *(Sempronium)* SABARIA, & alia pleraque oppida quondam Bojorum, infra Phiſcam attribuuntur. „ Hanc *Aventini* narrationem Franciſcus *Otrokotſcius* gravi perſtringit oratione in hiſtoria Eccleſiaſtica Regni Hungariæ, quam incompletam in Mſ. reliquit. „ Videat, inquit ille, „ Lector candidus, in quæ figmenta nonunquam Scriptores quidam partium popularium ſuorum ſtudio delabantur? „ Inter figmenta autem reponit (nec immerito) imprimis dilatam Sancti *Stephani* Regis converſionem, baptismum, & nuptias usque ad Imperium *Henrici II.* qui *Ottoni III.* non prius, quam anno 1001. ſucceſſit: deinde collatam eidem ab Imp. *Henrico* regiam dignitatem; ac demum datas *Giſelæ* pro dote civitates Poſonium, Sopronium, *Sabariam*, aliasque. Quæ cum & ipſi pro figmentis habeamus, non eſt, cur iis diutius immoremur.

CAPUT II.

Sabaria ſub Regibus Hungariæ fit civitas episcopalis: poſſidetur ab Epiſcopis Jaurinenſibus. Horum ſeries ab anno 1009 *ad* 1783.

Post *Geiſæ* Ducis obitum, qui in annum reparatæ ſalutis 997 incidit, non amplius Duces, ſed Reges imperabant Hungariæ. *Stephanus* enim victo & occiſo perduelli *Cupa*, Simegienſis Provinciæ Præfecto, paternum Ducatum conſenſu Procerum, populique, in Regnum erexit, & coronam regiam, pro more illius

ævi, a ſummo Pontifice Romano *Sylveſtro II.* pro ſe, ſuisque ſucceſſoribus, miſſa ſolemni legatione, petiit, ac obtinuit. *x)* Solemnitas coronationis peracta eſt Strigonii menſe Auguſto, die Virgini Deiparæ in cœlos adſumptæ ſacro, cum annus Chriſti 1000 haberetur. *y)* Ab hoc ergo tempore noſtra quoque *Sabaria*, utpote Hungariæ civitas, ſub Regibus eſſe cœpit; quæ tamen non in regiarum, ſed epiſcopalium civitatum cenſum poſtea venit: nam divus Rex *Stephanus* illam Epiſcopatui Jaurinenſi, recens ab ſe condito, in dotem ceſſit, ac donavit. Si regiæ hujus donationis tabulas, quæ temporum injuria jam dudum periiſſe videntur, in medium proferre liceret, intelligeremus forſitan, *Sabariam* Epiſcopis Jaurinenſibus a ſancto Rege donatam fuiſſe tum ob memoriam beati *Martini* Confeſſoris, illic nati; tum vero, quia æquum videbatur reddere Sacerdotio civitatem, quæ jam ante occupatam per Hungaros Pannoniam juris erat eccleſiaſtici, & inter poſſeſſiones Eccleſiæ Salisburgenſis, uti ſupra dictum eſt, numerabatur.

Annus donationis procul dubio idem fuerit, qui fundationis Epiſcopatus Jaurinenſis. Verum is, quod Literæ fundationales non extant amplius, nec unquam luce publica donatæ fuerunt, hodie nonniſi conjectando eruitur. Laurentius *Karolyius* Epiſcopus Scardonenſis, idemque Ven. Capituli Eccl. Jaurin. Præpoſitus Major, in opere ſuo poſthumo, cui titulus: *Speculum Jaurinenſis Eccleſiæ*, natalem huic Epiſcopatui annum ſtatuit 1033. Hac ductus ratione, quod ipſa quoque Eccleſia Cathedralis iſto primum anno Jaurini terminata fuerit, quod ille arguit ex vetuſta quadam imagine ſancti Regis *Stephani*, templum a ſe ædificatum aſſumptæ in cœlum Virgini offerentis, ſubſcripto numero MXXXIII. *z)* Verum Celeb. *Prayio* incredibile videtur, erectionem Epiſcopatus Jaurinenſis ad hunc usque annum, quo cathedrale templum ad faſtigium adductum fuerat, dilatam fuiſſe. Itaque ſecundum illius ſententiam primus Eccleſiæ Jaurinenſis Epiſcopus jam anno 1009. fuerit conſtitutus, tum quod aliarum quoque duarum Diæceſium, Veſprimienſis videlicet, atque Quinque Eccleſienſis, Epiſcopi hoc anno denominati fuere, tum vero, quia ad definiendos Veſprimienſis Diæceſeos occaſum verſus limites, neceſſe erat ſuos quoque terminos Jaurinenſi Diæceſi deſcribere. *a)* Quidnam propius vero videatur, paullo infra inveſtigabimus: interea autem præmittimus iſthic ſeriem Epiſcoporum Jaurinenſium, qui *Sabaria* ab anno Chriſti aut 1009, aut 1033 usque ad 1783 poſſederunt. Nomina eorum e diplomatibus, aliisque fide dignis documentis collecta ſunt.

---

x) Literas Sylveſtrinas, transmiſſæ divo *Stephano* coronæ regiæ teſtes, in Tragurienſi Tabulario repertas, primus vulgavit Melchior *Inchofer* T. I. Annal Eccl. Hung. p. 256. ſeqq. *Stephanum* autem, imperante adhuc *Ottone III.* coronam regiam, & benedictionem accepiſſe, teſtatur *Ditmarus*, rei geſtæ coævus, l. ſupr. cit.

y) *Chartuitius* in vita S. Stephani Regis.

z) Specul. Jaur. Eccl. p. 1 & 38.

a) P. I. Hierarch. Hung. p. 309.

Series Epiſcoporum Jaurinenſium, Sabariæ Dominorum, ante erectionem Epiſcopatus Sabarienſis.

Sæculo XI. *Modeſtus* e documentis Anni 1037 & 1048. *Nicolaus* 1052-55. *Deſiderius* 1064. *Arduinus* 1097, & 1103.

Sæculo XII. *Georgius I.* 1111, & 1113. *Ambroſius.* * b) *Gervaſius I.* 1119-24-33. *Paulus I.* 1138-39. *Zachæus* 1143-46. *Izbeg* 1150. *Gervaſius II.* 1156-57-69. *Miculinus* 1183-86. *Vgrinus* 1188-90-93-97-98-99. 1201-02-04.

Sæculo XIII. *Petrus I.* 1206-07-08-09-10-11-12-15-17-18. *Cosmas I.* 1219-20-21-22. *Gregorius* 1224-25-29-30-31-33-34-38. *Georgius II.* 1241. *Benedictus I.* poſtulatus 1243. *Georgius III.* 1246. *Artolphus* 1247-51-52. *Homodeus* 1254-56-63. *Georgius IV.* 1263. *Farkaſſius* 1268. *Dionyſius* 1271 usque 81. *Andreas* 1290-91-92. *Benedictus II.* 1294. *Theodorus* 1297. 1303.

Sæculo XIV. *Nicolaus II.* 1308-09-13-17-18. *Colomannus I.* * 1318. *Nicolaus III.* * 1321 & ſeqq. usque 36. *Colomannus II.* * 1338-42-45. *Vilhelmus** 1346. *Colomannus III.* 1346-47-49-50 & ſeqq. usque 70-73. *Petrus II.* 1376-77. *Guilielmus* 1378-79-80 & ſeqq. usque 84. *Joannes I. de Bedrichma.* 1387-88-89-91-92-99.

Sæculo XV. *Franciſcus I.* 1400. *Joannes II* 1401-04-05 & ſeqq. usque 1415. *Clemens I.* 1419-20. *Joannes III.* * 1422. *Clemens II.* * 1423-24-26 & ſeqq. usque 37. *Benedictus III.* 1439-40. *Joannes IV.* 1446. *Auguſtinus* 1447-52-57-59-64-65. *Demetrius I. Cſupor* 1467 & ſeqq. usque 79. *Vrbanus Doczi de Nagy luch* 1483-86. *Thomas Bakocz de Erdeud.* 1487-90 & ſeqq. usque 94. *Franciscus I.* 1495-98-1500 & ſeqq. usque 1508.

Sæculo XVI. *Joannes V. Goſzthon de Felsö-Szeleſte.* 1510 & ſeqq.-25. *Blaſius Paxy* 1526. *Franciscus III Vjlaky* 1539-42 & ſeqq. usque 50. *Paulus II. de Gregorianez* 1553 & ſeqq. usque 65. *Zacharias Cardinalis Delphinus* 1567-68-69. *Joannes VI. Liſthius* 1573 usque 77. *Georgius VI. Draſcovith* 1578 & ſeqq. usque 87. *Petrus III. Hereſincy* 1587-88-90. *Joannes VII Kuthaſſi* 1593-94. *Martinus Pethe de Hetes* 1598-1600-04.

Sæculo XVII. *Demetrius II. Napragy* 1607 & ſeqq. usque 18. *Valentinus Lépes* 1622. *Nicolaus IV. Dallos* 1623 & ſeqq. usque 30. *Stephanus II. Sennyei de Kiſs-Sennye* 1630-31-34-35-*Georgius VII. Draſcovith* 1635 & ſeqq. usque 50. *Joannes VIII. Püsky* 1651-55. *Georgius VIII. Széchényi* 1658 ſeqq. usque 81. *Leopoldus a Kollonics* 1785-86-88-94.

Sæculo XVIII. *Chriſtianus Auguſtus Dux Saxoniæ* 1696-98. 1700 ſeqq. usque 25. *Philippus Ludovicus Comes a Sinzendorf* 1725-29. *Adolphus a S. Georgio* 1733-43. *Franciſcus IV. Comes Zichy de Vasonkö* 1743-74-83.

---

b) * hoc ſigno notati deſunt in Prayana ſerie Epiſcoporum Jaurin. aut aliter editi ſunt.

CAPUT III.

Adnotationes ad præmiſſam ſeriem Epiſcoporum Jaurinenſium, Sabariam poſſidentium. De iis primum, qui Sæculo XI. floruerunt.

PRÆMISSAM Epiſcoporum Jaurinenſium, *Sabariæ* Dominorum, ſeriem inchoat *Modeſtus*; non quod certum prorſus ac indubitatum eſſet, ante *Modeſtum* neminem fuiſſe alium, qui Eccleſiæ Jaurinenſi præfuerit, ſed, quia nullus hactenus *Modeſto* antiquior innotuit Præſul Jaurinenſis. Nomen hujus Antiſtitis occurrit primum ad annum 1037 in Privilegio Monaſterii S. Mauritii de *Bakonbél*, cujus hæc eſt clauſula: „ Anno Dominicæ incarnationis MXXXVII. Indictione V. „ Epacta I. Concurrentia V. exiſtentibus Hungariæ Primatibus Dominico Archi„ epiſcopo, *Modeſto* Epiſcopo, Vrzyo, Chuncio, Thomoyno Comitibus. Sig„ num Domini Stephani Regis inclyti. Dominicus Archiepiſcopus, Vice Can„ cellarius pater eſt. „ *c*) Cujusnam Eccleſiæ Hungaricæ hoc anno fuerit *Modeſtus*, iſthic non exprimitur quidem, ſed, quod Jaurinenſi præfuerit, nihil ambigendum eſt: nam aliæ Eccleſiæ alios circa hoc tempus Antiſtites habuere, & præterea Carolus *Péterffy* teſtatur, *Modeſtum* qua Epiſcopum Jaurinenſem reperiri in alio diplomate ad annum MXLVIII. dato. *d*)

Prayianus Epiſcoporum Jaurinenſium Catalogus *Modeſto* præfigit annum Chr. 1009 *e*) non, quod Auctor catalogi viderit Literas fundationis, aut aliud quodpiam inſtrumentum illo anno confectum, in quo *Modeſti* Epiſcopi nomen legiſſet, ſed, quia ob rationes, capite præced. memoratas, exiſtimavit, incunabula Epiſcopatus Jaurinenſis pertinere ad eundem annum, quo fundati erant Epiſcopatus Veſprimienſis, & Quinque Eccleſienſis. Secundum hanc igitur ſententiam *Modeſtus*, quem adhuc anno 1048 vixiſſe *Péterffius* e diplomate detexit, ſediſſet annis ut minimum novem ſupra triginta, quantum nemo alius inter Epiſcopos Jaurinenſes uſque ad poſtremum in ſerie noſtra Franciſcum e Comitibus *Zichy*, qui anno ſui Epiſcopatus quadrageſimo, ætatis autem octogeſimo tertio naturæ debitum perſolverat.

Verum Laurentius *Karolyi* agens de anno fundati Epiſcopatus Jaurinenſis, exiſtimat hunc non prius erectum fuiſſe, quam conſtructa Jaurini fuerit Ec-

c) T. I. Legum Eccl. Hung. opera & ſtudio IGNATII Comitis de BATTHYAN Epiſcopi Tranſilv p. 387.

d) P. I. Concil. Hung. p. 12.

e) P. I. Hierarch. Hung. p. 310.

cleſia cathedralis, adeoque non ante annum 1033. *e*), de quo ita mox in principio ſui operis diſſerit *f*): „ Extra Templum *Jaurinenſe*, inquit, cernitur Imago „ cuprea S. Stephani Regis, columnæ Eccleſiæ affixa, ſub tectulo e lamina „ facto, ſuper pulvillo flectentis, & Eccleſiam B. M. V. in cœlos aſſumptæ offe- „ rentis, cum hac expreſſione anni pulvillo inciſi MXXXIII. Unde colligitur „ Eccleſiam hanc a divo Rege Stephano fundatam fuiſſe in honorem aſſumptæ „ Virginis Mariæ, anno Chriſti milleſimo trigeſimo tertio. „ Ut Lector rectius arbitrari poſſit, cujusmodi hæc imago ſit, *Tabula* XXI. ſiſtit ejusdem ectypon *g*). Addo interpretationem, & omnes periſtaſes hujus monumenti.

Tabula ex ære fuſa, quadrato limbo, itidem æneo, ita clauditur, ut hunc inter & illam vacuum undique ſpatium intercedat, conſpicuumque faciat lapidem, cui hæc peculiaribus clavis adfixa ſunt. Inciſæ lapidi literæ, nigroque colore, quo facilius legi poſſint, tinctæ hanc exhibent epigraphen: ✝ MATER DEI MEMENTO MEI. 1460. Quia vero cruculam, & extimas literas limbus æneus tegit, idcirco in Ectypo noſtro adjectus eſt lapis etiam ſecundo, ut integra conſpiceretur epigraphe. Erravit ergo laudatus Auctor ſpeculi Jaurinenſis, cum ſcripſit, infra imaginem illam cupream, cujus deſcriptionem ſupra dederat, cerni hæc verba lapidi inſculpta: *Matri Dei cœlos aſſumptæ* 1046. *h*) Vetus nempe monaſtica forma literarum invicem nexarum, & antiquior numeri arabici ꝗ pro 4 expreſſio, Auctori, in his parum exercitato, impoſuere, ut hæc perperam legeret, atque de conſecratione, ac dedicatione Eccleſiæ Jaurinenſis, in honorem Matris Dei in cœlos aſſumptæ anno 1046. peracta interpretaretur.

Scala noſtro Ectypo adjecta periclitari volentem docebit, quæ ſint cum totius operis, tum ſingularum partium magnitudines. Prominens infra effigiem *S. Stephani* genuflexi numerus MXXXIII. notat annum fundati ab hoc Rege templi Jaurinenſis, non vero ipſius imaginis ex ære fuſæ ætatem: hanc enim potius indicat infra imaginem inciſus lapidi annus 1460, quo forte ipſum quoque templum reparatum fuerit. Certe ipſi limbi ænei modulus, ſanctorum Joannis Baptiſtæ, Joannis Evangeliſtæ, Hieronymi, & Regis Ladislai effigiebus ornatus, ævum Corvinianum ſapit; quo & ipſam in medio poſitam tabellam referre non dubitem, ut ut in ea quidpiam occurrat, quod in aliis monumentis Hungaricis, puta: in numis & ſigillis nonniſi paullo ſerius reperitur. Nimirum in hac tabella cæteras inter effigies cernitur genius cœleſtis ſcutum Regni Hungariæ tenens, in quo crux patriarchalis Tricolli non nudo, ſed jam *corona* ornato inſiſtit. Sed quam-

e) Spec. Eccl. Jaur. p. 38.

f) Ibidem p. 1.

g) Ex Archetypo delineavit P. Nic. *Revay* e S. P. curante D. Martino *Szunerics* Regii Gymnaſii Jaurin. Directore.

h) Specul. Jaur. p. 2.


MXXXIII
A
B
Scala duorum Pedum

clefia cath
cipio ſui o
„ cuprea
„ facto, ſi
„ rentis,
„ Eccleſiar
„ Virginis
arbitrari pc
Addo inte

Ta
hunc inter
lapidem,
colore, qu
DEI MEN
æneus tegi
integra cor
ſis, cum
dederat, c
Vetus nem
arabici
perperam l
in honoren

Sca
totius oper
Stephani ge
pli Jauriner
indicat infr
plum repar
ſtæ, Joanni
Corvinianu
tem, ut ut
in numis &
ras inter eſ
crux patria

---

e) Spec. E
f) Ibidem
g) Ex Arc
mnaſii Jaurin.
h) Specul. Jaur. p. 2.

vis idgenus ornamentum ſcuto crucigero Hungariæ in numis, & ceris primum ſub Regibus Auſtriacis acceſſerit, fieri tamen poteſt, ut id jam ſub *Mathia Corvino* a nonnullis artificibus interdum, & pro arbitrio tantum adhiberi cæperit: id quod præſens monumentum, cui annus 1460 in lapide ſubſcriptus eſt, prodere videtur.

Annus ergo MXXXIII. in hac imagine expreſſus, qui, ut jam dixi, non ad ætatem imaginis, ſed ad id, quod per illam repræſentatur, videlicet ad fundationem, vel conſummationem templi, a Sancto Rege Stephano Virgini Deiparæ oblati, referri debet, nititur auctoritate monumenti, non utique coævi, ſed ſæculi decimi quinti; cui tamen fides habenda eſt, quoniam præſumi poteſt, eundem annum ab auctore hujus imaginis vel in literis fundationis, quæ jam interierint, vel in alio quopiam vetuſtiore documento repertum fuiſſe. Porro, ut ad *Modeſtum*, qui, ſi non antea, certe jam ad annum nunc memoratum Eccleſiæ Jaurinenſi præfuerat, revertamur, is poſt obitum Protoregis *Stephani* variis adverſitatum fluctibus jactatus fuerit, oportet. Secuta enim ſunt bella civilia ſub Regibus *Petro*, *Aba*, & *Andrea I.* Quænam tunc *Sabarienſium* conditio fuerit, ut ut Annales reticeant, facile conjici poteſt, cum poſt exauctoratum Regem *Petrum*, fervente *Abam* inter, & Cæſarem *Henricum III.* bello, hæc potiſſimum Hungariæ pars, in qua eſt *Sabaria*, armis perſtrepuerit. Anno Chriſti 1047. domeſtica ſeditio rem chriſtianam Hungariæ, quæ apoſtolicis divi Stephani, & epiſcoporum ab eo inſtitutorum laboribus tam læte effloruit, pene funditus evertit. Seditionis dux quidam nomine *Vatha* fuit, *Andrea*, ut regni Hungarici corona potiri poſſet, diſſimulante. In Epiſcopos præcipue, ac ſacerdotes ſævitum eſt. Perierunt *Gerardus* Cſanadienſis, *Buldus* Agrienſis, compluresque alii: necem tamen evaſit noſter *Modeſtus* Jaurienſis, cum ejus nomen adhuc in diplomate anni 1048. reperiatur. An idem & coronationi *Andreæ I.*, quæ anno præcedente poſt ſedatum tumultum Albæ peracta eſt, interfuerit, non commemorant Annales. Ex Epiſcopis enim in illa ſolemnitate præſentibus duo tantum nominantur, *Maurus* nempe Quinque Eccleſienſis, & *Neemias*, paullo poſt factus Archiepiſcopus Strigonienſis.

Nicolai I. qui *Modeſto* ſucceſſerat, meminit imprimis *Bonfinius* ad annum Chriſti 1052. ubi poſtremam Imperatoris Henrici III. adverſus Hungaros expeditionem deſcribens, inter cætera hæc refert *i*): „ Jaurinum interea claſſis appli-„ cuit. Præfectus claſſis tabellarium ad Imperatorem continuo miſit, qui literis „ ſe certiorem ab eo fieri poſtulabat, ubinam cum claſſe expectaturus eſſet exer-„ citum. Is ab *Andreæ* militibus, qui viatoribus inſidias forte tetenderant, in-„ tercipitur, ducitur ad Regem, Belamque, & adhibito interprete *Nicolao* Jau-„ rienſi Epiſcopo, Andreæ omnia patefiunt. „ Altera *Nicolai* Epiſcopi mentio

i) Dec. II. Rer. Hung. Lib. 2.

recurrit in literis fundationis Abbatiæ de Tyhon ad annum 1055., quæ ſimul produnt, eundem *Nicolaum* etiam vicem Notarii in curia Regis *Andreæ* egiſſe. Binis autem vicibus ibidem nominatur; primum inter teſtes hoc modo: † *Sig. Nicolai Epiſcopi*: deinde in Privilegii clauſula, quæ ſic ſonat: „ Anno ſaluti- „ feræ incarnationis unici Numinis, cœli ſeptemplicis, univerſæque creationis „ milleſimo quinquageſimo quinto, feliciter regnante præfato victorioſiſſimo Prin- „ cipe, anno regni ſui nono, & cum eo nobiliſſimo Duce *Bela*, conſcriptum „ eſt hoc privilegium a beatiſſimo Præſule *Nicolao*, qui nunc temporis vicem „ procurabat notarii in Curia regali, conſignatumque manu Regis, jam ſæpe „ præſcripti, præſentibus teſtibus „ *k*).

Martinus *Szentivanyi* catalogum Epiſcoporum Jaurinenſium a *Deſiderio* auſpicatur *l*), qui nobis ordine tertius eſt. Hunc *Bonfinius* ab eloquentia, & a compoſitis anno 1064. inter *Salomonem* Regem, Ducesque *Geiſam* & *Ladislaum* diſſenſionibus deprædicat *m*). Plures circa hanc ætatem Eccleſia Hungarica habuit *Deſiderios* Epiſcopos. *Deſiderius* igitur *Jaurinenſis* non eſt cum *Colocenſi*, aut *Strigonienſi*, uti fit a nonnullis, confundendus *n*).

Arduinus ſucceſſor *Deſiderii* legationem obiit in Sicilia apud *Rogerium* Comitem, ſponſamque Regi *Colomanno* anno 1097 adduxit, teſte Gaufredo Malaterra *o*). Idem legitur in diplomate *Colomanni* Regis ad annum 1103 ſubſcriptus hoc modo: *Arduinus Epiſcopus Javarienſis p*).

CAPUT IV.

De Epiſcopis Jaurinenſibus, Sabariae dominis, Saeculo XII.

Annus Chriſti 1111. quem in ſerie Epiſcoporum Iaurinenſium *Georgio I.* adſcripſimus, eſt annus Privilegii, Eccleſiæ Arbenſi per *Colomannum Regem* conceſſi, ubi inter teſtes alios Hungariæ Epiſcopos, legitur & *Georgius Georenſis* apud *Lucium q*). pro *Geurenſi*, qui eſt in eodem Privilegio apud *Farlatum r*).

k) Apud RR. *Ganoczi* Diſſert. de S. Ladisl. p. 9. ſeq. *Katona* T. II. hiſt. crit. Reg. Hung. p. 112. *Koller* T. I. hiſt. Epiſc. Quinque Eccl. p. 146.

l) Diſſert. paralipom. rer. mem. Hung. p. 73.

m) L. ſupr. cit.

n) Vid. Pray P. I. Hierarch. Hung. p. 311.

o) Hiſt. Sic. Lib. IV. Cap. 24.

p) Apud *Lucium* Lib. 3. de Regn. Dalm. cap. 4.

q) Ibidem

r) T. III. Illyr. ſacr. p. 166.

Nempe

Nempe *Jaurinum*, quod hungarico idiomate hodie *Györ* vocatur, in chartis medii ævi modo *Geur*, modo *Gewr*, aut *Geor* ſcribitur: hinc *Georenſis*, & *Geurenſis* idem valet, ac *Jaurinenſis*. Interfuit *Georgius* Antiſtes Synodo nationali circa annum 1113. præſidente Laurentio Archiepiſcopo Strigonienſi celebratæ, quemadmodum *Peterffi*, & *Schmith* e MSS. obſervationibus P. Alexandri *Szörenyi* perhibent *s*).

Ambroſium inter Epiſcopos Jaurinenſes nec Szentivanyius in Miſcellaneis, nec Speculum Jaurinenſis Eccleſiæ, nec denique Prayianus Catalogus in ſpecimine Hierarchiæ Hungaricæ habet. Fit ejus mentio in Literis *Stephani II* Regis hoc modo: *Rege glorioſiſſimo Stephano II. Hungariam gubernante, Ambroſio quoque Geurienſi Epiſcopo exiſtente, ego Acha Veſprimienſis Jobagio* &c. Subjungitur donatio præſente *Deda*, Abbate ſancti Martini de Monte Pannoniæ, & clauſula hæc: *Quod actum eſt his teſtibus, Anania Geurenſi Canonico, qui & hujus Privilegii ſcriptor eſt &c. t*).

De *Gervaſio* I. Epiſcopo Jaurinenſi meminerunt primum diplomata *Stephani II.* ad annos 1119. & 1124. Hoc poſteriore confirmantur immunitates ac latifundia *Abbatiæ de juxta Gron u*). Dein diploma *Belæ II.* ad annum 1133. *x*) At vero *Paulus I.* quá Præſul Iaurinenſis ſubſcribitur Diplomati anni 1138. quo *Bela II.* Præpoſituram Demeſienſem, ab *Álmo* patre ſuo inſtitutam, ſtabilit *y*); idemque memoratur in Literis ejusdem Regis, anno 1139 datis, quibus controverſa poſſeſſio *Sala* adjudicatur Eccleſiæ S. Martini de Monte Pannoniæ *z*).

Zachæus, quem in ſerie Jaurinenſium Epiſcoporum non recenſet Auctor ſpeculi Jaurinenſis, invenitur in diplomate *Geiſæ II.* ad annum 1143. quo Spalatenſibus immunitas a tributis, canonica Epiſcopi electio, & quædam alia privilegia tribuuntur *a*). Item in alio ad annum 1146. quo *Geiſa II.* ratam habet donationem, Monaſterio S. Martini de monte Pannoniæ, a quodam *Sanes* dicto, factam *b*). In priore quidem inſtrumento, ut illud *Farlatus* ediderat, inſigni errore Librarii ſcriptus eſt, *Zachæus Tavar*: pro *Javar*. Verum in altero, poſterius laudato, legitur diſerte *Zachæus Javaren. Epiſcopus.*

Poſt *Zachæum* in Prayiano Epiſcoporum Jaurinenſium Catalogo ſequitur *Antonius* præfixo diplomatis anno 1148. & adjecta hac notula: *Regiæ Curiæ curam*

s) *Peterffy* P. I. Conc. Hung p. 54. *Schmith* in Archiep. Strig. p. 17.

t) Ex Autographo excerpſit, mecumque communicavit Cel. *Pray* poſt editum jam ſpecimen Hierarch. Hung

u) Apud *Schmith* T. I Epiſc. Agrienſ p. 59.

x) Apud *Pray* P. I. Hierarch. p. 314.

y) T. I. Ep. Agr. p. 64.

z) Ibidem p. 66.

a) Apud *Farlatum* T. III. Illyrici ſacri p. 174.

b) In Codice MS. Privilegiorum Monaſterii S. Martini de Monte Pannoniæ ad ſæc. XIII.

gerens. Ita diſerte in hujus anni diplomate legitur. Hoc nunc opinor corrigendum, *Antonium* vero inde expungendum. Error hinc natus eſt, quod Auctor Catalogi in Peterffiano Diplomatis memorati apographo clauſulam hoc modo editam legerit: „ Cujus rei cauſa, multorum nobilium ſignata eſt teſtimonio, quorum ibi „ adfuit præſentia, ſcilicet Bani Beli, Joannis Epiſcopi, *Antonii Epiſcopi*, *Ge-* „ *reonis regiæ curiæ curam gerentis*, Joannis Comitis, Appa Comitis Zaith &c. „ *c*). Mendum eſt admiſſum primo in nomine *Antonii*, eo enim loco *Antimii* nomen legendum eſt, uti edidere *Nic. Schmith*, & RR. *Koller d*). Deinde perperam nomen *Gereonis* refertur ad nomen *Epiſcopi*, quaſi vero ſit *Antonii Epiſcopi Gereonis*, pro *Geurienſis*, ſeu *Jaurinenſis.* Erat enim *Gereon* regiæ curæ curam gerens, diverſus plane ab *Antonio*, vel jam *Antimio* Epiſcopo; id quod patet tum ex ipſa interpunctione vocum *Epiſcopi*, & *Gereonis* in hoc Regis *Geiſæ II.* diplomate, tum vero ex aliis ejusdem Geiſæ Literis ad annos 1156. & 1161. datis, in quibus nominatur *Antimius* non *Geurienſis*, ſed *Quinque Eccleſienſis* Epiſcopus. En verba poſterioris inſtrumenti literarii, ne quod dubium ſuperſit: „ Proxime præ- „ terito anno cauſam prædicti Abbatis Gaufredi, & *Quinque Eccleſienſis Epiſcopi* „ *Anthimii*, ejusque Capituli - - - determinavimus „ *e*).

Izbegii, Iaurinenſium Antiſtitis, in aliis catalogis omiſſi, meminerunt MSS. Schedæ Prayianæ, quæ ad editum in ſpecimine Hierarchiæ Hungaricæ Catalogum nonnullas additiones, & emendationes continent. Harum in una hæc reperi: „ Anno 1150. in diplomate Geiſæ ſubſcriptus eſt inter teſtes *Izbeg* Geu- „ rienſis Epiſcopus. „

Gervaſius II. in diplomate anni 1156. quo Rex *Geiſa* ratas habet decimas ſeptuaginta villarum, a *Martirio* Archiepiſcopo Strigonienſi Collegio Canonicorum ſuorum donatas, ſubſcribitur, qua electus *Geurienſis* Epiſcopus. Sed en ipſam ſubſcriptionem, unde cæterorum quoque Antiſtitum Hungariæ, *Gervaſio II.* coævorum, nomina intelligas. *Martirius* Archiepiſcopus Strigonienſis, *Miko* Archiepiſcopus Colocenſis, *Antimius* Quinque Eccleſienſis, *Hippolitus* Vacienſis, *Gualterus* Ultraſilvanus, *Lucas* Agrienſis electus, *Stephanus* Cſanadienſis electus, *Peta* Veſprimienſis electus, *Gotſaldus* Zagrabienſis, Epiſcopi. *Belus* Palatinus, *Henricus* Curialis Comes, *Raphaël* Budenſis Præpoſitus &c. *f*). Alterum, in quo *Gervaſii* Jaurinenſis Epiſcopi nomen recurrit, eſt anno 1157 datum, & hoc modo incipit: „ Ego *Geyſa* Dei Gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæque Rex. „ Anno regni mei decimo ſeptimo, *Martirio* Archiepiſcopo Strigonienſi Sedi „ præſidente, *Belo* Palatino exiſtente, pro animæ meæ remedio, & pro ſalute

---

c) *Peteſſy* T. I. Concil. Hung. p. 127. *Pray* P. I. Annal. Reg. Hung. 136.
d) *Schmith* T. I. Ep. Agr. p. 70. Koller T. I. hiſt. Epiſc. Quinque Eccl. p. 202.
e) T. I. Ep. Agr. p. 70.
f) T. I. Ep. Agr. p. 74. ſeq.

„ animarum, matris, & patris mei, ſales tributarios de Nana, & de Kokát, „ interveniente Geurinenſi Epiſcopo *Gervaſio*, & eidem etiam verbo tribuente, „ perpetuo conceſſi &c. „ *g*). Idem Gervaſius interfuit nationali Synodo anno 1169. ſub *Stephano II.* Rege, & *Luca* Strigonienſi Archiepiſcopo celebratæ *h*).

Mikulini Epiſcopi nomen variat in antiquis chartis, nam & *Mikudinus*, & *Mikuvinus* invenitur ſcriptus. *Prayio* nomen *Myculini* videtur eſſe genuinum, idque a vocabulo hungarico *Miklos*, quod *Nicolaum* ſignificat, derivatum *i*). Sed *Schmithii* opinione *Miculinus* potius valet *Michaëlem k*). Auctor vero Speculi Eccl. Jaur. *l*) legit *Mikuvinum* in diplomate anni 1186, quo Rex *Bela III.* Marco, & Petro de terra *Vaika* prærogativas nobilitares, quas *Jobus* Archiepiſcopus Strigonienſis in dubium vocabat, confirmavit, ſimulque portionem terræ *Vaikenſis* perenni jure attribuit.

Ugrinus in literis *Belæ III.* ad annum 1188. ſubſcribitur qua *Electus Geurienſis*; unde patet hoc illum anno Eccleſiæ Jaurinenſi præeſſe cœpiſſe. Clauſula enim earum Literarum ita habet: „ *Job* Strigonienſi Archiepiſcopo, *Paulo* Colocenſi electo, *Petro* Agrienſi, *Boleslao* Vacienſi Epiſcopis, *Ugrino* Gewrienſi, Joanne Beſzprimienſi *electis* „ *m*). Rexit Eccleſiam Jaurinenſem uſque ad annum 1204. quo nominatus eſt Archiepiſcopus Strigonienſis, teſte anni nunc memorati diplomate, in quo *Ugrinus* titulum habet *Archielecti Strigonienſis n*).

CAPUT V.

De Epiſcopis Jaurinenſibus ſæculi XIII. ſub quibus commemorantur exundatio lacus Peiſonis, & Sabariae excidium per Tartaros.

UGRINO ad Strigonienſem Archiepiſcopatum promoto, ad cathedram Jaurinenſem evectus fuit *Petrus I.* cujus memoria occurrit in diplomatibus annorum 1206. & 1218. Huic ſucceſſit *Coſmas* anno 1219. ſeditque ad annum etiam 1222 uti horum annorum diplomata teſtantur *o*). Sub *Gregorio*, ſucceſſore *Coſmæ*, memoratu digna contigit in Diœceſi Jaurinenſi exundatio Lacus *Peiſonis*, de qua

g) Ibidem p. 75.
h) Arch. Strig. p. 24.
i) P. I. Hier. Hung. p. 314.
k) T. I. Ep. Agr. p. 96.
l) Pag. 42.
m) Apud Timonem Imag. Hung. Novæ Cap. VIII.
n) Apud Pray P. I. Hiar. Hung. p. 315.
o) In Speculo Jaur. Eccl. p. 74 & Hier. Hung. l. cit.

in Regeſto Urbarii Fraknenſis hæc notantur: „ In illo tractu, ubi nunc lacus „ *Peiſonis* eſt, anno 1230 ſequentia loca ſubmerſa, & aquis hauſta ſunt: *Fekete* „ *Tó*, alias *Schwartzlaken. Jakobfalva*, alias *St. Jakob. Förthó* alias *Sec*. „ *Sárvölgye*, alias *Kottingthal. Köndervölgye* alias *Hunniſthal.*

Poſt *Gregorium*, qui ab anno 1224 uſque ad 1238 in diplomatibus invenitur, in Prayiano Catologo ſequitur *Benedictus*. Nos ei præponimus *Georgium II.* ex *M. Rogerio*, & *Antonio Bonfinio p)*: apud utrumque enim inter principes Hungariæ viros, qui anno 1241. a Tartaris Hungariam evaſtantibus interfecti erant, diſerte nominatur *Georgius* Epiſcopus *Jaurienſis*, qui utique a *Gregorio* diverſus fuerit. *Bonfinii* verba iſthic excitabo, quoniam is eadem occaſione *Sabariam* quoque dirutam fuiſſe perhibet. „ Cumani, inquit ille, cum Tartaris „ icto fœdere, Danubium transmiſere. Jaurienſes, & Superiorem Pannoniam „ adorti, igni, ferroque vaſtarunt - - Villam combuſſere, quam Francam di- „ cebant. SABARIAM diruerunt, divi *Martini* patriam: nullum vicum intactum „ dimiſere. - - - Cæſorum numerus fidem exſuperat: ex his principes comme- „ morant *Mathiam* Strigonienſem Metropolitam, cujus opera & conſilio, cum „ ſimul educati forent, *Bela* in graviſſimis rebus utebatur; *Ugolinum* Colocen- „ ſem Archiepiſcopum, nobiliſſima proſapia editum, qui maxima quæque ne- „ gotia gerebat, non minus nobilitatis, quam plebis amator, moderatorque. „ Item *Georgium* Jaurienſem Antiſtitem, virum illa tempeſtate doctiſſimum, & „ *Raynaldum* Tranſilvanum Epiſcopum „ *q*).

Præſule *Georgio* per Tartaros occiſo, Sedes Jaurinenſis aliquandiu vacabat. Interea vero *Benedictus I.* ex Varadienſi Epiſcopatu ad Jaurinenſem poſtulabatur, eamque poſtulationem Innocentius Papa IV. ratam habuit, datis Anagniæ V: Idus Julii anno Pontificatus primo, ſive Chr. 1243. literis, quarum hoc initium eſt: „ Vacante *Geurienſi* Eccleſia, dilecti filii Capitulum ipſius, Venerabi- „ lem fratrem noſtrum Varadinenſem Epiſcopum in Paſtorem ſuum unanimiter, „ & concorditer poſtularunt „ *r*). Dubium tamen eſt, an idem *Benedictus* ex Varadienſi poſtulatus, ad Jaurienſem cathedram ante annum 1245. tranſierit: nam hanc adhuc anno 1244. vacaſſe innuunt Literæ *Belæ IV.* ad annum modo dictum, VIII. Cal. Decembr. datæ *s*).

Sequitur *Georgius III.*, qui in Prayiano Catalogo id nominis ſecundus eſt, ad annum Chriſti 1246. Sed ſequente mox anno infulas Jaurinenſes adeptus eſt *Artolphus*, teſte diplomate anni 1247., quo *Bela IV.* Equitibus Hieroſolymitanis, in Hungaria conſidentibus, fundos Cumaniæ, a Valachis occupatos, &

---

p) *Rogerius* de deſtruct. Hung. per Tartaros, Cap. 30. *Bonfinius* Dec. II Rer. Hung. Lib. VIII.
q) Ibidem.
r) Apud Peterffy P. I. Conc. Hung. p. 68.
s) Apud *Koller* T. I. Epiſc. Quinque Eccl p. 133.

provinciam Severinenſem cum urbe Scardona, ad mare Adriaticum ſita, contulit, ac donavit, in prœmium navatæ ſibi operæ, cum e Dalmatia in Hungariam poſt abitum Tartarorum reverteretur *t*). Eundem *Artolphum*, qua Præſulem Jaurinenſem, inter teſtes exhibet diploma anni 1252., quo *Bela IV.*, filio ſuo *Stephano* reconciliatus, Præpoſituram Thuroczenſem B. M. V. fundavit *u*).

Anno 1256. celebrata fuit nationalis Synodus, præſidente *Benedicto* Archiepiſcopo Strigonienſi. Inter nomina eorum, e quibus ea conflata fuit, legitur *Homodeus* Jaurienſis Epiſcopus *x*). Idem ſine adſpiratione legitur in aliis documentis, uti in literis donationalibus familiæ *Rumi*, quarum meminere MSS. Telekeſſiana, ſed ſine anni nota *y*), Sedit *Omodeus* ad annum uſque 1263., quo is litem quamdam, inter *Philippum* Archiepiſcopum Strigonienſem, & Procuratores Epiſcopi Quinque Eccleſienſis exortam, in Synodo Budenſi compoſuit, teſtibus propriis ejusdem literis, quarum exordium eſt hujusmodi: „ Nos O. „ divina miſeratione Epiſcopus Jaurienſis de provincia Strigonienſi, ſignificamus „ omnibus literas per præſentes, quod cum anno Domini milleſimo ducenteſimo „ ſexageſimo tertio, Indictione ſexta, quarto die exeunte aprili, eſſemus apud „ Budam &c. „ *z*). *Omodei* ſucceſſor eodem anno fuit *Georgius IV.*, qui in Catalogo Szentivanyiano non rite ponitur ad annum præcedentem.

Farkaſſium, qui in literis *Belæ IV.* ad annum 1264. vocatur electus Zagrabienſis, translatum fuiſſe ad Sedem Jaurinenſem, conſtat e diplomate anni 1268 *a*). Apud Szentivanyium, & in Speculo Eccl. Jaur. nulla ejus mentio. *Dionyſius* ſequentibus documentis, qua Præſul Jaurinenſis occurrit: in Literis metalibus poſſeſſionis *Köveskut* ad annum 1272. ſub *Stephano V.* Rege datis *b*). In diplomate *Ladislai Chuni* ad annum 1273. dato, quo Rex conſenſu Matris ſuæ, omniumque Præſulum, ac Procerum, pagum quemdam *Laurentio* Comiti Sopronienſi donavit *c*): item in alio ejusdem anni, quo Comiti Simegienſi poteſtas tribuitur legandi quasdam villas Monialibus inſulæ leporum *d*). Rurſus in Privilegio anni 1274., quo idem Rex poſſeſſionem *Kuchnya-Allya* Comitibus Thomæ, Itæ, & Andreæ, per Colomannum Regem ademptam, jure poſtliminii reſtituit *e*). Tum in alio ejusdem anni, quo permutatio villæ *Jenö* cum villa *Zal-*

---

t) Apud *Schmith* T. I. Ep. Agr. p. 165.

u) Ibidem p. 169.

x) Apud Peterffy P. I. Conc. Hung. p. 86.

y) Vid. Spec. Jaur. Eccl. p. 48.

z) Reliquum vid. apud Koller T. I. Ep. Quinque Eccl. p. 133.

a) In Specim. Hier. Hung. l. cit.

b) Spec. Jaur. Eccl. p. 48.

c) Ibidem.

d) T. I. Ep. Agr. p. 188.

e) Spec. Eccl. Jaur. p. 49.

ka, inter Archiepiſcopum Strigonienſem, & Moniales Strigonienſes inſulæ Danubii confirmatur *f*). Iterum in alio ad annum 1275., quo immunitates Eccleſiæ Budenſis approbantur, & confirmantur *g*). Et in alio ejusdem anni, quo poſſeſſio *Bormoth*, alias *Zongor* dicta, Strigonienſi Capitulo confertur *h*). Demum, ut alia prætercam, in diplomate anni 1281., quo *Andreæ*, Epiſcopo Agrienſi, fundi quidam reſtituuntur *i*).

Dionyſii ſucceſſor *Andreas* ſubſcribitur anno 1290. in diplomate Regio *Andreæ III.* cognomento *Veneti k*): & anno 1291. in literis metalibus ad *Aſzſzony falva* familiæ *Rumi l*). Intererat nationali Synodo anno 1292. habitæ, præſidente *Lodomerio* Archiepiſcopo Strigonienſi *m*). ſed jam in Literis Regiis anni 1294. non amplius *Andreas*, verum *Benedictus*, qui nobis eſt id nominis ſecundus, nominatur *Jaurienſis* Antiſtes *n*). Poſt *Benedictum II.* non *Thomas*, quem habet Prayianus Catalogus, verum *Theodorus* Epiſcopatum Jaurinenſem obtinuit. Auctor Catalogi veriſimiliter in quibusdam Literis anno 1296 & 1297. datis nomen Epiſcopi Jaurinenſis initiali dumtaxat litera T. expreſſum repererit, *Thomam*que interpretatus fuerit. Sed perperam: quippe in aliis Literis anno 1297 ſcriptis, quibus *Lodomerius* Archiepiſcopus Strigonienſis pro Eccleſia B. M. Virginis, Ordinis FF. Minorum Poſonii erecta, in annuis ejusdem dedicationis revolutionibus indulgentiam unius anni concedit, reperitur iteratis vicibus nomen *Theodori* Jaurinenſis Epiſcopi integre exſcriptum, utpote qui ibidem cum aliis Epiſcopis, & cum ipſo Rege *Andrea III.* Dedicationi illius Eccleſiæ interfuiſſe narratur. Autographum Literarum adſervatur in Tabulario Provinciæ B. Mariæ Ordinis FF. Minorum Reform. Num. 2. lit. A. Apographum autem ediderunt Mathias *Bel*, *Karolyius*, & *Koller o*). Præterea Auctor Speculi Eccl. Jaur. adfirmat, viſum & lectum a ſe fuiſſe Privilegium poſſeſſionis *Rév falu* ab eodem *Theodoro* Jaurinenſium Antiſtite anno 1297. conceſſum *p*). Annus 1303. in Serie noſtra *Theodoro* adſcriptus ſpectat ad Literas *Bonifacii* Papæ, in quibus idem *Theodorus* hoc modo legitur: T. *Jaurienſis q*). Ante Epiſcopatum ſuum erat

f) T. I. Ep. Agr. p. 192.
g) Ibid. p. 198.
h) Ibid. p. 199.
i) Ibid. p. 205.
k) Ibid. p. 222.
l) Spec. Eccl. Jaur. p. 49. p.
m) T. I. Agr. p. 222. & T. I. Concil. Hung. p. 127.
n) Apud *Péterffy* P. Conc. Hung. p. 133.
o) *Bel* Not. Hung. T. I. p. 586. *Karolyi* Spec. Jaur. Eccl. p. 50. Koller. T. II. Epiſc. Quinque Eccl. p. 232.
p) Pag. 51.
q) Apud *Raynald* in Annal. Eccl. ad ann. 1303.

Præpoſitus Albenſis, ſimulque Vicecancellarius in aula Regia, teſte diplomate *Andreæ III.* ad annum 1294. Atque hinc eſt, quod in Catalogo quoque Prayiano *Thomas*, erronee pro *Theodoro* poſitus, notetur fuiſſe *Vice-cancellarius.*

CAPUT VI.

De Epiſcopis Jaurinenſibus Saeculi XIV. ac de origine Monaſterii Sabarienſis Franciſcanorum.

Spectato numero Epiſcoporum Jaurinenſium Sæculi XIV. magnopere ſeries noſtra diſcrepat a Catalogo Prayiano. In hoc enim quinque ſolummodo enumerantur; videlicet: *Nicolaus II* ab Anno 1304. *ad* 1336. *Colomannus* ab Anno 1338. ad 1373. *Petrus II.* ad Annum 1376. *Guilielmus* ab Anno 1379. ad 1384. *Joannes I. de Bedrichma* ab Anno 1387. ad 1399. *r*). At in ſerie noſtra novem ſe ſe offerunt, hoc nimirum ordine, *Nicolaus II.* ab Anno 1308. ad 1318. *Colomannus I.* ad Annum 1318. *Nicolaus III.* ab Anno 1321. ad 1336. *Colomannus II.* ab Anno 1338. ad 1345. *Vilhelmus* ad Annum 1346. *Colomannus III.* ab Anno 1346. ad 1373. *Petrus II.* ab Anno 1376. ad 1377. *Guilielmus* ab Anno 1378. ad 1384. *Joannes I. de Bedrichma* ab Anno 1387. ad 1399.

Hujus nunc diſcriminis reddenda eſt ratio. Prayianus Catalogus unum dumtaxat *Nicolaum* & unicum *Colomannum* inter Epiſcopos Jaurinenſes ſæculi XIV. numerat: nos ex antiquis documentis duos *Nicolaos*, tresque *Colomannos* deteximus. *Nicolaus II.* non anno 1304, uti eſt in Catalogo Prayiano, verum anno 1308. Epiſcopatum Jaurinenſem adeptus eſt: cum enim *Clemens* Papa V. in Literis anno nunc dicto *Nicolaum* vocet *poſtulatum Jaurinenſem s*), indicio eſt, ipſum annis præcedentibus nondum Eccleſiæ iſtius fuiſſe Epiſcopum. Eundem *Nicolaum* Jaurinenſem Antiſtitem jam confirmatum legimus in diplomate anni 1313. quo Rex *Carolus Robertus* donationem oppidi Roſnobanyæ confirmat Thomæ Archiepiſcopo Strigonienſi *t*). *Nicolao II.* ſucceſſit *Colomannus I.* teſtibus literis fundationalibus Ordinis S. Hieronymi, quæ in Tabulario Eccleſiæ Jaurinenſis adſervantur *u*). Poſt hunc Diœceſim Jaurinenſem gubernavit Antiſtes *Nicolaus III.*, qui anno 1321. Paulinis fundavit Monaſterium de *Jenö*, alias *S. Mariæ Magdalenæ de Torna* dictum, uti notatur in Adpendice II. ad Acta, & De-

r) Specim. Hierarch. Hung. P. I. pag. 316.
s) P. I Conc. Hung. pag. 146.
t) T. I. Ep. Agr. p. 247.
u) Specul. Eccl. Jaur. p. 56.

creta Synodi Strigonienſis ſub Archiepiſcopo *Pazmano* celebratæ *x*). Is locus hodie *Tüskevár* vulgo adpellatur. Literæ *Theophili*, Capituli Strigonienſis Præpoſiti, ad Capitulum Agrienſe anno 1323. datæ, produnt eundem *Nicolaum*, Jaurinenſium Præſulem, interſuiſſe conſecrationi *Chanadini de Thelegd* in Epiſcopum Agrienſem, quæ anno nunc memorato Temeſvarini in Eccleſia S. Ladislai peragebatur *y*). Idem *Nicolaus III.* inter teſtes reperitur in diplomate anni 1326., quo Rex *Carolus Robertus* poſſeſſiones Eccleſiæ Agrienſis confirmat *z*). Invenitur quoque in Privilegio Abbatiæ Tihonyienſis ad annum 1327. *a*), & rurſus in literis regiis anni 1329., quibus limites, & jura Præpoſituræ Demeſienſis ſtabiliuntur *b*). Item ad annum 1330. in diplomate, quo Carolus Rex privilegium S. Stephani, Monialibus B. M. Virginis de valle Veſprimienſi conceſſum, firmat, & roborat *c*). Habetur denique memoria ejusdem Nicolai III. Epiſcopi Jaurinenſis in celebri illo anni 1336. diplomate, quo *Carolus Robertus* intentatam ſibi & regiæ familiæ ſ[i]æ a *Feliciano de Száh* necem deſcribit, ac *Joannem de Cſelen*, facinoris hujus ultorem, remuneratur *d*).

Poſt *Nicolaum III.* cathedram Jaurinenſem conſcendit *Colomannus II.*, quem Odoricus *Raynaldus* coronationi *Ludovici I.* anno 1342. interſuiſſe ſcribit *e*). Succeſſorem habuit *Vilhelmum*, teſte Privilegio poſſeſſionis Epiſcopalis *Révfalu* ad annum 1346. dato, uti perhibet ſupra laudatus *Karolyius*, qui hoc Privilegium a ſe viſum, lectumque aſſeverat *f*). At *Vilhelmus* eodem anno vel mortuus, vel alio translatus fuerit, oportet, ſi ad eundem annum 1346. (veluti quidam adfirmant) in diplomate *Ludovici I.* Regis iterum Epiſcopus Jaurinenſis nomine *Colomannus* occurrit. De ſequentibus quidem annis nullum dubium eſt, quin Eccleſia Jaurinenſis *Colomannum* rurſus habuerit Antiſtitem, qui nobis jam id nominis *Tertius* eſt. Diplomata annorum 1351. uſque 1372., in quibus *Colomanni* hujus memoria recurrit, reperies apud Nic. Schmith partim integre deſcripta, partim indicata ſolummodo *g*).

Sedente *Colomanno III.* Epiſcopo *Sabaria* civitas recepit Fratres Minores Ordinis S. Franciſci. Hos Appendix II. ad Pazmanianam Synodum *Minori-*

x) Pag. 125.
y) T. I. Ep. Agr. p. 257.
z) ibidem p. 262.
a) Spec. Jaur. Eccl. p 56.
b) T. I. Ep. Agr. p. 264.
c) ibidem p. 266.
d) Apud *Bel* T. I. Hung. Novæ. p. 476. & Pray P. II. Annal. Reg. Hung. p. 27.
e) Annal. Eccl. ad ann. 1342 Num. 28.
f) Spec Eccl. Jaur. p. 60.
g) T. I. Ep. Agr. p. 299. 302. 312. 319. 325. 329. & apud Pray P. II. Annal. Reg. Hung. p. 86. 99. 129.

tas

tas vocat, annumque fundati eorundem Monaſterii ſtatuit 1360. hiſce verbis: *Sabarienſe Monaſterium olim fuit Hoſpitale infirmorum. Colomannus Epiſcopus Jaurinenſis fecit ex eo Conventum pro Minoritis anno circiter* 1360 *h*). Verum Fr. Eugenius *Koſa* in MSS. Collectaneis pro Antiquario Provinciæ S. Mariæ in Hungaria Ordinis FF. Minorum ſtrictioris obſervantiæ, docet Monachos fuiſſe ſui ordinis, quos vulgo *Franciſcanos* dicimus. En ejus verba: „ *Sabaria*, inquit, „ jam anno 1360. Fratres noſtros receperat. *Colomannus* Epiſcopus Jaurinenſis „ ex Hoſpitali fecit Conventum; qui dein ſub P. *Joanne Senenſi* reſtauratus fuit. „ Ita pleraque Archivi Provinciæ monumenta. Conſentit Reverendiſſimus P. *Fran-* „ *ciſcus Gonzaga* in ſuo de ortu, & progreſſu Ordinis noſtri Opere quadripar- „ tito. „ Qui ita ſcribit de Provincia S. Mariæ in Hungaria: *Conventus Sabarienſis excipiendis, curandisque pauperibus infirmis olim deſerviit, ſed Reverendiſſimi Epiſcopi Colomanni tempore, atque ex ejusdem facultate, annuente tamen Senatu Sabarienſi, per Ven. Fr. Joannem Senenſem circa annum* 1360. *in Conventus formam redigitur* „ Concordant domeſtica MSS. uti P. Matthæi *Kamancz*, ac P. Petri „ de *Terebesd*; uti etiam P. Franciſci *Robuſtelli* de anno 1632. P. Joannes „ *Senenſis*, qui hunc Conventum noſtrum reſtauravit, aut, uti alia mouumenta „ conſignant, reformavit, fuit actualis hujus Provinciæ Miniſter, olim Reginæ „ Confeſſarius. - - - Omnia fere iſtius Conventus monumenta deperierunt tot in- „ ter Patriæ ſtrages & excidia. Conventum tamen hunc veterem intra gremium „ hujus noſtræ Provinciæ extitiſſe, anno 1430. teſtantur Literæ per P. *Petrum de* „ *Sabaria* Miniſtrum Provincialem in negotio divenditi cujusdam Molendini, ad „ Conventum Sopronienſem pertinentis. Memoria item ſupereſt hujus Conventus „ in Archivo Provinciæ de anno 1531. ac etiam 1533. uti fragmenta Capitulo- „ rum his annis celebratorum indicant. Legitur ſiquidem anno 1531. in Capitulo „ Albæ celebrato, Ceroferarios ſub Miſſa de Spiritu ſancto, per Miniſtrum Provin- „ ciæ P. Franciſcum *Lippai* decantata, deſignatos fuiſſe PP. Guardianos *Zemenyen-* „ *ſem*, & *Sabarienſem*: legitur item in Tabula Varadienſis Capituli, anno 1533. „ celebrati, Conventus iſte *Sabarienſis* Jaurinenſi Cuſtodiæ ſubordinatus, ac Guar- „ dianus hujus loci P. Michaël de *Szent Kereſzt*. „ Hæc, uti præmiſi, ex MSS. Fr. Eugenii *Koſa*. Reliqua ad hujus Monaſterii hiſtoriam ſpectantia, alteri loco reſervamus.

Sequitur in propoſita Epiſcoporum Jaurinenſium, *Sabariam* poſſidentium ſerie *Petrus II.* Nominatur hic inter teſtes in diplomate anni 1376. quo Rex *Ludvicus* nova contra Venetos fœdera cum Marquardo Patriarcha Aquilejenſi, quibus Marquardus quoque Comes Goritiæ, & Franciscus Paduanus, ac Forojulienſes acceſſere, pactus eſt *i*). *Karolyius* in MS. Telekeſſianis reperit, eundem *Pe-*

h) Pag. 119.
i) P. II. Annal. R. g. Hung. p. 143.

trum Epiſcopum Jarinenſem anno 1377 Literas dediſſe, quibus Cantoratui Jaurinenſi decimas quasdam in perpetuum donavit. *k*) *Guilielmus*, qui *Petro II.* in cathedra Jaurinenſi ſucceſſit, in Catalogo Prayiano ad annum 1378 notatur alias etiam *Willermus*, & *Vilhelmus* ſcribi. Nos quoque inter Epiſcopos Jaurinenſes *Vilhelmum* reperimus, ſed in documento anni 1346. qui proinde a *Guilielmo* longe diverſus eſt. Auctor Speculi Eccl. Jaur. invenit *Guilielmum* Epiſcopum Jaurinenſem in Literis Familiæ *Petö*, ex Conventu ſancti Adriani de Szala Anno 1379 datis, adſcriptum. *l*) In Tabulario autem Ven. Capituli Strigonienſis extant Literæ privilegiales *Ludovici I.* novo Sigillo duplici pendente munitæ, in quibus cæteros inter Epiſcopos legitur *Frater Guilielmus Jaurienſis*, quod indicio eſt, ipſum Religioſo cuipiam Ordini adſcriptum fuiſſe. *m*) Eundem *Guilielmum* Jaurinenſis Ec-

---

k) Spec. Jaur. Eccl. p. 61.

l) Ibidem.

m) Productæ fuerunt hæ Literæ Strigonii in Generali Congregatione Comitatus, die 28, Julii 1774. celebrata, Continent confirmationem Privilegii, Capitulo Strigonienſi ab antiquis Regibus conceſſi, de tributo a tranſeuntibus per Srigonium mercatoribus exigendo, ac percipiendo. Fit mentio in his Literis duorum Sigillorum caſu deperditorum. Quorum unum erat mediocre Regis *Caroli* in partibus Tranſalpinis fortuito amiſſum, alterum vero Sigillum majus ipſius Regis *Ludovici I.* in partibus Vzuriæ a Cancellario Regio perditum. Priori Sigillo muniebatur Privilegium, Poſonienſibus civibus de non ſolvendo in tranſitu per Strigonium tributo datum, qvod *Ludovicus I.* irritum fecit, ac declaravit per Litteras patentes anni 1357. veteri Sigillo, dein per alias Litetas anni 1376 novo Sigillo ſuo communitas. Ambæ inſeruntur præſentibus, de quibus agimus, Literis privilegialibus, pendentis, & authentici Sigilli novi duplicis munimine roboratis; quarum hæc eſt Clauſula: „ Datum per manus Reverendiſſimi in Chriſto Patris & „ Domini Domini *Demetrii* Tituli Sanctorum quatuor Coronatorum Presbyteri Cardinalis, Gu- „ bernatorisque Eccleſiæ Strigonienſis, locique ejusdem Comitis Perpetui; Fratre *Stephano* Pa- „ triarcha Jeroſolymitano Adminiſtratore Colocens. & Bachiens. Eccleſiarum unitarum, Sacræ „ paginæ magiſtro, & *Vgone* Raguſienſi, Archiepiſcopis; *Emerico* Agrienſi, Fratre *Guilielmo* Jau- „ rienſi, *Valentino* Quinque Eccleſien. Decretorum Doctore, *Pubino* Tranſilvanien. *Ladislao* „ Varadien. Phyſico noſtro, *Paulo* Zagrabien. *Benedicto* Vesprimien: Thoma Chanadien. Fratre „ *Dominico* Nitrien: *Paulo* Tininien. *Demetrio* Novien. *Chryſogono* Tragurien. *Matthæo* Sibinicen., „ *Stephano* Faren. *Jacobo* Maearien. *Thoma* Corbavien. & *Michaële* Scardonenſis Eccleſiarum „ Epiſcopis Eccleſias Dei feliciter gubernantibus, Segnienſi Sede vacante: Magnificis viris „ *Nicolao* de Gara Palatino Regni noſtri, & Judice Cumanorum, *Ladislao* Vaivoda Tranſilva- „ niæ, Comite *Jacobo* de *Scepus* Judice Curiæ noſtræ. *Nicolao* de *Zéch* Croatiæ, & Dalmatiæ, „ *Petro Zudor* totius Regni Sclavoriæ, & *Joanne* de *Magkoff* Banis; *Temlino* Tavernicorum, *Ge-* „ *orgio Zudor* Pincernarum, *Paulo* de *Liſzk* Janitorum & Dapiferorum, & *Stephano* Agazonum „ noſtrorum Magiſtris, *Benedicto* filio Pauli, filii *Heny*, Camite Poſonienſi, aliisque quam pluri- " mis Regni noſtri Comitatus tenentibus & honores. „ Dies, & annus dati hujus Privilegii in noſtro apographo deſideratur. Quia tamen Cardinalis *Demetrius*, per cujus manus illud datum eſt, non prius factus eſt Gubernator Eccleſiæ Strigonienſis, quam anno 1279. uti notatur P. I. Specim. Hier. Hung pag. 171. hinc utcunque patet ætas hujus documenti. Hæc in gratiam cultorum Diplomaticæ & Sphragiſticæ.

cleſiæ Antiſtitem, ſed ſine Fratris prænomine reperies in Diplomate Mariæ Reginæ ad annum 1384. quo Decreta Regum Andreæ, & Ludovici confirmantur. Extat in Corpore Juris Hungarici. Reliquis Sæculi XIV annis Eccleſia Jaurinenſis Epiſcopum venerata eſt *Jannem I. de Bedrichma*: cujus mentio fit in diplomatibus annorum, eidem in ſerie noſtra adpoſitorum.

CAPUT VII.

Brevis notitia Epiſcoporum Jaurinenſium Sæculi XV. Literæ Joannis Epiſcopi, quibus immunitates & privilegia Sabarienſium continentur.

SÆCULUM a Chriſto nato quintum decimum in ſerie Epiſcoporum Jaurinenſium aperit *Franciscus I.* Hunc enim MSS. Telekeſſiana, teſte Speculo Eccleſiæ Jaurinenſis, annum 1400. in literis ad familiam Rumi ſpectantibus, ſignare perhibent. Breve illi regimen; quippe jam anno ſequente 1401 ei ſucceſſit *Joannes II.* Quem Comitiis, anno 1405 habitis, interfuiſſe, certum eſt e ſubſcriptione Decreti *Sigismundi* Regis, quod in Corpore Juris Hungarici reperies. Hic Præſul nova quædam pacta conventa cum ſubjectis ſibi civibus *Sabarienſibus* inivit, vi quorum determinatum eſt, ut poſthac annuum tributum, a civitate *Sabarienſi* Epiſcopis Jaurinenſibus pendendum, ſint ducenti aurei, ceſſante omni reliquo contributionis, hactenus conſuetæ, onere: utque cives ſequentibus privilegiis, & libertatibus gaudeant; primum, cauſæ illorum a proprio magiſtratu, non vero a Caſtellano Epiſcopali, ſeu a Præfecto Arcis Sabarienſis, judicentur; demptis tamen criminibus homicidii, furti, ac latrocinii, quæ Caſtellanis dijudicanda, & plectenda reſervantur; ſic tamen ut e mulctis pecuniariis pars tertia Judici civitatis obtingat. Dein, libera ſit civibus vinorum ſuorum epocillatio, ac venditio quovis tempore. Literæ privilegiales eatenus confectæ ita ſonant: *n*)

„ IOANNES miſeratione divina, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Eccle-
„ ſiæ Jaurinenſis, omnibus Chriſti Fidelibus, præſentibus & futuris, præſentium
„ notitiam habituris, ſalutem in ſalutis largitore. Ne ea, quæ per nos de ſaniori
„ conſilio peraguntur, temporibus ſucceſſivis propter labilitatem humanæ memo-
„ riæ oblivioni tradantur, patrocinio præſentium Literarum Noſtrarum ſtatuimus
„ perrennali. Proinde ad univerſorum tam præſentium, quam futurorum notitiam
„ harum ſerie volumus pervenire. Quod providi viri, Petrus filius Leopoldi Ju-
„ dex, item Franciscus filius Laurentii, Gregorius dictus Béchy, Leonardus de

n) e Tabulario Epiſcop. Sabarienſis.

„ Chon, Nicolaus filius Jacobi, & Petrus frater ejusdem, Nicolaus filius Geor-
„ gii, alter Nicolaus filius Petri, Georgius Bakó, Petrus Boricza, & Michael
„ Pyrgek, duodecim Jurati, nec non Petrus Pythier Magiſter montium, cives
„ civitatis noſtræ Sabarienſis, in ſuis, & univerſorum civium noſtrorum Sabarien-
„ ſium perſonis ad noſtram venientes præſentiam, nobis humiliter, & inſtanter
„ cum debita precum inſtantia ſupplicarunt, ut infra ſcriptam Compoſitionem,
„ & Ordinationem inter nos ab una, parte vero ab altera inter cives noſtros de
„ conſilio, & conſenſu Fratrum noſtrorum Dominorum de Capitulo dictæ Eccle-
„ ſiæ noſtræ Jaurinenſis, pro multiplicatione, populatione, ac locupletatione di-
„ ctæ civitatis noſtræ Sabarienſis factam, & per nos, ac præfatos univerſos cives
„ noſtros acceptatam ratificare, ac confirmare, Literisque noſtris Privilegialibus
„ inſeri facere dignaremur uberiorem ad cautelam: Cujus quidem compoſitionis
„ & ordinationis ſeries ſequitur, & eſt talis. Item primo voluimus, & ordinavi
„ mus, quod Judex, Jurati, ac Univerſitas civium civitatis noſtræ Sabarienſis,
„ perpetuo, & irrevocabiliter ſingulis annis ducentos florenos auri puri, boni &
„ juſti ponderis, aut verum eorundem valorem cum pecunia pro tempore curren-
„ ti, quorum rectam, & æqualem medietatem, puta centum florenorum auri,
„ ſimiliter octavo die Feſti beati Georgii Martyris, nobis, & Succeſſoribus noſtris,
„ ſolvere debeant, & teneantur, ita videlicet, quod iidem cives noſtri præſen-
„ tes, & futuri nullum cenſum inconſuetum, vulgo Stheuer vocatum, nullamque
„ taxam, ſeu collectam, quovis vocabulo, ſeu nomine vocitatam, nec munera
„ ab antiquo conſueta, præter præmiſſos ducentos florenos auri, nobis & Suc-
„ ceſſoribus noſtris ſolvere debeant, & teneantur. Præterea voluimus, & ordi-
„ navimus, ut a modo in antea Caſtellani noſtri præſentes, & futuri, ac etiam
„ Succeſſorum noſtrorum, in medio eorum pluribus in cauſis judicare non valeant,
„ neque poſſint, niſi quam in tribus articulis, puta homicidio, furto, & latroci-
„ nio; pro quibus quidem tribus articulis iidem Caſtellani juxta exigentiam cri-
„ minum duas partes birſagiorum recipere poſſint, tertia parte eorundem Judici
„ civitatis noſtræ remanente. Voluimus, & ordinavimus etiam, quod prædicti
„ Caſtellani, præſentes, & futuri, antefatos cives noſtros, vel quempiam eorum
„ pro nullis ipſorum exceſſibus, ſeu criminibus, præterquam præmiſſis homicidii,
„ furti, & latrocinii reatibus, captivare, aut caſtro noſtro conſervare valeant.
„ Sed pro omnibus aliis levibus, & communibus eorum criminibus, ſeu exceſſi-
„ bus captivati, apud Judicem ipſius civitatis Noſtræ in vinculis debeant conſer-
„ vari. Et nihilominus quia per propinationes vinorum epiſcopalium eisdem civibus
„ noſtris non modica gravamina hactenus ſunt irrogata, ideo easdem propinatio-
„ nes, ſeu venditiones vinorum epiſcopalium ſingulis annis in ipſa civitate noſtra
„ Sabarienſi fieri debentes, taliter duximus moderandas; quod ipſa vina epiſco-
„ palia tam temporibus noſtris, quam Succeſſorum noſtrorum in ipſa civitate no-
„ ſtra per certas tabernas omni tempore libere propinentur, & vendantur; ita ta-

„ men, quod ipſi cives noſtri, præſentes & futuri, ſimiliter omni tempore vina „ ipſorum propria propinandi liberam habeant facultatem, & nullo unquam tem- „ pore vina eorundem propter propinationes, ſeu venditiones vinorum epiſcopa- „ lium prohibeantur, ſed libere propinari, & vendi permittantur. Nos itaque „ præfatorum civium noſtrorum humillimis ſupplicationibus favorabiliter inclinati, „ attendentes, quod per hoc ipſa civitas noſtra ad profectum, & utilitatem Ec- „ cleſiæ noſtræ, & honorem noſtrum, ac Succeſſorum noſtrorum meliorari, lo- „ cupletari, & exuberari poterit, in futuram præſcriptam compoſitionem, ſeu or- „ dinationem inter Nos, & præfatos univerſos cives Sabarienſes factam, præſen- „ tibusque totaliter inſertam, de conſenſu dictorum Fratrum noſtrorum, Domi- „ norum de Capitulo dictæ Eccleſiæ noſtræ Jaurinenſis, ratificamus, approbamus, „ perpetuo, & irrevocabiliter duraturam confirmamus patrocinio literarum no- „ ſtrarum mediante. Pro cujus rei memoria, perpetuaque firmitate præſentes Li- „ teras noſtras Privilegiales, una cum appenſionibus Sigillorum authenticorum, „ Noſtri, & dicti Capituli Jaurinenſis Eccleſiæ, communitas, eisdem civibus „ noſtris Sabarienſibus duximus concedendas. Datum Jaurini Sabatho proximo „ poſt feſtum Nativitatis beatæ M. Virginis, Anno Domini Milleſimo Quadrin- „ genteſimo Septimo.„

Anno 1412. die 15. Martii confectæ ſunt tabulæ fœderis inter *Sigismundum* Regem Hungariæ, & *Wladislaum* Poloniæ Regem; die autem 8. Novembris ejusdem anni ſignatum fuit celebre illud conventionis inſtrumentum, quo *Sigismundus* provinciam Scepuſienſem pro 37 millibus ſexagenarum latorum groſſorum (ſeu, quod idem eſt, pro 37 millibus marcarum argenti) *Wladislao* oppignoravit. Vtrobique inter teſtes occurrit noſter hic *Joannes II.* Epiſcopus Jaurinenſis.

Decedente *Joanne II.* ſedes anno 1418 vacabat; quam V. Idus Junii anno ſequente *Clemens I.* conſcendit. Vnicus is eſt in Catalogo Prayiano abhinc usque ad annum 1439. quo eidem *Benedictus III.* ſucceſſit. Verum indicio diplomatum rurſus detexi, duos interea temporis *Clementes*, & *Joannem III.* in ſeriem Epiſcoporum Jaurinenſium recipi oportere. Nam *Clemens I.* qui menſe Junio anni 1419, uti dictum eſt, factus eſt Jaurinenſis Epiſcopus, non ultra biennium illic ſedit, atteſtante clauſula diplomatis anno 1421 dati quo *Sigismundus* Rex jura *Pauli Vidas Telekii*, Promagiſtri Dapiferorum *Barbaræ* Reginæ Hungariæ, recenſet, & confirmat. Ibi enim inter vacantes anno nunc memorato ſedes epiſcopales diſerte *Jaurinenſis* quoque nominatur. *p*) Ad hæc in Literis Præpoſituræ *Papoczenſis* anno 1422. ſcriptis non *Clemens* legitur Epiſcopus Jaurinenſis, ſed *Joannes*, qui proinde nobis *Joannes*

o) Vid. P. II. Annal Reg. Hung. p. 235. & 244.

p) Apud Mich. *Horváth* de Natalib. Archiepiſcopat. Colocen. p. 85. & apud Nic. *Schmith* T. I. Ep. Agr. p. 404.

III. eſt. *q*) Hic vero unicum dumtaxat annum in hoc Epiſcopatu exegit, ſuccedente ipſi *Clemente II.* qui ad ſequentes annos in variis occurrit documentis: nempe in diplomate anni 1423. quo *Sigismundus* Rex Gregorio *Sculteto*, ejusque hæredibus poſſeſſionem molæ, in fluvio Grenicz provinciæ Scepuſienſis exſtructæ, confirmat. *r*) Deinde in Privilegio anni 1424. Monialibus de Valle Veſprimienſi per eundem Regem dato: *s*) item in alio anni 1426. Præpoſituræ Papoczenſi conceſſo: *t*) ac rurſus in alio ad annum 1431. confecto, quod Sigismundus Rex Præpoſituræ S. Mariæ Magdalenæ de *Felsö- Eörs* elargitus eſt. *u*) Demum in Decreto anni 1435 quod in Corpore Juris Hungarici reperitur. Itaque in Speculo quoque Jaurinenſis Eccleſiæ erratum eſt, ubi ad unum eundemque *Joannem*, ſucceſſorem *Francisci*, referuntur, quæ ad plures pertinent; puta: quod Literæ Præpoſituræ Papoczenſis doceant, ipſum fuiſſe Epiſcopum Jaurinenſem anno 1422. & quod idem *Joannes* ex Antiſtite Jaurinenſi factus ſit Archiepiſcopus Colocenſis, in Decreto *Sigismundi* Regis ad annum 1435. ſubſcriptus. Quorum utrumque certe falſum eſt: nam *Joannes* ille, qui Sabarienſibus nova contulit privilegia, jam anno 1419 ſucceſſorem habuit *Clementem I.* ut ſupra dictum eſt, & conſtat e Specimine Hierarchiæ Hungaricæ. *x*) Itaque *Joannes*, qui in Literis ſupra memoratis anni 1422. Epiſcopus Jaurinenſis vocatur, a priori diverſus fuerit, eſt neceſſe. De *Joanne* autem ad annum 1435 Archiepiſcopo Colocenſi, certum eſt ex coævis monumentis, eum nequaquam ex Jaurinenſi Epiſcopo, verum ex Abbate Péchvaradienſi factum fuiſſe Colocenſem Archiepiſcopum. *y*)

CAPUT VIII.

De bello civili tempore Benedicti III. Jaurinenſi Epiſcopi; ac de pace apud Sabariam confecta.

CLEMEMTI II. in regimine Jaurinenſis Eccleſiæ non *Georgius* anno 1440, quemadmodum *Karolyio* errorem Szentivanyi ſecuto viſum eſt, *z*) ſed *Benedictus*

q) Spec. Jaur Eccl. p 61

r) T. I Ep. Agr. p. 408.

s) T. II. Ep. Agr. p. 12.

t) Spec, Jaur. Eccl p. 61.

u) T. II. Ep. Agr. p. 23.

x) P. I. p. 320.

y) Vid. Specim. Hier. Hung. P. II p. 76.

z) Spec. Jaur Eccl. p. 61.

III. anno 1439. ſucceſſerat. Certum id eſt ex Literis *Eliſabethæ* Reginæ ad annum modo memoratum datis, quas hoc loco integras, cum & breves utcumque ſint, & nexum cum rebus mox narrandis habeant, referre licebit. En illas: *a*)
„ Nos Eliſabeth Dei gratia Regina Hungariæ Dalmatiæ &c. Auſtriæque, & Sty-
„ riæ Duciſſa, nec non Marchioniſſa Moraviæ &c. Recognoſcimus, & profite-
„ mur per præſentes, quod, quia fidelis noſter, Magnificus Georgius de Bozyn
„ ſacram Regni noſtri Hungariæ Coronam pridem per quondam Sereniſſimum Prin-
„ cipem, Dominum Albertum, Romanorum, ac Hungariæ &c. Regem, Domi-
„ num, & Conthoralem noſtrum cariſſimum, ſub ſuo ac ceterorum Prælatorum,
„ & Baronum dicti Regni noſtri Hungariæ Sigillis ſuæ fideli conſervationi tradi-
„ tam, & aſſignatam Majeſtati Noſtræ ſimul cum omnibus paramentis, & atti-
„ nentiis ad coronationem correquiſitis, ſub dictis quondam Domini noſtri Regis,
„ ac Prælatorum, & Baronum Sigillis ſine defectu aliquali in præſentiis fidelium
„ noſtrorum, Reverendi in Chriſto Patris Benedicti Epiſcopi Eccleſiæ Jaurinen-
„ ſis, ac Magnificorum Deſeu de Loſoncz, Vayvodæ Tranſilvani, Comitis Ste-
„ phani de Bathor Judicis Curiæ Regiæ, Michaelis Laakch de Kuſel, & Francis-
„ ci de Chaak, Comitum Siculorum noſtrorum, Stephani de Rozgon alias Comi-
„ tis Themeſienſis, Joannis filii Comitis de Peren, Georgii K---. de Corbavia,
„ Magiſtri Curiæ, Thomæ de Zeech Theſaurarii Noſtræ Majeſtatis, & Michaelis
„ filii Stephani de Zend, tradidit, & aſſignavit. Ideo Nos ipſum Georgium Grof
„ de Bozyn ſuperinde quittum, & expeditum reddimus, atque abſolutum præſen-
„ tium vigore, & teſtimonio mediante. Datum Wiſſegradini feria II. proxima an-
„ te feſtum Beati Martini Epiſcopi, & Confeſſoris, Anno Domini Milleſimo
„ Quadringenteſimo Triceſimo Nono. „

„ Et nos Benedictus Jaurienſis Epiſcopus, ceterique Barones prætitulati,
„ Coronæ, & paramentorum prædictorum pro coronatione Regum requiſitorum
„ reſtitutioni, per dictum Georgium Grof de Bozyn factæ, fatemur interfuiſſe,
„ & præſentes extitiſſe. Datum loco, die, & anno, quibus ſupra. „

Anno ſequente (1440) interfuit idem *Benedictus* coronationi *Ladislai Poſthumi*, ejusque, ac Eliſabethæ Reginæ partes adverſus *Wladislaum* conſtanter tuitus eſt. In duas enim factiones hoc tempore ſcindebatur Hungaria: cujus diſſidii, bellique civilis, pace *Sabarienſi* poſtmodum compoſiti, cauſas ab origine paucis exponam. Rex Hungariæ *Albertus* in reditu ab expeditione Turcica, anno Chriſti 1439. die 27. Octobris, apud pagum *Neſmil* (olim *Hoſſzufalu*, quod longum pagum ſignificat, dicto) extinctus fuit, nulla relicta prole maſcula, niſi quam *Eliſabetha* Regina, tunc Varadini abſens, adhuc utero ferebat. Hæc ubi inopinum de morte mariti nuncium accepiſſet, absque mora Budam advolavit, Regnique Proceres de pactionibus, ſub Sigismundo, & Alberto initis,

a) P. I Specim Hier. Hung. p. 321.

ac de ſua, proliſque conceptæ ſucceſſione admonuit. Ac initio quidem prona erant omnium in Reginam ſtudia, reſque eo adducta eſt, ut ei ſacra Regni Hungariæ corona velut legitimæ hæredi traderetur, & conſignaretur: id quod Literæ paullo ante adductæ teſtantur. Verum poſtea ob imminens a Turcis periculum, quorum Imperator *Amurathes*, expugnata Senderovia, Serviæ civitate, bellum in Hungariam traducturus ferebatur, communi Procerum, Reginæque conſenſu decretum eſt, ut vidua Regina, oblato pro dote Regno, matrimonium cum *Wladislao* Poloniæ Rege iniret. Præcipuus Conſilii hujus auctor extitit *Joannes Hunnyades*.

Nec mora: oratores menſe Januario anni 1440. in Poloniam mittuntur *Joannes* Epiſcopus Segnienſis, *Matthæus* de *Palocz* Dalmatiæ, Croatiæ, ac Sclavoniæ Banus, *Joannes* de *Perény* Tavernicorum, *Ladislaus* de *Palocz* Curiæ Regiæ, & *Emericus* de *Marczali* Dapiferorum magiſtri *b*). Ecce autem, vix legati Poloniam attigerant, cum Regina puerum enixa eſt Comaromii 22da Februarii, cui *Ladislai* nomen in baptiſmo, per *Dionyſium Zechium* Strigonienſem Archiepiſcopum collato, impoſitum fuit. Tum vero *Eliſabetham* promiſſi *Wladislao* matrimonii mox pœnitentia ſubiit, præſertim quod meminiſſet adjectæ conditionis, qua cavebatur, ut nonniſi filius ex *Wladislao* naſciturus jus in Regnum Hungariæ adipiſceretur, *Alberti* autem poſthumus ſi quis eſſet, Bohemiæ, & Auſtriæ tantum hæres foret. Cognito Reginæ animo, mox duæ nobilium Hungarorum factiones exoriuntur, altera Auſtriaca, Polonica altera. Illorum, qui *Ladislao Poſthumo* ſtudebant, conſiliis uſa Regina mittit celerrimos nuncios, qui oratores e Polonia revocent: verum iſti priora mandata jam executi, & ab aliis adverſæ partis nunciis animati *Wladislaum* ad capeſſendum quantocyus Hungariæ regnum adurgent.

Appropinquante Polono, Regina confeſtim Præſules, & Proceres ſibi addictos Albam convocat: ibi *Dionyſius Zechius*, Archipræſul Strigonienſis, *Ladislaum Poſthumum* in Matris gremio vagientem, in Regem Hungariæ unxit, ſacraque corona incinxit. Juramentum ab Rege novo præſtari ſolitum *Udalricus*, Cilejæ Comes, Infantis nomine dixit; quo peracto alii protenſis ad coronati pueri caput manibus, fidem, & obſequium jurarunt. „ Sed vagitus pueri, inquit *Gerardus de Roo c*), gemitus matris, ac triſtes ſpectatorum affectus, ex eventu „ deinde ominoſa erant. Peracta coronatione Regina *Friderico* Cæſari de rerum „ ſtatu ſcribit; urgeri a nonnullis Proceribus nuptias Polonicas, quas cordi ſibi

---

b) *Callimachus* in Rebus Wladislai Lib. I. ſed *Petrus de Rewa* inter legatos nominat *Joannem* non Segnienſem, ſed Sirmienſem Epiſcopum, & *Mathiam Gereb* Dalmatiæ &c. Banum: erronee tamen, uti ex tabulis pacis infra deſcribendis patebit, in quibus Banus Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ eſt *Matko de Palocz*.

c) Hiſt. Auſtr. Lib. V. pag. 183.

„ nunquam

„ nunquam fuiſſe. Ob eam rem, qui miſſi in Poloniam legati ſuo injuſſu eas pe-
„ pigiſſent, in vinculis teneri; coronam Regni *Ladislao* Puero jam impoſitam:
„ interim vero Polonum a ſuis introductum; puero vim parari. Orare, atque
„ obteſtari, ut, qui viduarum, & pupillorum defenſionem Rex Romani Imperii
„ ſuſcipere ex officio deberet, pueri Regis agnati curam, & tutelam ne deſerat. „

His perſcriptis, Regina cum Proceribus ad reponendam, uti mos erat, ſacram Regni coronam Viſſegradum cum veniſſet, proſpiciens, ac veluti præſagiens impendentia ſibi, ſuoque filio diſcrimina, coronam ſecum clam auferre decrevit. Quod cum aliter, quam aſtu fieri nequiret: hoc uſa, *Ladislaum* de *Gara* Præfectum Arcis, & coronæ conſervatorem, omnesque adſtantes Proceres ſumma dexteritate deluſit, inque coronæ ſacræ locum aliud quidpiam ejusdem molis, ac ponderis ſub involucro datum ſubſtituit, & cuſtodiæ commendavit. Reginæ dolus non ante apparuit, quam cum *Wladislaus* a ſuis coronandus eſſet. Tum igitur alia corona aurea, quæ reliquias Capitis Sancti Regis Stephani ornabat, ab adverſæ partis Proceribus *Wladislao* impoſita eſt, moxque belli civilis flamma erupit. Wladislaianis Viſſegradum, & Budam occupantibus, Regina Jaurinum, ſibi ab Epiſcopo *Benedicto* reſignatum, impoſitis Bohemorum, atque Auſtriacorum copiis munivit, & urbis Præfectura Ulrico Cilejenſi Comiti demandata, mox cum corona, ac filio ſuo Poſonium, poſtea in Auſtriam ad Fridericum Cæſarem ſe ſe recepit.

Miſſi, qui Jaurinum expugnarent, *Ulricum* fuga elabi volentem interceperunt. Eum *Wladislaus* aliquandiu in cuſtodia detentum ineunte anno 1441. liberum dimiſit, ea tamen conditione, ne quid Reginæ *Eliſabethæ* cauſa inimicum in Hungariam moliretur. At ille promiſſorum immemor haud multo poſt iterum pro Regina, ejusque filio *Ladislao* arma corripuit. Iisdem partibus acceſſit jam & *Ladislaus de Gara* cum Dalmatis, & Croatis: præterea *Giskra* ſuppetiis ex Bohemia acceptis haud modicos *Wladislao* terrores incutiebat. Itaque bellum civile undique recruduit. Giskræ Nicolaus Perényius, Ladislao de Gara Joannes Hunnyades, Ulrico Cilejenſi Comes Bonfinius de Lindva opponitur. In Croatia rem pro Wladislao proſpere gerebat *Hunnyades*; ſed in Hungaria pars adverſa vincebat. Apud *Sabariam* præcipue Cilejani Duce *Vitovecʒio* magnam Banfinianis cladem intulere. Direpta ſunt caſtra, Dux *Banfius* captus, & Cilejam abductus eſt. His auditis jam ipſe Rex *Wladislaus* contracto celeriter exercitu caſtra ad *Sabariam* promovit. Sed, cum *Vitovecʒius* majoribus, quam antea copiis inſtructus adveniſſet, velitationibus quidem dimicari cœptum eſt, cum univerſo autem exercitu in Martis arenam deſcendere ambo cunctabantur. Ea cunctatio effecit, ut pax præ bello utrinque optaretur, quæ tandem hiſce conditionibus coaluit: Rex Wladislaus obliterata injuriarum memoria *Cilejanos* in gratiam ſe recepturum, eoque loco habiturum, quo Hungariæ Proceres apud Reges haberi conſueverunt: *Cilejani* ex adverſo nihil ſe Reginæ, aut Ladislai Poſthumi cauſa vivo Wladislao

molituros, & quam Regno Hungariæ deberent fidem, deinceps intemeratam ſervaturos, interpoſita jurisjurandi religione ſpoponderunt. Tabulæ pacis apud *Sabariam* confectæ ita habent *d*):

„ Nos Wladislaus Dei gratia Hungariæ, Poloniæ, Dalmatiæ, Croatiæ „ Rex, Lithvaniæque Princeps ſupremus, ac hæres Ruſſiæ, ad futuram rei me„ moriam. Volubiles rerum effectus, diverſo plerumque pereuntium cauſarum „ calle gradientes, non ſemper eo diriguntur more, quo humanitus præordinan„ tur ordine, ſed præconceptorum eventuum cauſas ulteriore fine alterante do„ ctrix ratio, quæ ſæpius juxta qualitatem occurrentium mutatis occaſionibus „ urgentibus, & arbitrati propoſiti effectus evacuat, fitque in procuranda pace „ ſedulior, quietem eligens communi præferre labori. Licet itaque diebus his re„ troflexis, quibus nos pro adeptione totalis ejusdem Regni Hungariæ dominii, „ ad quod legitime electi, vocati, & conſequenter coronati ſumus, obſtacula „ emerſa eliminando laboravimus, inter alios coronæ hujus Regni ſubditos, Illu„ ſtres Principes Fridericus, & Ulricus Cilejæ, Ortenburgæ, & Tagoriæ Comi„ tes, partem Dominæ Eliſabeth Reginæ, ſtatum pacificum ejusdem Regni tur„ bantis vovendo contraria voluntate nobis obſtiterint, propter quod nos adver„ ſum prætactos Fridericum, & Ulricum Comites, eisque adhærentes, gravem „ animum ferentes, eos noſtro favore fruſtrari intendebamus; tamen, quia ex „ nunc ductis inter nos, & prælibatos Fridericum, & Ulricum Comites certis „ tractatibus, ſopitis pro bono pacis hactenus emerſis differentiis, & amplexa „ utili concordia, diſſidii incommodum vitare volentes, pleno eosdem Fride„ ricum, & Ulricum Comites favore proſequi utilius arbitrati ſumus, quam „ diſcordiarum incommoda cum jactura Regni fovere. Idcirco, ut ipſe Fride„ ricus, & Ulricus Comites de nobis, & favore noſtro Regio certiores effecti, „ majorem ad obſervandam fidelitatem habeant occaſionem, die hodierna hic „ in *Sabaria* oppido Epiſcopatus Jaurinenſis, matura deliberatione, & determi„ nato conſilio, ſincero corde, & puro affectu, in præſentia honorabilis Do„ mini Martini de Thyſſer, & egregii Joannis Meuſenreutter de Packenſtein, „ Cancellarii, ex parte antefatorum Friderici, & Ulrici Comitum Ciliæ, vigore „ mandati eorumdem ad audiendum, & recipiendum a nobis infra ſcriptum „ juramentum miſſorum, tactis corporaliter vivificæ crucis ſigno, ac ſacris San„ ctorum reliquiis, in forma ſubſequenti juravimus, & in hæc verba:

„ Ego Wladislaus Rex præfatus juro vobis, honorabilis Domine Mar„ tine, & egregie Joannes Cancellarie, homines dictorum Friderici, & Ulrici „ Comitum, hoc juramentum mei ex parte recipientibus, quod ab hoc die in „ poſterum temporibus affuturis, præfatis Friderico, & Ulrico Comitibus, ac „ eorum poſteris, tanquam, & ut veris, atque legitimis; membris coronæ

d) P. II Annal. Reg. Hung. p. 352. ex Archivo aulico Græcenſi.

„ Regni Hungariæ, mihique fidelibus, & fidelitate ſubjectis, ipſisque adhæren- „ tibus, communiliter meis fidelibus, regali benignitate favorabilis ſemper ero, & „ gratioſus, omnem animi mei motum, ſeu indignationis rancorem, quos con- „ tra ipſos Comites, aut eorum alterum, vel ad eos pertinentes, undecunque, „ & quandocunque præconcepiſſem, ſimpliciter deponens, atque mitigans. Item, „ quod eoſdem Fridericum, & Ulricum Comites veluti præmiſſi membra Regni „ mei contra omnes & ſingulos ipſorum adverſarios, & æmulos, ac inimicos, „ præſentes videlicet, & futuros, cujuscunque ſtatus, præeminentiæ, & condi- „ tionis ſint, ſive etiam tales amici, vel conſanguinei mei exiſtant, mea poten- „ tia mediante ſemper juvabo, tuebor, & defendam, nec favores meos ab iis, „ Friderico ſcilicet, & Ulrico Comitibus, ſeu eorum altero, in quemcunque „ eventum, verbo & opere abſtraham, non procurabo conſilium, nec aſſentiam „ eidem, ubicunque contra ipſos Fridericum, & Vlricum Comites, ac eorum „ alterum, in detrimentum, ſeu perniciem ſtatus, & perſonarum ipſarum tra- „ ctabitur, & agetur, ſed omnium ad eos, ac eorum alterum, eisque adhæren- „ tium regali benignitate utar, & gratiam, favoremque regium eis, & eorum „ alteri impendam, omniaque in aliis inſcriptionibus inter me, & ipſos Comi- „ tes contenta, & concluſa implebo, & ſervabo ſine fraude, & dolo. Ita me „ Deus adjuvet, Beatiſſima ejus Genitrix MARIA, ſignumque vivificum ſanctæ „ crucis, & omnes Sancti, & ſancta Dei evangelia. In quorum omnium robur, „ & teſtimonium præſentes conceſſimus Literas noſtras pendentis Sigilli noſtri „ munimine roboratas. Datum in deſcenſu noſtro campeſtri exercituali prope „ oppidum *Sabariæ*, feria quarta proxima poſt feſtum Paſcæ Domini anno ejus- „ dem MCCCCXLI. „

„ Et nos Simon de Rozgon Epiſcopus Agrienſis, Regiæ Majeſtatis ſu- „ premus Cancellarius, Joannes Varadienſis, Petrus Cſanadienſis Epiſcopi, Ni- „ colaus de Wylak Wayvoda partium Tranſilvanicarum, Banus Machovienſis, „ & Comes Themeſienſis, *Matko* de Palocz regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & „ totius Sclavoniæ Banus, Emericus de Marczali Comes Simeghienſis, & de „ Wereucze, Simon Zudar de Olnod Pincernarum, alter Simon de Palocz Aga- „ zonum regalium Magiſtri, Michaël Orſzág Theſaurarius Regiæ Majeſtatis, „ Conſiliarii præfati Domini Regis, promittimus ipſo Domino noſtro Rege, & „ pro eodem harum ſerie in verbo veritatis, ſub fide, & honore, quod præ- „ tactus Dominus noſter Rex omnia præſcripta per eum, & promiſſa, & aſſum- „ pta obſervabit, & explebit, & nos toto poſſe, & omni conſilio, inducemus „ eundem ad omnia illa obſervanda, & explenda, nec unquam dabimus eidem „ conſilium, ex quo poſſet horum præmiſſorum conditorum contrarium quo- „ quomodo generari, harum teſtimonio Litterarum mediante, quibus juxta re- „ gale Sigillum, & noſtra ex utraque parte Sigilla ſunt appenſa. Datum ut ſupra. „

Pacem *Sabarienſem* ſecuta eſt *Jaurinenſis.* Hæc agente potiſſimum Cardinale *Juliano* de Cæſarinis, Eugenii Papæ IV. Legato, coaluit. Hujus enim facundia perſuaſus Rex *Wladislaus* ad Reginam *Eliſabetham* Jaurini commorantem inviſit, æquisque conditionibus propoſitis, ut in concordiam, pacemque conſentiret, ab ea obtinuit. Novæ hujus pacis promulgatio incidit in diem 25. Novembris anni 1442. Jam itaque omne bellum civile extinctum, ac priſtina Hungariæ tranquillitas reddita eſſe videbatur, cum ecce novis tumultibus occaſionem præbuit mors Reginæ inopinata. Budam illa viciſſim ad Wladislaum Regem firmandæ amplius concordiæ cauſa venerat; inde autem Jaurinum redux triduo poſt ex torminibus obiit die 24. Decembris ejusdem anni. Tanta mortis celeritas ſuſpicionem veneficii apud nonnullos injecit *e*): hinc iterum motus, ac ſeditiones in regno, quæ nonniſi ſerius componi poterant. Primi omnium Bohemi, qui duce *Giſkra* in Hungaria reſtiterant, comperta *Eliſabethæ* morte, ad *Fridericum* Auſtriacum defecerunt, eo animo, ut urbes, & provincias, quas *Eliſabethæ* nomine prius occuparunt, pupillo *Ladislao Poſthumo*, qui apud *Fridericum* educabatur, ſervarent. Horum exemplum nonnulli quoque Præſules, & Proceres Hungariæ ſecuti ſunt. Potior nihilominus pars *Wladislao* Regi cum *Joanne* de *Hunnyad* adhæſit, uſque ad cladem *Varnenſem*, die 1(. Novembris anno 2444. a Turcis acceptam, qua ipſe quoque *Wladislaus*, violati fœderis reus, interiit.

CAPUT IX.

De rebus poſt cladem Varnenſem ad Peſtinum, & ad Sabariam geſtis: item de reliquis Saeculi XV. Epiſcopis Jaurinenſibus, fatisque Sabariae ſub iisdem.

Post cladem Varnenſem comitia Regni ad Peſtinum habita ſunt, in quibus communi Patrum ſententia delecti fuere oratores, acturi apud Imperatorem *Fridericum III.* ut *Ladislaus Poſthumus* cum Regni Corona in Hungariam remitteretur. Inter hos eminebat *Dionyſius* Strigonienſis Archiepiſcopus. Cum legatio hæc in irritum cecidiſſet, *Joannes Hunnyades*, quem Status & Ordines interea Gubernatorem Regni conſtituerunt, vim adhibendam ratus, comparato juſto exercitu, itineri ſe accingit, & ante Idus Novembres anni 1446. ad *Sabariam* caſtra metatur. Hinc datis ad Senatum Viennenſem Litteris de *Friderico* graviter expoſtulat, eosdemque hortatur, ne illi re, aut conſilio adeſſe velint, ſi

e) Vitus Arnpeck T. I. Scriptor. Auſtr. apud Hieronym. Pez. p. 1254.

Hungari injurias ſuas armis ultum ierint. Irritatus dein ordinum Auſtriæ reſponſo agrum Neoſtadienſem vaſtat: poſt vero ubi ſpes non modica conciliandæ ſine bello amicitiæ affulgeret, ea fuit moderatione, ut exercitum illico in hiberna reduceret. Sequente tamen anno (1447.) alteram ac tertiam, ad repetendum Ladislaum Poſthumum, Regnique coronam, legationem adornare oportuit. Locus negotii pertractandi delectus primum erat Vienna Auſtriæ, dein Rackelspurgum Styriæ. Iſthic demum Cilejenſis Comitis opera induciæ in biennium ſancitæ hiſce conditionibus: „ Primum Fridericus Romanorum Rex, urbes, arcesque „ in Hungaria, puta: Soproniuni, Ginſium, Reichniczium, tum oppida, & vi- „ cos, Sleinig, Pernſtain, Diviniuni, Katzenſtein, & Baumgarten, quæ in „ pignoris loco, aut armorum jure accepiſſet, Albertus contra, Friderici Fra- „ ter, Vorchtenſteinium, Kiſmartonium, Kobersdorffium, & Velam bona fide „ retinerent, donec pignoris rationes ad liquidum illuſtrarentur, aut ex indu- „ ciis conſtans, perpetuumque fœdus conficeretur. Jaurinum cum arce Augu- „ ſtino, electo urbis epiſcopo, ad diem ſancto Joanni ſacram tradi oportere, ſic „ tamen, ut præſidiarii jus facultatemque habeant omne genus armorum, quod „ iſthic eſſet, in Auſtriam transferendi. Ad hæc Epiſcopus Jaurinenſis cum Sa- „ cerdotum collegio fidem publico documento præſtaret, nihil ſe, aut ſuos in- „ duciarum tempore adverſus Auſtriam hoſtile tentaturos: trium præterea mil- „ lium aureorum, quæ Ladislaus Farkaſſius nomine Eliſabethæ Reginæ a Fride- „ rico mutuo acceperat, vadimonium ſcriptis literis præſtaret. Regni autem or- „ dines ad III. Idus Novembres octo viros Viennam legarent, quos Nicolai V. „ Pontificis Maximi, & Cardinalium judicio, quicquid illi cognitis controverſiæ „ capitibus decreverint, ſtare oporteret: rogandumque interea ab utrisque Pa- „ pam per literas eſſe, ut ne cauſæ cognitionem in ſe ſe ſuſcipere detrectet „ Ladislaus Sclavoniæ Banus, qui dato Joanne de Gara obſide, ex Græcenſi „ arce in libertatem ſe vindicarat, intra anni ſpatium, cujus initia ab Urbani „ feſta luce ducerentur, rurſum ſe ſe, quemadmodum datis ſuo nomine literis „ fidem fecerat, Græcii ſiſteret: tum obſidem manu miſſum iri. Denique nulli „ ex Hungaris in fundos, quos Fridericus in Hungaria poſſideret, infeſtis armis „ procurrendi fas eſſet, ut nec Auſtralium quisquam ex Hungaria prædas, ſpo- „ liaque agere, ſive latrocinantium more ſeu conflato milite, poteſtatem haberet. „ Quod ſi quis contra quidquam auſit, jure utrinque in reos ageretur: ſin „ eatenus conveniri partibus non poſſet, utrisque pœnam ex fœdifragis capere „ citra induciarum violationem liberrimum eſſet „ *f*).

Induciarum Tabulæ, Rackelspurgi feria quinta proxima poſt feſtum Pentecoſtes anno domini 1447. ſignatæ, hoc exordium habent: „ Nos Dionyſius miſe-

---

f) P. III. Annal. Hung. p. 59.

„ ratione divina ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis Archiepiſcopus
„ Strigonienſis, Auguſtinus electus Jaurinenſis, Laurentius de Hedervara Palati-
„ nus Regni, Nicolaus ab Vjlak Vayvoda Tranſilvaniæ, Ladislaus de Palocz
„ Judex Curiæ Regiæ, Ladislaus de Gara Sclavoniæ Banus, Michaël Orſzag
„ Regni Theſaurarius, & Thomas Zéchy Comes Comaromienſis, nuncii, &
„ oratores ad Sereniſſimum Principem, Dominum Fridericum Romanorum
„ Regem &c. „ *g*).

Quænam deinde ad extorquendum e manibus Friderici Ladislaum Poſthumum adhibita fuerint molimina, longum foret enarrare. De his igitur patrii annales conſulendi ſunt: nos vero ad interruptas de Epiſcopis Jaurinenſibus, Sabariæ dominis, animadverſiones regredimur. Corrigendi enim ſunt rurſus quidam errores, qui in Catalogos hactenus editos irrepſere. In Catalogo Szentivanyiano, & in Speculo Eccleſiæ Jaurinenſis poſt *Benedictum* nominatur *Antonius* ad annum 1446. dein *Thomas Debrenthe* ad annum 1450. poſtmodum *Auguſtinus* ad annum 1458. At in Catalogo Prayiano *Benedictum III.* ſequitur *Joannes de Dominis* ad annum 1443. notaturque ad Varnam occubuiſſe: hunc alter *Joannes* excipit ad annum 1446. ex epiſtolis Joannis de Zredna detectus. Tum *Thomas de Debrenthe* ponitur ad annum 1450. & poſt hunc *Auguſtinus* ab anno 1455. uſque 1465. At in ſerie noſtra inter *Benedictum III.* & *Auguſtinum* unicus intercedit *Joannes IV.* expuncto imprimis *Joanne de Dominis*; hic enim teſte Thuroczio, & Æнea Sylvio, & Callimacho, non *Jaurinenſis*, ſed *Varadienſis* fuit Epiſcopus *h*). Expungimus præterea non modo *Antonium*, ſubſtituto, quem diximus, *Joanne IV.* ad annum 1446., verum etiam *Thomam Debrenthe*, quem Gubernatorem quidem Abbatiæ Sancti Martini de monte Pannoniæ, non vero Epiſcopum Jaurinenſis Eccleſiæ fuiſſe, ac *Thomam de Brente*, non autem *Debrenthe* ſcribi, in Tabulis fœderis, quod Hungari cum Auſtriacis contra Fridericum anno 1442. iniverunt, reperio. Exemplum harum Tabularum extat in MS. codice Mellicenſis Bibliothecæ, earumque exordium eſt hujusmodi *i*): „ Nos Joannes de
„ Hunnyad, Regni Hungariæ Gubernator, Dionyſius miſeratione divina Sancti
„ Cypriani in thermis ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis, Ar-
„ chiepiſcopus Strigonienſis, Joannes Varadienſis, Andreas Quinque Eccleſienſis
„ Epiſcopi. *Thomas de Brente* Gubernator Abbatiæ Sancti Martini ſacri montis
„ Pannoniæ. Item Ladislaus de Ujlak Vaivoda Tranſilvanus &c. „

g) Apud *Kollar* T. II. Analect. Vindob. p. 1292.

h) Id ipſum conſtat e P. II. Hier Hung. p. 181. unde certum eſt, errorem admiſſum eſſe in Parte I. ejusdem Operis p 322. Nec enim idem *Joannes de Dominis* duos Epiſcopatus eodem tempore tenuit, Jaurinenſem videlicet, & Varadinenſem.

i) Num. 13. p. 27. Vid. & *Pray* P. III. Annal. Reg. Hung. p. 89.

Sed, ut manifeſtius adhuc conſtet, quanto errore *Thomas de Brente* ad annum 1452. Syllabo Epiſcoporum Jaurinenſium inſeratur, atque *Auguſtino* præponatur, revoco iſthic in memoriam Tabulas Induciarum ſupra laudatas, in quibus jam anno 1447. *Auguſtinus* legitur electus Epiſcopus Jaurinenſis.

Hujus *Auguſtini*, octodecim ut minimum annis Eccleſiæ Jaurinenſis Epiſcopi, ac Sabarienſium terreſtris Domini, varia ejus ævi monumenta meminere. Codex MS. Mellicenſis *k*), & Aeneas Sylvius *l*), perhibent, ipſum anno 1452. ab ordinibus Hungariæ & Auſtriæ in Italiam cum aliis nunciis, & oratoribus miſſum. Legationis causa erat iterum, ut *Ladislaus Poſthumus*, & corona Regno reſtituerentur. Oratores prius ad *Fridericum* (qui tunc in Italia verſabatur, Imperii coronam a Papa ſuſcepturus) quærebant aditum, Florentiæ præſtolati ejus adventum. Cum autem ab hoc repulſam paſſi eſſent, Romam profecti apud *Nicolaum* Papam V. cauſam egerunt, *Auguſtino* Jaurinenſi Præſule perorante. Ubi vero *Auguſtinus* etiam a ſummo Pontifice minus benevole auditus fuiſſet, redux Florentiam egit cum *Gaſpare*, pædagogo *Ladislai Poſthumi*, quem in modum puer Cæſari eripi poſſet. Verum iſtud quoque conſilium ſucceſſu caruit, *Gaſpari* autem exitio fuit *m*). Itaque vis adhiberi debuit *Friderico*, qui in Auſtriam reverſus cum Neoſtadii arctiſſima obſidione a confœderatis premeretur, communibus tandem Hungarorum & Auſtriorum votis, dimiſſo ab ſe *Ladislao*, ſubſcripſit.

Ejusdem Epiſcopi *Auguſtini* memoria etiam poſt *Ladislai Poſthumi* obitum ſub Rege *Mathia Corvino* recurrit. Annales Bohemici ad annum 1458. memorant, *Podiebradium* Bohemiæ Regem coronatum ab *Auguſtino Jaurinenſi*, & *Vincentio Vacienſi* Epiſcopis, ab Rege *Mathia Corvino* ſibi ſubmiſſis, ad ſupplendas Archiepiſcopi Pragenſis, & Epiſcopi Olomucenſis vices. Prior enim ſedes eo tempore vacabat; poſterior autem *Protaſium* quidem habuit Epiſcopum, ſed electum dumtaxat, nondum conſecratum. Apud *Balbinum* reperitur formula Juramenti, hac occaſione a *Podiebradio* concepti, in qua utriusque Præſulis ſupra dicti nomina exprimuntur *n*). Ad annum vero 1464. extant Literæ, ab ipſo *Auguſtino*, qua Jaurinenſium Epiſcopo, ſcriptæ de Decimis *Pandorffenſibus*, quæ ibi *Pruckienſes* vocantur, propter Dominos oppidi *Pruck* Comites ab *Harrach*, qui Pandorffenſes Decimas ære parato quotannis ab Epiſcopo Jaurinenſi redimebant. Eodem anno idem Præſul *Auguſtinus* invenitur in Decreto *Mathiæ Corvini* inter teſtes adſcriptus *o*). Sed in alio ejusdem Regis Diplomate ad annum

---

k) Num. 13. fol. 238. ſeqq.

l) In rebus Friderici III.

m) Aeneas Sylvius Epiſt. 409.

n) Miſcel. Dec. I. Lib. VI. Cap. 6. & apud Pray P. III. Annal. Reg. Hung. p. 223.

o) In Corpore Juris Hung.

1468. Iſtropoli, ſeu Poſonii dato, jam *Demetrius I.* ſucceſſor *Auguſtini* ſubſcribitur *p*). Ortus is erat e ſamilia *Cſupor* de *Gy nyſzló*. Hoc Epiſcopo ſedente magnus a Turcis metus fuit *Sabarienſibus* incuſſus, ac ſorte damna etiam iisdem illata ſunt. Anno quippe 1479. Turcæ ſubitanea eruptione facta Hungariam inter Arrabonem, & Ginſium fluvios, fineſque Sclavoniæ, Croatiæ, & Styriæ uſque Muram percurſarunt. Teſtis Auctor Auſtriacus in charta coæva hiſce verbis: *Item in Anno* 1479. *fuerunt Turci in Hungaria inter fluvium Raab, Gunis, & in metis Stiriæ, & Sclavoniæ incluſive fluvio Muer q*). Poſtremus *Demetrii* Epiſcopi in monumentis hactenus detectis annus eſt 1480., quo *Altariam* ſancti *Demetrii* Jaurini fundavit. Literæ fundationis ſuperſunt in Archivo Capituli Jaurinenſis *r*).

Decedente Demetrio, Rex *Corvinus* infulis Jaurinenſibus ornavit *Urbanum Doczi* de *Nagy Lucha*, Theſaurarium ſuum, ob maximam in rebus gerendis fidem, dexteritatem, ac celeritatem ſibi accep tiſſimum; quem tamen anno 1486. hinc ad Agrienſem Epiſcopatum tranſtulit: Jaurinenſi autem Eccleſiæ præfecit *Thomam* de *Erdöd*, alias de *Bakocz* dictum, ſuum antea ſecretarium, Præpoſitumque Titulienſem, & Sacelli ſancti Andreæ, ad latus Quinque Eccleſienſis Baſilicæ conſtructi, Rectorem. *Bonfinius* utrumque ſibi viſum, ac probe notum, his verbis, tamquam coloribus depingit *s*). „ *Urbanus* Quæſtor, qui Jau„ rinenſis erat, Agrienſis Pontifex creatus eſt, Jaurinenſemque Baſilicam *Tho-* „ *mas* Scriba Regius, ob operam ſumma ſemper fide, diligenterque navatam, „ absque negotio impetravit. Hos enim ambos, cum Varadienſi Epiſcopo, qui „ in Gallias dudum profectus erat, eo tempore Mathias nimirum dilexit, adau„ xit honoribus, commodiſque, & quibuscum ultro conſilia communicavit. Mi„ tiore *Urbanus* Quæſtor erat ingenio, & ad maxima quæque tractanda erectiore. „ Contra vehementior hic, &, ut fulvus præferebat aſpectus, aſperiuſculo: in „ agendis tamen negotiis expertiſſimo, item perſpicaci, callido, ac indefatiga„ bili, officioſo, conſtanti, & integro. Sed *Urbanus* mira dexteritate, fide, to„ lerantia, & ingenii altitudine, apud Regem ſemper principatum obtinuit, quam„ vis ingenitæ ſapientiæ magnitudinem diſſimularit. „ Ambo etiam poſt Mathiæ Corvini fata floruere, maximiſque Regni negotiis adhibiti ſunt. *Urbanus* Agrienſis, qui defuncto *Emerico Zapolya*, Palatini dignitatem adminiſtravit, a morte Regis Mathiæ conventum Regni ordinibus in campum Peſtanum ad Idus Majas anni tunc labentis 1490. indixit. Electo iſthic *Wladislao* unus e Legatis, quibus Regem in Hungariam adducendi demandata eſt provincia, fuit *Thomas* Jaurinenſium Antiſtes.

p) Apud Math. Bel T. I. Hung. Novæ Sect. I

q) Apud Link in Annal. Claravall. ad ann. 1479.

r) Teſte Laurentio *Kucly*, ejusdem Capituli Præpoſito, pag. 63.

s) Dec. IV. Lib. VII. ſub finem.

Peracta

Peracta *Wladislai* coronatione, *Maximilianus*, Imperatoris *Friderici* filius, jura ſua in Hungariam armis vindicare volens, exercitum Regno infudit, ac præter alias civitates, & oppida *Sabariam* quoque occupavit. Reſtiterunt quidem *Thomæ* Jaurinenſis Epiſcopi milites, Germanosque Caſtro Sabarienſi impoſitos partim ejecerunt, partim ceperunt, eorumque octo ſupra ſeptuaginta ad caſtra Regis *Wladislai* adduxerunt *t)*; verum ſuperveniente majore hoſtium numero *Sabaria* rurſus in *Maximiliani* poteſtatem venit, nec prius Epiſcopo Jaurinenſi reſtituta eſt, quam poſt confectas anno 1491. concordiæ tabulas. Hujus autem concordiæ, & pacis ineundæ præcipuus adminiſter fuit ipſe Epiſcopus nunc memoratus, quemadmodum e ſequentibus Bonfinii verbis perſpicuum eſt. „ Gravi, „ inquit ille, a Germanis, & a *Maximiliano* imminente bello, cum ſe ad tam di- „ verſa bella occurſantes ſufficere non poſſe, Rex cum patribus cerneret, pacem „ omnes, ſi poſſet æquis, ſin minus, tolerandis conditionibus petere conſtituunt. „ Ea de cauſa cum literis, & mandatis Legati utrinque Poſonium miſſi; hinc „ *Thomas* Jaurinenſis Epiſcopus, qui eo tempore univerſa ferme Regni negotia, „ qua erat præditus ſapientia, adminiſtrabat; illinc *Stephanus Bathoreus*, & *Joan-* „ *nes Pauchircher* Boëmus Cancellarius, vir graviſſimus. „ Pacis ibidem initæ inſtrumentum poſt *Dumontium* vulgavit Franciſcus Adamus *Kollar u)*. Initium eſt: „ Nos *Thomas* Epiſcopus Eccleſiæ Jaurinenſis &c. Regius Cancellarius in „ Hungaria, Comes *Stephanus* de *Bathor*, Judex Curiæ Regiæ, & Vayvoda „ Tranſilvanus, *Joannes Schellenberg* Regni Bohemiæ Cancellarius, *Ladislaus* „ *Orſzág* de *Guth* Agazonum, alter *Ladislaus* de *Rozgon* Cubiculariorum re- „ giorum Magiſtri, *Beneſius Waithmüllner* Burggraffius in *Karlſtein*, & Magiſter „ monetarum in montibus *Kuthis* &c. „ Locus autem, in quo *Sabariæ* reſtitutio decernitur, ita habet. „ Item conventum eſt, quod ex adverſo Romanorum Rex „ univerſa caſtra, & munitiones, hoc tempore belli per Suam Majeſtatem in „ Hungaria, Croatia, Sclavonia, & ceteris provinciis, qualitercunque ad Hun- „ gariam pertinentibus, per ſe, aut alios expugnata, vel alias qualitercunque in „ deditionem recepta, infra hinc, & feſtum ſanctæ Luciæ præſcriptum - - - red- „ dere, vel reſtitui facere teneatur, & præſertim *Sabariam*, vulgariter *Stein am* „ *Anger*, Zentgerod, Körmend, Marvankew, Koſtel, & alia omnia, quæ in „ ſuis, aut ſuorum ſubditorum manibus habet, & hic non ſunt expreſſa ſuis no- „ minibus. „ - - - Epilogi verba ſunt: „ Datum & actum Poſonii die Lunæ poſt „ feſtum ſancti Leonardi anno Domini 1491.

„ Ego *Thomas* Epiſcopus Jaurienſis recognoſco manu propria.

„ Ego *Georgius* de *Bathor*, nomine patrui mei Domini *Stephani* de „ *Bathor* Vayvodæ &c. ſcribere ignorantis, regnoſco manu propria.

---

t) *Bonfinius* Dec V. Lib. 2. & *Iſtvanfius* Lib. 2

u) Auctario diplomatico ab Urſini Velii hiſt. de bello Pann. p. 336 ſeq.

„ *Joannes* de *Schellenberg* Cancellarius Regni Bohemiæ manu propria.

„ Ego *Thomas* Epiſcopus, qui ſupra, pro Domino utroque *Ladislao* „ de *Guth*, & de *Roſzgon*, qui ſcribere ignorant, propria manu „ me ſubſcripſi.

„ Benuſs von der Weitmül, meine Hand.

„ Wilhelmus Pamkircher recognoſco manu propria.

„ Joannes de Rupow Protonotarius Regni Bohemiæ manu propria. „

Tertio poſt anno *Thomas* ex Jaurinenſi Cathedra ad Agrienſem, poſtmodum vero ad Strigonienſem Archiepiſcopatum fuit translatus, in quo & purpura Cardinalitia, & Patriarchæ Conſtantinopolitani titulus eidem acceſſerat. Fratrem habuit *Franciſcum*, Præpoſitum Budenſem, ſuumque in Jaurinenſi Epiſcopatu ſucceſſorem ab anno 1494. ad 1509. circiter: de quo ita Bonfinius: „ Ka„ lendis Januariis Franciſcus Budenſis Antiſtes, Agrienſis frater, vir utraque „ lingua eruditus, ad Jaurienſis Epiſcopatus honorem evectus eſt „ *x*).

CAPUT X.

Confirmatio privilegiorum civitatis Sabariae per Epiſcopos Jaurinenſes ineuntis Saeculi XVI.

INEUNTE Sæculo XVI. poſt *Franciſcum II.* rexit Eccleſiam Jaurinenſem *Joannes V. Goſzton de Felſö-Szeleſte* ab anno Chriſti 1510. ad 1525. Hic Præſul poſtremo ſui Epiſopatus anno civibus *Sabarienſibus* confirmavit vetera privilegia, datis in hæc verba Literis *y*):

„ Nos JOANNES Goſzthon de Szeleſte ſuperiore, Dei & Apoſtolicæ Se„ dis gratia Epiſcopus Eccleſiæ Jaurinenſis, Locique ejusdem Comes Perpetuus, „ Poſtulatus Albenſis Tranſilvanienſis, nec non Sereniſſimæ, & Gratioſiſſimæ „ Principis, & Dominæ Dominæ MARIAE, Regnorum Hungariæ, & Bohemiæ &c. „ Reginæ ſupremus Cancellarius, memoriæ commendamus tenore præſentium „ ſignificantes, quibus expedit univerſis. Quod providi, & circumſpecti Andreas „ Balog Judex, Jacobus Balneator, & Stephanus Szele, jurati cives civitatis no„ ſtræ Sabarienſis, in ſuis, & univerſorum civium, & inhabitatorum dictæ no„ ſtræ civitatis Sabarienſis perſonis, noſtram venientes in præſentiam exhibue„ runt nobis, & præſentaverunt quasdam Literas privilegiales Reverendiſſimi

x) Dec. V. Lib. IV. in fine.

y) Ex Archivo Ill. D. Epiſc. Sab.

„ quondam Domini JOANNIS, Epiſcopi dictæ Eccleſiæ Jaurinenſis, Prædeceſſo-
„ ris noſtri, felicis memoriæ, ſupplicantes nobis humillime, ut eas acceptare,
„ ratificare, approbare, & confirmare, Literisque noſtris privilegialibus de verbo
„ ad verbum inſeri, & inſcribi facere dignaremur. Quarum quidem Literarum
„ tenor eſt talis: „ (ſequitur tranſumptum Privilegii *Joannis II.* jam ſupra deſcri-
„ pti) „ Nos igitur hujusmodi ſupplicationibus tamquam juſtis, & idoneis in-
„ clinati, præſcriptas Literas Reverendiſſimi Domini quondam JOANNIS Epi-
„ ſcopi privilegiales non abraſas, non cancellatas, neque in aliqua ſui parte
„ diminutas, & ſuſpectas, præſentibus Literis noſtris privilegialibus de verbo ad
„ verbum tranſumi, inſeri, & inſcribi facimus, easque acceptamus, ratificamus,
„ & approbamus, & præcipue ob loci commoditatem, & nobilitatem, quia
„ clavis, & porta Regni eſt, ſitum amœniſſimum habens, non mediocrem Reli-
„ gionem, affectionem etiam in Divum MARTINUM Præſulem, & Archiepiſco-
„ pum * Turonenſem, cui eſt Patria, & natale ſolum, olim ampliſſima civitas,
„ nunc inſtar oppidi redacta, & nimia paupertate uſque adeo oppreſſa, ut vix
„ antiquæ nobilitatis veſtigia appareant; cincta denique hinc, atque illinc duobus
„ fluviis, altero gemmeo, altero aureo vocatis; confirmamus perpetuo valituras.
„ In cujus rei memoriam, firmitatemque præſentes Literas noſtras pendentis
„ Sigilli noſtri munimine roboratas, & conſignatas præfato Judici, Juratis, &
„ Univerſitati civium civitatis noſtræ *Sabarienſis*, præfatæ duximus dandas, &
„ concedendas; immo damus, & concedimus harum noſtrarum vigore, & teſti-
„ monio Literarum mediante. Datum ex Szeleſte Superiori, loco nativitatis no-
„ ſtræ, Feria quinta in feſto beatæ Apolloniæ Virginis, & Martyris, Anno
„ Domini 1525. „

Annus, quo hæ Literæ datæ ſunt, erat Epiſcopo *Joanni Goſzton* ſupremus, idemque civitati *Sabarienſi* nefaſtus, ob exortum excuſſo e nubibus fulmine incendium, quo complures ædes conflagrarunt, & in ipſo quoque civitatis Tabulario damnum haud leve acceptum eſt. Præter alias enim chartas exuſtas Membrana privilegii, uno abhinc ſæculo civibus Sabarienſibus per Epiſcopum *Joannem II.* conceſſi, adeo ambuſta, & corrugata fuit, ut pro forenſi uſu adhiberi amplius haud potuerit. Quamobrem *Blaſius Paxy*, qui *Joanni Goſzton* in Epiſcopatu ſucceſſerat, precibus ſuorum civium permotus, tam hujus privilegii, quam confirmationis ejusdem inſtrumentum denuo transumi fecit, novoque diplomate roboravit, ſequentis teroris z):

„ Nos BLASIUS Paxius Epiſcopus Eccleſiæ Jaurinenſis, locique ejusdem
„ Comes perpetuus, Conſiliarius Sereniſſimi Principis, & Domini Domini Lu-

---

* Sic; erronee. Conſtat enim Epiſcopum dumtaxat, non Archiepiſcopum Turonenſem fuiſſe beatum *Martinum*.

z) Ex Archivo ſupra laudato.

„ dovici, Hungariæ, & Bohemiæ Regis &c. memoriæ commendamus tenore „ præſentium ſignificantes, quibus expedit univerſis: quod providi, & circumſcripti Jacobus Pruſs Judex, Simon Galambos Magiſter montium, Stephanus „ Szele, Wolfgangus Inſtitor, Fabianus Mihaly, Stephanus Perczíner, Nicolaus „ Kola, Benedictus Fazék, Georgius Nagy, Bartholomæus Faber, Petrus Nagy, „ Thomas Zombath, Gregorius Kulcsár, Valentinus Vincze, duodecim Jurati, „ cæterique cives, & inhabitatores civitatis noſtræ Sabarienſis, noſtram venientes „ in præſentiam, porrexerunt nobis quandam ſupplicationem declarantes: quomodo Reverendiſſimus quondam Dominus Joannes Epiſcopus Eccleſiæ Jaurinenſis, felicis memoriæ, Prædeceſſor noſter, de, & ſuper quibusdam pactis, „ & compoſitionibus inter ipſum Dominum Epiſcopum ab una, ac univerſos „ populos, & Jobagiones dictæ civitatis Sabarienſis ab alia partibus, mutuo factis, „ concluſis, & roboratis, quasdam Literas patentes, in Pargameno privilegialiter „ confectas, ſub duplici ſigillo, ſuo videlicet Epiſcopali, & Capituli dictæ Eccleſiæ „ Jaurinenſis emanatas, dediſſet, & contuliſſet, quas quidem Literas privilegiales „ Reverendiſſimus Dominus Joannes Goſzthon, Epiſcopus Eccleſiæ Jaurinenſis, „ poſtulatus Eccleſiæ Albenſis Tranſilvanienſis, Prædeceſſor noſter, ad ſupplicationem præfatorum Civium de verbo ad verbum tranſumi, Literisque ſuis privilegialibus inſeri, & ſub ſuo tantummodo Epiſcopali ſigillo pendenti extradari „ fecerat. Cum igitur primæ Literæ privilegiales, quæ anno ſuperiori caſu quodam „ per incendium fulminis deſtructæ, & corrugatæ eſſe dicebantur, ſub duplici „ ſigillo, Epiſcopali videlicet, & Capitulari, emanatæ fuiſſe cognoſcebantur, ſed „ in aliqua ſui parte propter hujusmodi corrugationem per incendium factam illegabiles fore videbantur: petierunt a nobis debita precum inſtantia, ut easdem „ Literas, factum præſcriptorum pacti, & compoſitionis tangentes, iterum, ac „ denuo tranſumi, Literisque noſtris privilegialibus de verbo ad verbum inſeri, „ ac ipſis ſub noſtro Epiſcopali, & Capitulari ſigillis pendentibus communitas, „ & roboratas emanari facere dignaremur. Quarum quidem Literarum tenor talis „ eſt. „ (ſequitur Tranſumptum Literarum Epiſcopi Joannis Goſzton continens apographum primarum quoque Literarum privilegialium alterius Joannis Epiſcopi) „ Nos humillimis igitur ſupplicationibus præfatorum civium noſtrorum „ Sabarienſium benigne exauditis, attendentes etiam, & diligentius conſiderantes „ nihil a Prædeceſſoribus noſtris Dominis Epiſcopis hujus Eccleſiæ Jaurinenſis „ fuiſſe deliberatum, ſancitum, & roboratum, quod Succeſſoribus injuriam, & „ Eccleſiæ damnum poſſet generare, de conſenſu Fratrum noſtrorum Dominorum de Capitulo memoratæ Eccleſiæ noſtræ Jaurinenſis, prætactas Literas dictorum civium, & Jobagionum noſtrorum Sabarienſium privilegiales, & præſentibus de verbo ad verbum ſine diminutione, & augmento aliquali inſertas „ acceptandas duximus, & confirmandas; immo acceptamus, ratificamus, approbamus, & confirmamus perpetuo valituras. In cujus rei memoriam præſentes

„ Literas noſtras, ad inſtar Literarum præfati condam Reverendiſſimi Joannis Epi-
„ ſcopi duplicis ſigilli noſtri videlicet authentici, & Capituli dictæ Eccleſiæ
„ Jaurinenſis munimine roboratas, conceſſimus uberiorem ad cautelam. Datum
„ Jaurini feria tertia, proxima ante Feſtum Converſionis beati Pauli Apoſtoli,
„ anno Domini 1526. „

In Speculo Jaurinenſis Eccleſiæ inter *Joannem Goſzthon*, & *Blaſium Paxium* locatur *Georgius Szakmári* hiſce verbis *a*). „ Quadrageſimus ſecundus *Georgius* „ *Szakmári* (alii ſcribunt *Szatmári*) prius Epiſcopus Quinque Eccleſienſis, dein „ Epiſcopus Jaurinenſis, demum anno 1521. Archiepiſcopus Strigonienſis; obiit „ anno 1529. Ita Ladislaus *Szörényi* Epiſcopus Sirmienſis, de prærogativis Cleri „ Regni Hungariæ. „ Sed rectius in ſpecimine Hierarchiæ Hungaricæ inter Epiſcopos Jaurinenſes nulla eſt *Georgii Szakmári* mentio, præterquam in adjectis ad imam paginam notis, quibus Auctor Speculi Jaurinenſis una cum Ladislao *Szörényio* erraſſe innuitur *b*). Et vero ex Datis Literarum, quas iſthic vulgavimus, *Joannis* videlicet *Goſzton* ad annum 1525. & *Blaſii Paxi* ad annum 1526. certum eſt, atque evidens, *Georgium Szakmari*, qui jam anno 1521. factus eſt Strigonienſis Archiepiſcopus, non fuiſſe *Joannis Goſzton* in Epiſcopatu Jaurinenſi Succeſſorem. Quid quod *Georgius* ille *Szakmári*, ſive *Zathmar*, ante *Joannem Goſzton* e vivis exceſſerit? Teſtis eſt *Olahus* in chronico hiſce verbis: *Anno* 1524. *Georgius Zathmar Archiepiſcopus Strigonienſis Budæ VII. die Aprilis mortuus*, *cui ſucceſſit Ladislaus Zalkanus V. Maji.* unde corrigendus iterum eſt *Szörényius*, & Auctor Speculi Karolyius, qui ejusdem *Georgii* obitum ad annum 1529. differunt.

CAPUT XI.

Fata Sabarienſium poſt cladem Mohacſianam, vacante Sede Jaurinenſi, & ſub Epiſcopo Franciſco ab Ujlak.

Blasius *Paxius* eodem anno (1526.) quo privilegia *Sabarienſium* confirmavit, infelici illo prælio, quod ad Mohacſium die 29. Auguſti cum Turcis conſertum eſt, interiit cum multis aliis, ſacri & profani ordinis viris illuſtribus. Jacturam deſcribunt *Brodericus*, Michaël *Brutus*, *Iſtvánfius*; horumque teſtimoniis uſus Celeb. *Pray* ſequentes cladis Mohacſianæ victimas enumerat *c*). „ Perierunt, in- „ quit, in eo prælio, & in fuga, præter Regem, ex Antiſtibus Ladislaus Zalkanus

a) Pag. 78.
b) P. II. Hier. Hung. p. 328.
c) P. V. Annal. Reg. Hung. p. 46.

„ Archiepiſcopus Strigonienſis; Paulus Tomory Colocenſis, Dux belli; Franciſcus „ de Pérény Varadienſis, Philippus More Quinque Eccleſienſis, Blaſius Paxi Jaurinenſis, Franciſcus Chaholi Cſanadienſis, Georgius de Palina Bosnenſis Epiſcopus. Ex Baronibus: Georgius de Zapolya Comes Scepuſienſis, alter belli „ Dux; Joannes Dragffy Judex Curiæ, Franciſcus Orſzág Cubiculariorum, Petrus „ Korlathkö, & Andreas Trepka Janitorum, Simon Horváth Pincernarum regalium Magiſtri: Thomas Zéchy, Gabriel Perényi, Ambroſius Sárkány, Antonius „ Palóczi, Mathias Cſethini, Comes de Frangepanibus, Sigismundus Banffy, „ Franciſcus Hampo, Joannes de Battyán, Stephanus Schlik Bohemus, & nonnulli alii Bohemi, & Moravi. Ex nobilioribus, & potioribus Regni, Franciſcus Balaſy, Nicolaus Tharczay, Joannes Paxi, Joannes Iſtvanffy, Emericus „ Varday, Michaël Podmaniczky, Georgius Orlovchics Capitaneus Segnienſis, „ Stephanus Atzél, Caſtellanus Poſonienſis; Sigismundus Pogán, Joannes Tornaly, „ Joannes, & Stephanus Kalnay, Nicolaus Forgách „

Ab obitu *Blaſii Paxii* Epiſcopatus Jaurinenſis compluribus annis vacabat. Interea vero Arcem *Sabarienſem*, fundosque ad eam pertinentes *Paulus Bakich de Lak*, Turmæ Regiæ Prætorianæ Equitum, vulgo *Huſzarorum Aulæ Regiæ Familiarium* Capitaneus, ejusque hæres *Petrus Bakich* poſſidebat. Meminit illius *Iſtvanffius* hæc ſcribens: „ Poſt cladem Mohacſianam inter duorum Regum (*Jo*-„ *hannis* nempe *Zapolyæ* & *Ferdinandi I.*) contentiones, Epiſcopatus fere omnes „ a militaribus, profaniſque hominibus non ſine inexpiabili rerum divinarum in-„ juria, ac peſſimo humanarum rerum exemplo, hinc inde diſtracti erant. Agriam „ ſiquidem Perenius, poſt obitum Frangepani Antiſtitis occupatam obtinebat: „ Joannes Saracenus Quinque Eccleſias: Nitrienſem Valentinus Turcus: Jaurinum, „ & *Sabariam*, ceteramque Jaurienſem ditionem *Paulus Baquitius*: Albam Juliam „ Franciscus Bodo: Cſanadinum Caſpar Beruſithius, æque omnes profani, quam-„ quam armis, & bello egregii, ſibi uſurparunt. „ Quibus ex verbis apparet, quaſi *Bakichius*, perinde ac alii, ab *Iſtvanffio* iſthic nominati, nullo jure, ſed licentia dumtaxat militari *Sabariam*, ac reliquos Jaurinenſis Epiſcopatus fundos invaſerit, ſibique uſurparit. Verum ſuperſunt Literæ Regiæ, quæ *Bakichios* ab iniqua invaſione, & uſurpatione *Sabariæ*, redituumque Epiſcopalium, quodammodo abſolvere videntur. Ex iis enim intelligere licet, vacante poſt cladem Mohacſianam Sede Jaurinenſi, ipſum Regem *Ferdinandum I.* neceſſitate temporum adactum, Arcem *Sabarienſem* cum omnibus Decimis, aliisque reditibus eo ſpectantibus, *Paulo Bakichio*, ejusque fratribus *in certa* (ut ibidem exprimitur) *pecuniarum Summa* inſcripſiſſe. Has Literas paullo infra exhibebimus.

Idem Rex *Ferdinandus* anno 1533. *Franciſco de Batthyán* Decimam frugum, vinorumque Caſtri *Ujvár*, quam alias Epiſcopi Jaurinenſes titulo Arcis *Sabarienſis* exigere, ac percipere ſolebant, in Summa *ducentorum* florenorum Hun-

garicorum adſignavit & inſcripſit, jure tamdiu valituro, quamdiu Eccleſia Jaurinenſis Præſule ſuo deſtituta eſſet. En inſcriptionis hujus inſtrumentum: *d*)

„ Nos FERDINANDUS &c. memoriæ commendamus per præſentes;
„ quod nos in deductionem illius ſummæ pecuniariæ, qua Sereniſſimus Princeps
„ quondam Rex Ludovicus, Sororius, & Prædeceſſor noſter chariſſimus piæ me-
„ moriæ, fideli noſtro Magnifico Francisco de Batthyán, Conſiliario noſtro,
„ alias Regnorum noſtrorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Bano, pro ſuis ſer-
„ vitiis debitor remanſiſſet, ſuper quibus a nobis Literas habet ſpeciales, Decimam
„ frugum, vinorum, & bladorum cultelli Caſtri ſui Vjvar, & pertinentiarum ejus-
„ dem, ad Epiſcopatum Eccleſiæ Jaurienſis, nunc Prælato vacantis, pertinentem,
„ quoad ſcilicet in ipſa Eccleſia Jaurienſi legitimum Epiſcopum creaverimus,
„ duximus dandam, & inſcribendam; ut ex hujusmodi Decimis, ſervato nobis
„ bono, & vero computu, ſingulis annis ducentos florenos Hung. percipe-
„ re, & pro ſe colligere poſſit, & valeat. Immo damus, & inſcribimus ha-
„ rum noſtrarum vigore, & teſtimonio Literarum mediante. Datum in civi-
„ tate noſtra Vienna, Sabbatho proximo poſt feſtum B. Marci Evangeliſtæ, Anno
„ Domini 1533.

Sequitur promiſſio *Franciſci de Batthyán* ſuper reſtitutione Decimæ Caſtri *Vjvár*, Epiſcopatui Jaurinenſi ratione Arcis Sabarienſis alias propriæ.

„ Nos FRANCISCUS de BATTHYAN Conſiliarius Regius &c. recogno-
„ ſcimus, & fatemur per præſentes, quod Sacra Regia Majeſtas, Romanorum,
„ Hungariæ, & Bohemiæ Rex, Dominus noſter clementiſſimus, in deductionem
„ debiti noſtri Decimam frugum, vinorum, & bladorum oppidi Vjvár, & perti-
„ nentiarum ejusdem ad Eccleſiam Jaurienſem, & Caſtrum *Sabariæ* pertinentem,
„ quoad ſcilicet ipſa Eccleſia Jaurienſis legitimum Epiſcopum habuerit, vigore
„ aliarum Literarum ſuarum exinde confectarum nobis dedit, & inſcripſit; ut ex
„ hujusmodi Decimis, ſervato bono, & vero computu, ſingulis annis 200 flor.
„ hung. percipere, & pro nobis colligere poſſimus, & valeamus: vice verſa &
„ nos Majeſtati ſuæ inſtar boni, & fidelis Servitoris promittimus dictam Deci-
„ mam frugum, vinorum, & bladorum dicti oppidi Vjvár, & pertinentiarum
„ ejusdem ad Eccleſiam Jaurienſem, & Caſtrum *Sabariæ*, ut præfertur, pertinen-
„ tem, ubi ipſa Eccleſia Jaurienſis legitimum Epiſcopum habuerit, reddi, & re-
„ ſtitui, quamprimum Majeſtas ſua poſtulaverit; de perceptis etiam bonum com-
„ putum tenebimus, & dabimus, & in ſummam debiti noſtri illud computabi-
„ mus. Datum in civitate Vienna, Sabbatho proximo poſt feſtum B. Marci Evan-
„ geliſtæ, anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Tertio. „

d) Ex Archivo ſupr. cit.

Quæ cum ita, vacante Sede Jaurinenſi, agerentur, cives *Sabarienſes* antiquis privilegiis ſuis metuentes, ea ſibi ab eodem Rege *Ferdinando* confirmari poſtularunt, atque ſequens diploma obtinuerunt. *e*)

„ Nos FERDINANDVS divina favente clementia Romanorum, Hunga„ riæ, Bohemiæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ, ſemper Auguſtus, Infans Hiſpania„ rum, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, Comes Tyrolis &c. me„ moriæ commendamus tenore præſentium ſignificantes, quibus expedit univerſis: „ quod pro parte, & in perſonis fidelium noſtrorum providorum, & circumſpe„ ctorum, Judicis, Juratorum, cæterorumque civium, & inhabitatorum civitatis „ Sabarienſis, exhibitæ ſunt coram nobis, & præſentatæ quædam Literæ Reveren„ di quondam Domini Blaſii Epiſcopi Jaurinenſis in pargamena ſub Sigillo ſuo, „ ac Capituli ſui impendente, privilegialiter ſub certis libertatibus ipſorum civium „ confectæ, tenoris infra ſcripti. Supplicatum itaque extitit Majeſtati noſtræ pro „ parte eorundem civium Sabarienſium, ut easdem Literas gratas, ratas, & ac„ ceptas habere, Literisque noſtris privilegialibus de verbo ad verbum inſeri, & „ inſcribi facere dignaremur. Quarum quidem Literarum tenor talis eſt: (hoc loco referuntur Literæ Epiſcoporum Jaurinenſium *Blaſii Paxii*, *Joannis Goſzton*, & prioris *Joannis*, jam a nobis ſupra exhibitæ.) „ Nos igitur ſupplicatione pro „ parte dictorum, Judicis, Juratorum, cæterorumque civium, & inhabitatorum „ dictæ civitatis Sabarienſis, noſtræ, modo, quo ſupra, porrecta Majeſtati, exaudita „ clementer, & admiſſa, præſcriptas dicti quondam Blaſii Epiſcopi Literas non „ abraſas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, præſentibusque Lite„ ris noſtris verbo tenus inſertas, quoad omnes earum continentias, clauſulas, & „ articulos eatenus, quatenus eædem rite, ac legitime exiſtunt emanatæ, viribus „ que earum veritas ſuffragatur, approbamus, & ratificamus, confirmamusque, „ ſalvis juribus alienis. Harum noſtrarum, quas ſecreto Sigillo noſtro, quo ut „ Rex Hungariæ utimur, impendente communiri fecimus, vigore, & teſtimonio „ Literarum. Datum Viennæ in feſto B. Colomanni Martyris, Anno Domini 1534. „ Regnorum noſtrorum, Romani quarto, reliquorum vero octavo. „

Vacabat ſedes Jaurinenſis usque ad annum Chr. 1539. quo tandem Rex *Ferdinandus* Epiſcopum ei præfecit *Franciscum ab Ujlák*. Hic Præſul egit multum, ac diligenter, ut reditus Eccleſiæ ſuæ quantocyus ex alienis manibus vindicaret. Verum id nonniſi ægre, ac lite plures in annos continuata, perficere valuit. *Bakichii* enim arcem *Sabarienſem*, reditusque ad eam ſpectantes, porro etiam retinere ſatagebant, eoque rem perduxere, ut jam *Decimam* quoque Caſtri *Ujvár* (alias *Francisco de Batthyán*, ut ſupra dictam eſt, usque ad electionem Epiſcopi Jaurinenſis, ab Rege *Ferdinando* in 200 florenis inſcriptam) ad ſeſe traxerint.

e) Ex autographo. ibidem.

Sed

Sed cauſa ad Regni tribunal delata, Judices pro Epiſcopo Jaurinenſi deciderunt, Decimamque Caſtri nunc memorati, e frugibus & vinis obvenientem, *Francisco Vjlakio*, ejusque Succeſſoribus addixerunt. Quam ſententiam cum Rex *Ferdinandus* reſcindere nollet, ea tamen fuit erga *Petrum Bakich* liberalitate, ut ad compenſandam hujus Decimæ jacturam, ducentos florenos, quotannis ex ærario Regio eidem perſolvendos, decreverit. Literæ eatenus confectæ ita ſonant: *f*)

„ Nos FERDINANDUS &c. recognoſcimus per præſentes Literas noſtras; „ quod, quamvis nos annis his ſuperioribus neceſſitate dicti Regni noſtri Hungariæ exigente, Arcem Sabarienſem, ad Epiſcopatum Eccleſiæ Jaurinenſis pertinentem, in Comitatu Caſtriferrei adjacentem, cum omnibus Decimis ad „ eandem arcem exigi ſolitis, aliisque reditibus, & emolumentis fideli olim noſtro „ Magnifico *Paulo Bakich de Lak*, Huzarorum Aulæ noſtræ familiarium Capitaneo, & fratribus ſuis, in certa pecuniarum ſumma inſcripſerimus; poſtea „ tamen nominato per nos in ipſa Eccleſia Jaurienſi Epiſcopo legitimo, Reverendo ſcilicet *Franciſco ab Ujlak*, Conſiliario noſtro, idem, cum jure mediante in repetendis Decimarum Eccleſiæ ſuæ præfatæ proventibus contra fidelem noſtrum egregium *Petrum Bakich*, dicti *Pauli* fratrem patruelem, jus ſuum „ coram Judicibus dicti noſtri Regni proſequeretur, ab eisdem Judicibus „ ordinariis ratione decimarum de Bonis fidelis noſtri Magnifici Franciſci de „ Batthyan, ad Arcem ſuam *Németh Ujvár* pertinentibus, in eodem Comitatu „ Caſtriferrei exiſtentibus, quotannis provenientium, ſententiam obtinuiſſet; „ vigore ejus Decimas easdem certis, & rationalibus ex cauſis dicto Epiſcopo Jaurienſi reddendas eſſe, Inſcriptione noſtra præfata non obſtante, decreviſſent: conſiderantes nihilominus nos præclara illa ſervitiorum, & fidelitatis merita, quæ partim dictus quondam *Paulus Bakich* ad extremum usque „ ſpiritum ſtrenue ſe gerendo, apud nos cumulaverat *g*), partim vero fratrum „ ſuorum, in fide noſtra defunctorum, & ipſius denique *Petri* etiam *Bakich*, qui „ & nunc aſſidua fidelia ſervitia nobis exhibet, decrevimus, prout præſentibus „ decernimus, ut ſingulis annis poſt harum præſentium emanationem futuris, „ durante noſtro beneplacito, in recompenſam adjudicatarum Decimarum Bonorum præfati *Franciſci Batthyany* ex proventibus Regni noſtri Hungariæ, ſive „ Dicarum, Subſidiorum, & Contributionum, unde ſcilicet commodius fieri „ poterit, duceni floreni ex Camera noſtra Hungarica, data ſemper per dictum „ *Petrum Bakich*, vel homines ſuos, ſuper perceptis Quietantia, dentur, numerenturque. Literas tamen noſtras antea præfato quondam *Paulo Bakich* ſuper „ florenis 300. & 50. ratione præattactarum Decimarum Bonorum *Franciſci Bat-*

f) Ex Archivo Episcopali Sabar.

g) *Paulum Bakichium* anno 1537. in bello Turcico interfectum, ejusque, & *Erasmi Magni* caput a Mehemete cum captivis, & ſpoliis opulentioribus Solymanno ſubmiſſum fuiſſe, ſcribit Iſtvanffius Lib. XIII.

„ *thyany* datas, caſſantes, & invalidantes. Proinde vobis fidelibus noſtris, Præfecto, cæterisque Conſiliariis Cameræ noſtræ Hungaricæ, nec non Triceſimatoribus, & earundem Præfectis, præſentibus, & futuris, harum ſerie committimus, & mandamus firmiter, ut a modo deinceps in recompenſam dictarum Decimarum præfatos 200. florenos ipſi *Petro Bakich*, durante (ut præſcriptum eſt) beneplacito noſtro, ſingulis annis, accepta ſuper ſolutione quietantia, dare, & ſolvere debeatis, & per hos, quorum poſt vos intererit, ſolvendos eſſe committatis. Secus nulla ratione facturi. Præſentibus perlectis, & in Protocollon Cameræ noſtræ tranſcribi facientibus, exhibenti reſtitutis. Datum Viennæ nona Decembris Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Quarto.

FERDINANDUS

Albertus Præpoſitus Quinque Eccleſienſis.

Quod Arcem Sabarienſem, fundosque ad eam pertinentes concernit, in his recuperandis major erat difficultas. Cauſa hæc in ipſis Regni Comitiis agitata eſt, ut conſtat ex Decreto X. anni 1547. Art. 21. & ex Decreto XI. anni 1548. Art. 8. §. 2. ubi hæc leguntur: „ Super bonis autem, & proventibus Epiſcopatus Jaurienſis, & aliis ſimiliter jam inſcriptis, Majeſtas ſua (quemadmodum gratioſe ſe obtulit) dignetur tractatus fieri curare: quibus tractatibus ea bona, ac proventus, quo facilius poteſt, de manibus eorum, penes quos ſunt, eliberentur. „

Utebatur autem *Franciſcus Ujlakius* in directionibus cauſarum, & jurium ſuorum, Eccleſiæque ſuæ Jaurinenſis, potiſſimum opera *Ambroſii de Beicz*, civis *Sabarienſis*: quem remunerari volens, ejus Domum, in platea Ginſienſi poſitam ab omni onere ſolutionis, & ab auctoritate Judicum civitatis in perpetuum exemit, immunemque declaravit, dato ſequente Privilegio *h*):

„ Nos FRANCISCUS de WYLLAK Epiſcopus Eccleſiæ Jaurienſis, locique ejusdem Comes perpetuus, Conſiliarius Regiæ Majeſtatis &c. memoriæ commendamus tenore præſentium ſignificantes, quibus expedit, univerſis: quod nos habita ratione ſervitiorum Egregii *Ambroſii de Beicz*, quæ idem nobis, & præfatæ Eccleſiæ noſtræ variis in rebus, ſignanter autem in directionibus cauſarum, & jurium noſtrorum, dictæque Eccleſiæ noſtræ exhibuit, exhibereque ſtudet etiam modo, cupientes eundem *Ambroſium* pro tot, tantisque ſuis apud nos, & dictam Eccleſiam noſtram bene meritis ſervitiis favore aliquo proſequi, animo deliberato illam mediam Seſſionem, ſeu fundum Curiæ civilis, ejusdem Ambroſii in oppido noſtro, & jam fatæ Eccleſiæ noſtræ, Sabarienſi, in Comitatu Caſtriferrei exiſtente, in vico Giengies Ucza (*Gyön-*

h) Ex Archivo ſupr. cit.

„ *gyös utza*) vocato habitam, per eundem *Ambroſium* a provido *Petro Vaſvary* „ noviſſime pretio emptam, & comparatam, cui a parte orientali altera domus, „ & Curia nobilitaris ejusdem *Ambroſii*, a parte vero occidentali domus, & „ Curia civilis Prudentis, & Circumſpecti *Blaſii Kis*, civis ejusdem oppidi Sa- „ barienſis convicinantur, ab omni ſolutione quorumcunque proventuum noſtro- „ rum, & dictæ Eccleſiæ noſtræ, tam ordinariorum, quam etiam extraordina- „ riorum, item ab omnibus conſuetis, & inconſuetis ſervitiis, & authoritate „ Judicum, pro tempore in dicta civitate noſtra Sabarienſi conſtituendorum, du- „ ximus perpetuo eximendam. Immo eximimus harum noſtrarum, ſubſcriptione „ manus, ac ſigillo noſtris propriis communitarum vigore, & teſtimonio Lite- „ rarum mediante. Datum Poſonii in Feſto Beatorum Simonis, & Judæ Apoſto- „ lorum Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Octavo. „

In Catalogo Prayiano *Franciſcus Ujlakius* ponitur ad annum 1549. Locumtenens Regius; ſed e regio diplomate conſtat, hanc dignitatem nonniſi anno ſequente in eum collatam fuiſſe *i*). Quod autem mirum videri poſſit, etiam in Epiſcopatu ſuo Jaurinenſi non prius, quam anno nunc dicto, die 2. Junii, acceptis Roma Bullis, confirmatus fuit *k*). Veriſimile eſt, Bullas gratuito expeditas fuiſſe; id enim Patres in Comitiis Poſonienſibus hoc anno rurſus congregati poſtulabant, uti patet ex Articulo XIV. Decreti XII. ſub *Ferdinando I.* conditi, cujus Articuli verba (ut, quo tunc loco res eccleſiaſticæ in Hungaria fuerint, eluceſcat) non pigebit referre. En illa: „ Videtur autem illud apprime eſſe ne- „ ceſſarium, ut, quo Epiſcopi tum per ſe, tum vero ſuos ad id electos Vica- „ rios, ac ceteros Miniſtros munia ipſorum rite poſſint obire, (cum plerique „ ex ipſis Epiſcopis a Regia Majeſtate tum antea, proximis temporibus ad id „ muneris electi, nondum ſint a ſancta Sede Apoſtolica confirmati, ac proinde „ impares ſint ad præſtandum ea omnia, quæ ipſorum officio incumbunt) Ma- „ jeſtas Regia dignetur primo quoque tempore, præcipuo aliquo Oratore ſuo „ miſſo, diligenter inſtare, & efficere apud futurum ſummum Pontificem, ut „ gratuitam confirmationem Epiſcoporum, a Sua Majeſtate electorum in Regno „ Hungariæ, nec non ſuffraganeorum, aliquot in locis neceſſariorum, clemen- „ ter largiri, & in manus Suæ Majeſtatis expeditas Bullas hujusmodi liberali- „ ter mittere dignetur, ut eas Majeſtas ſua Epiſcopis ipſis, ad quos ſpectave- „ rint, benigne diſtribuere, & illi hoc modo confirmati munus ſuum paſtorale „ valeant poſtmodum liberius exercere. Conſtat enim, calamitoſis his tempori- „ bus, quibus Regnum armis hoſtilibus diu vexatum eſt, Epiſcopatuum reditus, „ ac bona majori ex parte imminuta eſſe, vel, ſi quæ adhuc ſuperſunt, in uſum „ ad conſervandas arces finitimas vix ſufficere, nedum ad quotidianas neceſſi-

i) Diplomatis hujus, anno 1550, die 12. Aprilis, dati exemplum vid. T. III. Ep. Agr. p. 7.
k) Vid. *Szentivanyi* Diſs. paral. rer. mem. Hung. p. 73.

„ tates Epiſcoporum pro dignitate ſatis eſſe poſſe: uſque adeo, ut, quæ olim „ Annatæ pro hujusmodi confirmationibus in urbe pendi ſolitæ erant, haud quaquam vel minima ex parte hoc tempore videantur poſſe conflari: atque ita „ interim multa negliguntur, in quibus pietatem, & religionem peſſumdari neceſſum eſt: quemadmodum hactenus ob hanc cauſam multis in locis contigiſſe „ res ipſa edocuit. Siquidem conſecratorum Epiſcoporum inopia, qui vel ſaltem „ Ordines impertirent, Presbyterorum, aliorumque Miniſtrorum Eccleſiæ mira „ paucitas, orbitasque in multis Regni partibus eſt ſubſecuta; atque hinc facilior pravis dogmatibus aditus fuit. „

Electo in Comitiis anni 1554. Palatino *Thoma Nadasdio*, *Franciſcus Ujlakius* munere Locumtentis Regii decedens, ſimul e Jaurinenſi Epiſcopatu ad Agrienſem translatus eſt, ſed anno inſequenti, pridie Kalendas Februarii, naturæ debitum perſolvit, Poſonii tumulatus. Monumentum ei a pronepote *Wolfgango ab Ujlak* poſitum deſcribitur tam in Speculo Eccl. Jaur. quam T. III. Ep. Agr. p. 18. Iſthic vero refertur alia etiam ſepulcralis epigraphe, verſibus concinnata, hoc præfixo titulo:

„ Epitaphium Domini Reverendiſſimi *Franciſci ab Wylak* Epiſcopi Agrienſis, qui anno partus virginei MDLV. ultima die Januarii extremum diem vitæ „ clauſit, per Mathiam *Swekim de Pamberg* conſcriptum, ad Reverendiſſimum „ Dominum *Nicolaum Olahum* Archiepiſcopum Strigonienſem &c. „

„ Aſpice, quisquis ades, tumuli lacrymabile carmen &c. *l*).

In Catalogo Palatinorum, per *Gaſparem Jongelinum* concinnato, editum eſt, defuncto ſub annum 1549. *Paulo Vardajo* Archiepiſcopo Strigonienſi, in munere Locumtenentis Regii ſucceſſiſſe non *Franciſcum*, ſed *Emericum Ujlaki* Epiſcopum Jaurinenſem, poſtea Agrienſem, & Præpoſitum Poſonienſem: de *Franciſco* autem additur, eum nonniſi anno 1553. Locumtenentem Regium factum, eodemque mox anno ea dignitate per novam Palatini creationem privatum. Errorem hunc (uti & alium ab *Iſtvanffio* admiſſum de obitu *Franciſci Ujlaki* ante electionem Palatini) invictis argumentis refutavit *Nicol. Schmithius m*).

Non minus erronee in Speculo Jaurinenſis Eccleſiæ *Franciſco Ujlakio* præponitur ad annum 1538 *Stephanus Berdovics.* Erroris hujus auctor eſt *Szentivanyius*, qui in Catalogo Epiſcoporum Quinque Eccleſienſium ſcribit *Stephanum Bordovicz* ex Quinque Eccleſienſi factum Jaurinenſem *n*). At *Stephanus Bordovicz* in Specimine Hierarchiæ Hungaricæ ne quidem inter *Quinque Eccleſienſes* Antiſtites re-

l) T. III. Ep. Agr. p. 19. ſeq. Chronicon *Olahi* habet; *Franciſcum Wylaky*, Epiſcopum Agrienſem, mortuum Poſonii prima Februarii anno MDLV. At *Pamberg* in Epitaphio, ultimam diem Januarii adſcripſit. Conciliat *Schmitius*; „vergente, inquit, in primam Februarii. „

m) Ibid. p. 8. & ſeqq.

n) L. ſupr. cit. p. 72

cenſetur: immo excuſſis omnium Epiſcoporum Hungariæ Catalogis, neminem intra annos 1530 & 1540 reperio *Stephanum* præter unicum *Stephanum Brodericum*, patria lingua *Brodarith* dictum, ab anno 1526 uſque 1537. Sirmienſem, hinc vero uſque 1539. Vacienſem Epiſcopum *o*). Quem proinde pro *Stephano Bordovich* Quinque Eccleſienſi primum, dein (uti *Szentivanyio* placet) Jaurinenſi Epiſcopo non poſſe accipi, ſuapte patet.

CAPUT XII.

De recuperatione civitatis, arcisque Sabarienſis, & jurium ad eam pertinentium per Epiſcopum Paulum Gregorianez, ac de nonnullis donationibus per eundem factis, & per Imp. Maximilianum II. confirmatis.

TRANSLATO ad Agrienſem Sedem ſub finem anni 1553, vel initio ſequentis *Franciſco Ujlakio* ad Epiſcopatum Jaurinenſem, e Zagrabienſi tranſiit *Paulus II. de Gregorianez.* Hic Præſul conſcripſit Breviarium rerum Hungaricarum geographico-hiſtoricum, quod *Mathias Bel* e MSS. eruit, atque in Adparatu Hungariæ edidit. In hoc opuſculo Epiſcopus *Paulus* poſt factam Sacri Montis Pannoniæ mentionem, de *Sabaria* his agit verbis: *Magis*, inquit, *in meridiem verſus quaſi ad occidentem* SABARIA, *arx cum oppido adjacente. Quæ quidem* SABARIA *patria fuit D. Martini Epiſcopi Turonenſis, ubi, in loco nativitatis ejus ædificata eſt capella in honorem, & ſub nomine ejusdem ſancti Præſulis. Hic locus in pertinentiis eſt Epiſcopatus Jaurienſis, quem per multos annos in alienis manibus exiſtentem divina ope Ego ad jurisdictionem Eccleſiæ reduxi.*

Poſtrema hæc verba indicare videntur, *Franciſcum Ujlakium*, deceſſorem *Pauli Gregorianczii*, nondum pleno jure *Sabariam* poſſediſſe, *Bakichiis* a Rege *Ferdinando* inſcriptam, ſed eam tum quoque, cum is Curiam civilem *Ambroſii Beicz* ab omni ſolutione liberam, & immunem declaravit, adhuc ſub lite fuiſſe. Aut certe *Ujlakius* partem dumtaxat civitatis *Sabariæ* recuperaverit, tota vero civitas, & arx cum omnibus adpendicibus ſuis nonniſi a *Gregoranczio* ex alienis manibus ad jurisdictionem Epiſcopatus Jaurinenſis revocata fuerit. Ut ut ſit, fides habenda eſt Præſuli *Paulo Gregorianczio*, rem hanc de ſe ipſo ſcribenti: præcipue cum ejusdem ſtudium, & induſtriam in vindicandis *Dominii Sabarienſis* juribus alia quoque monumenta commendent. Hujusmodi ſunt mandata palatinalia Comitis *Thomæ de Nádasd*, ad petitionem Epiſcopi *Gregorianczii* diverſis temporibus data. Unum eſt anni 1554. quo *Jacobus* de *Duth*, quia exactionem

o) P. I. Hier. Hung. p. 351. & P. II. p. 390.

Decimæ, ex poſſeſſione *Kabold* Epiſcopo Jaurienſi debitæ, turbabat, & impediebat, ad cauſam dicendam evocatus eſt. Alterum anni 1557. contra familiam *Sibrik* de *Szarvâskend*, ob decimas ex poſſeſſione *Boſok*, in Comitatu Caſtriferrei ſita, eidem denegatas. Tertium anni 1560. quo Matthæus, & Ladislaus *Sibrik* jubentur pacta, in Decimarum negotio cum Epiſcopo Jaurinenſi, qua Sabarienſis arcis Domino, inita coram Palatino in medium producere, & exhibere *p*).

Adſertis Eccleſiæ ſuæ juribus, curæ fuit optimo Præſuli, ut eos remuneraretur, qui de ſe, ac Eccleſia ſua bene meriti erant. Horum in numero cum eſſet frater ſuus *Ambroſius* de *Gregorjancz*, Vice-Banus Regni Sclavoniæ, huic ille in *Sabarienſi* civitate Domum lapideam, morte improlium *Benedicti Fekete*, & alterius *Benedicti Bakos* ad jus epiſcopale devolutam, agrosque, & ſilvas ad eam pertinentes contulit, ac donavit. Literæ Donationis ita habent *q*):

„ Nos PAULUS de GREGORYANCZ, Dei, & Apoſtolice Sedis gratia „ Epiſcopus Eccleſie Jaurienſis, Locique ejusdem Comes perpetuus, & ſacre „ Majeſtatis Cæſaree in Regno Hungariæ Conſiliarius &c. Memorie commendamus per preſentes. Quod nos conſideratis illis multiplicibus ſervitiis, que Egregius Dominus Ambroſius Litteratus de Gregoryancz prefata, Vicebanus Regni „ Sclavonie, frater noſter carnalis Chariſſimus, non tam nobis, quam Eccleſie noſtre „ memorate Jaurin: tempore neceſſario impendit, totalem Domum lapideam civilem in oppido noſtro Sabarien: in Comitatu Caſtriferrei exiſtentem conſtructam, que videlicet prefuerat Providorum olim Benedicti Fekete, & alterius „ Benedicti Bakos, ſed per mortem, & defectum ſeminis eorundem, in nos, & „ ad collationem noſtram legitime condeſcendit, & devoluta eſt, ſimul cum cunctis ejusdem Domus pertinentiis, terris videlicet arabilibus, cultis & incultis, „ fenetis, ac ſilvis in territorio ejusdem oppidi noſtri, in loco Zewlewhegh, *) „ & aliis ubivis exiſtentibus, dicto Ambroſio Litterato de Gregoryancz Vicebano, „ nec non heredibus, & poſteritatibus ejusdem univerſis, jure civili dedimus, & „ contulimus, jure perpetuo, & irrevocabiliter tenendam, poſſidendam, pariter „ & habendam. Immo damus, & conferimus harum noſtrarum vigore, & teſtimonio Litterarum mediante. Datum Poſonii die Nona menſis Septembris, Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Sexageſimo. „

Sigillum annulare, in charta expreſſum, exhibet ſcutum gentilitium Gregorianczii, nempe Avem ramo inſiſtentem, ſagitta transfixam, erecto, converſoque ad ortum Capite, retro quod lunula decreſcens. Scuti apicem ornat mithra episcopalis. Chartam, cui ſigillum appreſſum eſt, retinet interpoſita cera rubra,

---

p) Ex Archivo ſupr. cit.

q) Ex Autographo ibid. ſervata ortographia, exceptis abbreviationibus.

* Fors Szölöhegy.

quæ & corrigiæ, a tergo Literarum per duas utriusque paginæ inciſuras transmiſſæ, fines jungit, adſtringitque.

Quinto poſt anno eandem Domum ab *Ambroſio Gregorianczio* Vicebano Sclavoniæ, emit *Joanes Ankerrayther*, Eques Auratus; pro qua *Paulus* Epiſcopus *Ambroſii* frater, ſequens eidem Privilegium Curiæ liberæ, ac nobilitaris contulit, in charta pariter datum, & Sigillo ſupra deſcripto munitum: *r*)

„ Nos PAVLVS de GREGORYANCZ Dei & Apoſtolice Sedis gracia „ Epiſcopus Eccleſiæ Jaurien. Locique ejusdem Comes perpetuus, ac Sacratiſſime „ Cæſaree Majeſtatis in Regno Hungarie Conſiliarius &c. Memorie commendamus „ tenore preſentium ſignificantes quibus expedit univerſis. Quod nos debitum „ habentes reſpectum ad gratuita obſequia, & fidelia ſervicia Egregii Joannes Ankerrayther, que idem nobis, & Eccleſie noſtre Jaurien. in iis quibus potuit, „ prompte & obſequioſe preſtare, & exhibere ſtuduit, ac etiam modo pollicetur: „ Domum, ſeu Curiam ſuam lapideam, ad duas integras ſeſſiones, & unum quartale ſe extendentem, in oppido noſtro Sabarienſi in Comitatu Caſtriferrei exiſtentem habitam, quam idem Joannes Ankerrayther ab Egregio domino Ambroſio Litterato de Gregoryancz pecuniis emiſſe dicitur, & cui ab occidente domus Relictæ olim Joannis Kalmar, ab aquilone autem providi Stephani Janko „ contigua vicinitate juncte eſſe dicuntur, ſimul cum univerſis ejusdem pertinenciis, terris ſcilicet arabilibus, pratis, pascuis, campis, fenetis, molendinis, & „ aliis quocunque nomine vocitatis, a jurisdictione, & poteſtate Judicis, & juratorum, ceterorumque civium dicti oppidi noſtri Sabarienſis ſequeſtrantes, & „ eximentes ab omni ſolutione cenſuum, taxarum, & contributionum noſtrarum, „ tam ordinariarum, quam extraordinariarum, nec non ſerviciorum, & onerum „ quorumlibet, ac aliarum exactionum exhibitione, item decimarum quarumcunque, & cujusvis generis de terris ad eandem domum pertinentibus ſolutione, „ nobis, & menſe noſtre epiſcopali quocunque temporum in ſucceſſu exhiberi, „ & provenire debente, pro eodem Joanne Ankerrayther, ipſiusque heredibus, „ & poſteritatibus utriusque ſexus univerſis a modo in perpetuum gratioſe duximus „ eximendam, libertandam, & ſupportandam, ac eandem domum ſimul cum jure „ noſtro, in eandem qualitercunque habito, loco Curiæ nobilitaris eidem jure perpetuo, & irrevocabiliter dandam, & conferendam. Ita tamen, & ea conditione, ut idem Joannes Ankerrayther eandem domum bono modo edificare, & „ nobis ac Succeſſoribus noſtris de eadem domo fidelem & conſtantem operam „ ſemper navare debeat, & teneatur, & ad id poſteri quoque ejus ſint adſtricti. „ Immo eximimus, libertamus, & ſupportamus, nobilitamusque preſentium per vigorem. Quocirca vobis Egregiis, & Nobilibus Prefecto, Proviſori, & Ca-

---

r) Ex Autographo Archivi ſupr. cit.

„ ſtellano, ceterisque officialibus dicte arcis, item Prudentibus, & Circumſpectis „ Judici, & juratis, ceterisque civibus oppidi noſtri Sabarienſis, preſentibus & „ futuris, harum ſerie firmiter committimus, & mandamus, quatenus a modo im- „ poſterum prefatum Joannem Ankerrayther, ipſiusque heredes, & poſteritates „ utriusque ſexus univerſas ratione prefate domus, ſeu Curie nobilitaris ad aliquam „ cenſuum, & taxarum noſtrarum tam ordinariarum, quam extraordinariarum, „ ac decimarum quarumlibet ſolutionem, nec non ſervitiorum, & onerum quo- „ rumcunque exhibitionem contra formam premiſſe gratioſe exemptionis, & liber- „ tationis noſtre arctare & compellere, aut ipſum, heredesque ſuos quovis modo „ in perſonis & rebus, ac bonis ipſorum quibusvis impedire, turbare, & mole- „ ſtare, aut damnificare nusquam, & nequaquam preſumatis, ſed hanc noſtram „ gratioſam exemptionem, libertationem, & nobilitationem noſtram dicto Joan- „ ni Ankerrayther, ejusque heredibus modo quo ſupra factam, & conceſſam fir- „ miter ſemper obſervare, ac per alios obſervari facere modis omnibus debeatis, „ & teneamini: aliud nullo modo facturi. Preſentes autem, quas Sigillo noſtro, „ & manus noſtre proprie ſubſcriptione roboravimus, & obſignavimus, poſt ea- „ rum lecturam reddi ſemper volumus preſentanti. Datum Vienne Auſtrie, die „ Septimo menſis Septembris Anno Domini Milleſimo, Quingenteſimo, Sexage- „ ſimo Quinto. „

Privilegii hujus collationem Imp. *Maximilianus II.* eodem anno 1565. diplomate, in membrana deſcripto, munitoque Sigillo pendente ſimplici majoris formæ, in cera rubro expreſſo, confirmavit, quod hujus tenoris eſt: s)

„ Nos MAXIMILIANVS Secundus Dei gratia electus Romanorum Im- „ perator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croa- „ tiæ, Sclavoniæ, Romæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque „ &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, „ Carnioliæ, Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgæ, ac Inferioris & Superioris „ Sleſiæ, Wirtembergæ, & Thekæ, Princeps Sueviæ, Comes Habspurgi, Tyro- „ lis, Ferretis, Kyburgi, & Goritiæ, Landgravius Alſatiæ, Marchio Sacri Ro- „ mani Imperii ſupra Anaſum, Burgoviæ, ac Superioris & Inferioris Luſatiæ, „ Dominus Marchiæ Sclavonicæ, portus Naonis, & Salinarum &c. Memoriæ „ commendamus, tenore præſentum ſignificantes quibus expedit univerſis: Quod „ pro parte, & in perſona fidelis noſtri Egregii Joannis Ankerrayter, Equitis „ Aurati, exhibitæ ſunt Nobis, & præſentatæ quædam Litteræ Reverendi Pauli „ de Gregoriancz, Eccleſiarum Colocen. & Bachien. canonice unitarum electi Ar- „ chiepiſcopi, & adminiſtratoris Epiſcopatus Jaurien. & Conſiliarii noſtri, ex- „ emptionales in duplici papyro patenter confectæ, manu ſua propria ſubſcriptæ,

s) Ex Autographo ibidem.

„ &

„ & Sigillo ſuo annulari in inferiori margine impreſſive obſignatæ, quibus medi-
„ antibus idem Paulus de Gregorianez domum lapideam, ſive Curiam in oppido
„ ſuo Sabaria, in Comitatu Caſtriferrei exiſtentem habitam, eidem Joanni Ank-
„ rayther, ſuisque heredibus utriusque ſexus univerſis in perpetuum exemiſſe,
„ & libertaſſe dinoſcebatur, tenoris infraſcripti. Supplicatumque propterea exti-
„ tit Majeſtati noſtræ pro parte, & in perſona ejusdem Joannis Ankrayther, qua-
„ tenus easdem litteras præfati Pauli de Gregoryancz, ac omnia & ſingula in eis-
„ dem contenta, ratas, gratas, & acceptas habentes, litterisque noſtris privile-
„ gialibus inſeri, & inſcribi facientes acceptare, roborare, ratificareque, ac præ-
„ dicto Joanni Ankrayther ipſiusque hæredibus, & poſteritatibus univerſis, per-
„ petuo valituras gratioſe confirmare dignaremur. Quarum quidem Litterarum
„ dicti Pauli de Gregoryancz exemptionalium tenor talis (referuntur Litteræ ſupra
deſcriptæ.)

„ Nos itaque præmiſſa ſupplicatione pro parte præfecti Joannis Ankray-
„ ther, noſtræ modo quo ſupra porrecta Majeſtati, Regia benignitate exaudita
„ clementer, & admiſſa, præinſertas easdem Litteras præfati Pauli de Grego-
„ ryancz non abraſas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed
„ omni prorſus vitio, ac ſuſpicione carentes, præſentibusque Litteris noſtris pri-
„ vilegialibus de verbo ad verbum ſine diminutione, & augmento aliquali inſer-
„ tas, & inſcriptas, quoad omnes earundem continentias, clauſulas, & arti-
„ culos eatenus, quatenus eædem rite, & legitime exiſtunt emanatæ, viribusque
„ earundem veritas ſuffragatur, ratas, gratas, & acceptas habentes acceptavimus,
„ & approbavimus, roboravimusque, & ratificavimus, ac pro prænominato Joan-
„ ne Ankerrayther, ipſiusque hæredibus, & poſteritatibus univerſis perpetuo va-
„ lituras gratioſe confirmavimus. Immo acceptamus, approbamus, roboramus,
„ & ratificamus, & confirmamus, ſalvo jure alieno, harum noſtrarum, quas ſe-
„ creto Sigillo noſtro, quo, ut Rex Hungariæ utimur, impendenti communire
„ fecimus, vigore & teſtimonio Litterarum. Datum per manus Reverendiſſimi in
„ Chriſto Patris Domini Nicolai Olahi Archiepiſcopi Eccleſiæ Metropolitanæ
„ Strigonienſis, locique ejusdem perpetui, ac Comitatus Hontenſis Comitis, Pri-
„ matis Hungariæ, ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legati nati, ſummi & Secretarii Can-
„ cellarii, Locumtenentis, & Compatris noſtri, fidelis Nobis ſincere delicti. In
„ civitate noſtra Vienna, vigeſima ſeptima die menſis Septembris Anno Domini
„ Milleſimo Quingenteſimo Sexageſimo Quinto: Regnorum noſtrorum, Romani
„ tertio, Hungariæ ſecundo, Boëmiæ vero decimo ſeptimo. Venerabilibus in
„ Chriſto Patribus, eodem Domino Nicolao Olaho Strigonien. Paulo de Grego-
„ ryancz Colocens. & Bachien. Eccleſiarum canonice unitarum electo, Archi-
„ epiſcopis; Antonio Verancio Agrien. Georgio Draskovyth Zagrabien. Paulo
„ Bornemiſza Tranſilvan. Francisco Forgach de Ghymes Varadien. præfato Paulo
„ de Gregoryancz Jaurien. Andrea Dudits Sbardellato Electo Quinque Eccleſien.

„ Andrea de Kewes Veſprimien. eodem Paulo Bornemiſza Electo Chanadien.
„ Boznen. Sirmien. & Tininien. Sedibus vacantibus, Eccleſiarum Epiſcopis, Ec-
„ cleſias Dei feliciter gubernan. Item Spectabilibus, & Magnificis Comite Andrea
„ de Bathor, Judice Curiæ noſtræ, Petro Erdewdy de Monyorokerek, Comite
„ montis Claudii, ac Regnorum noſtrorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ
„ Bano, Comite Nicolao de Zrynio Tavernicorum, Franciſco de Tah Agazo-
„ num, Stephano Banffy de Alſo Lyndwa Dapiferorum, Joanne Deſewffy de
„ Czernek Magiſtro Curiæ noſtræ, Joanne Chriſtophoro de Batthyan Pincerna-
„ rum noſtrorum regalium Magiſtris, Comite Echio a Salmis, & Newburg Co-
„ mite Poſonienſi cæteriſque quamplurimis Regni noſtri Hungarici Comitatus
„ tenentibus, & honores. „

Si hujus Diplomatis, & præcedentium Literarum Data inter ſe confe-rantur, patebit, *Paulum de Gregorianćz* inter ſeptimam, & viceſimam ſeptimam diem menſis Septembris anno 1565. nominatum & electum fuiſſe Archiepiſcopum Colocenſem, retenta ſimul Epiſcopatus Jaurinenſis adminiſtratione. Corrigendus itaque eſt error in Specimine Hierarchiæ Hungaricæ P. II. p. 82. admiſſus, ubi ſcribitur, idem *Paulus de Gregorianćz* non prius, quam 13. Octobris anni nunc memorati a Rege nominatus Archiepiſcopus Colocenſis, atque hoc honore vix octiduum potitus fuiſſe. Literæ *Maximiliani* Regis ad Cameram Poſonienſem die 24. Octobr. anno 1565. datæ, quarum pericope illic deſcribitur, certos nos reddunt de die obitus Pauli *Gregorianczii*, quæ fuit 21. Octobris; non vero de die, quo is electus fuit Archiepiſcopus Colocenſis: hujus enim diei nulla ibidem eſt mentio.

CAPUT XIII.

Confirmatio privilegiorum Civitatis Sabarienſis per Impp. Maximilianum II. & Rudolphum II. ſub Zacharia Delphino, & Joanne Liſtio Epiſcopis Jaurinenſibus, & quædam alia.

VACANTEM aliquandiu ab obitu *Pauli Gregorianczii* Sedem Jaurinenſem *Franciſcus Forgach*, Varadienſium Antiſtes, adeo vehementer expetebat, ut repulſam paſſus ad *Joannem Sigismundum Zapolyam* defecerit. At Imperator *Maximilianus*, precibus *Cosmi* Florentiæ Ducis permotus, *Zachariam* Cardinalem Delphinum fecit Epiſcopatus Jaurinenſis Gubernatorem, civibus vero *Sabarienſibus* privilegiorum confirmationem ſequenti diplomate elargitus eſt *t*):

t) Ex Autographo Archivi ſupr. cit.

„ Nos MAXIMILIANUS Secundus &c. memoriæ commendamus tenore „ præſentium ſignificantes quibus expedit univerſis: quod fideles noſtri Egregius „ Bodroghi de Sabaria, majoris Cancellariæ noſtræ hungaricæ Notarius, ac pru- „ dentes, & circumſpecti Stephanus Barbély, & Joannes Eordegh, cives oppidi „ Sabarienſis, Majeſtatis noſtræ venientes in conſpectum, ſuis ac univerſorum „ civium, & incolarum ejusdem oppidi Sabarienſis nominibus, & in perſonis „ exhibuerunt nobis, & præſentaverunt quasdam Literas Sacratiſſimi olim Prin- „ cipis Domini Ferdinandi Imperatoris Romanorum, ac Germaniæ, Hungariæ, „ Bohemiæ &c. Regis - - - felicis recordationis, Domini, & Genitoris noſtri „ colendiſſimi, in pargamena privilegialiter confectas, ſecretoque ſigillo ſuo, „ quo ut Rex Hungariæ utebatur, impendenti communitas, continentes in ſe con- „ firmative tenores Literarum Privilegiorum Reverendorum quondam Joannis „ Epiſcopi Eccleſiæ Jaurinenſis, ac alterius Joannis Goſzton de Szeleſte ſuperiori „ & Blaſii Paxi, ſimiliter olim Epiſcoporum ejusdem Eccleſiæ Jaurinenſis, ſuper „ certis libertatibus prædicti oppidi Sabarienſis emanatarum, tenoris infra ſcripti (hoc loco ſunt tranſumpta Literarum Imperatoris Ferdinandi, & Epiſcoporum nunc memoratorum)

„ Nos itaque accepta humillima ſupplicatione prænominatorum Gregorii „ Bodroghi, Stephani Barbély, & Joannis Eördegh - - - acceptamus, & ratifi- „ camus, ac confirmamus, ſalvis juribus alienis &c. Datum per manus Reveren- „ diſſimi in Chriſto Patris Domini Nicolai Olahi Archiepiſcopi Eccleſiæ metro- „ politanæ Strigonienſis (& reliqua, ut in præcedente diplomate) in Arce noſtra „ Regia Poſonienſi die 25. menſis Julii Anno Domini 1567. Regnorum noſtrorum, „ Romani quinto, Hungariæ, & aliorum quarto, Bohemiæ vero decimo nono. „ Venerabilibus in Chriſto Patribus, eodem Domino Nicolao Olaho Strigonienſis „ Eccleſiæ Archiepiſcopo, Colocenſi, & Bachienſi ſedibus vacantibus, Antonio „ Verantio Agrien. Georgio Draskovith Zagrabien. Paulo Bornemiſza Tranſil- „ vanien. Varadien. & Quinque Eccleſienſi vacantibus, Zacharia Cardinale „ Delphino Gubernatore præfatæ Jaurinenſis, prædicto Paulo Bornemiſza Guber- „ natore Nitrien. Andrea de Kevés Veſzprimien. Joanne ab Ujlak Vacien. „ Gregorio Bornemiſza Cſanadien. Boznenſi, Sirmienſi & Tininienſi Sedibus „ vacantibus, Eccleſiarum Epiſcopis, Eccleſias Dei feliciter gubernantibus. Item „ Spectabilibus ac Magnificis Georgio Comite de Zrinio Tavernicorum, Franciſco „ Tahi Agazonum, Joanne Deſewffy de Czernek Curiæ noſtræ, Joanne Petheo „ de Gerſe Cubicu lariorum, Stephano Banffy de Alſo Lindva Janitorum noſtro- „ rum regalium Magiſtris, Comite Echio a Salmis, & Newburg Comite Comi- „ tatus Poſonienſis, cæterisque plurimis Regni noſtri Comitatus tenentibus, & „ honores. „

Sequente anno *Zacharias* Cardinalis Delphinus *Sabarienſe* dominium pro mille quingentis, Decimas autem trium Caſtrorum, *Sárvár*, *Kapuvár*, & *Leukæ*

pro quingentis Thaleris Dominæ *Urſulæ Kaniſay*, relictæ Comitis Palatini *Thomæ* de *Nádasd* Viduæ, elocavit, quemadmodum ejusdem apochæ ad annum 1568. datæ atteſtantur *u*). Ceterum quam ægre tulerint Hungari, Epiſcopatum Jaurinenſem ab extero Cardinali teneri, liquet ex Articulo 35. Decreti III. ſub *Maximiliano* Poſonii anno 1569. conditi, qui ſic habet: „ De Epiſcopatu Jaurienſi ad longum „ declararunt Status cauſas, propter quas illum perſonæ Eccleſiaſticæ Ungaræ, „ & bene meritæ conferri poſtulant. Qua in re cum Sacra Majeſtas ſua ſe ſupplicationis fidelium ſuorum clementem rationem habituram, & ita proviſuram „ gratioſe obtulerit, ut Regnicolæ ſibi ſatisfactum ſentiant, nec ulterius conquerendi cauſam habeant, ſupplicant Status, & Ordines, ut hoc absque longiori „ mora, & cum effectu facere dignetur, ne cauſam habeant, prouti proteſtati „ ſunt, Decimas *Domino Cardinali* omnino denegare. „

Cum idgenus querelæ ab Ordinibus Regni ſæpius ingererentur, ipſe demum Cardinalis *Zacharias* adminiſtratione Epiſcopatus Jaurinenſis ſemet abdicavit circa finem anni 1572. vel initio ſequentis, locumque ceſſit *Joanni Liſthio* antea Veſzprimienſi, nunc autem electo Jaurinenſi Epiſcopo. Superſunt autographæ hujus Præſulis Literæ 10. Martii anno 1573. exaratæ, quibus ſupra deſcriptum *Pauli Gregorianczii* Privilegium *Joanni Anckerraytero* confirmavit. En earum partem præcipuam *x*):

„ Nos JOANNES LISTHIUS, Electus Epiſcopus Eccleſiæ Jaurinenſis, „ Locique ejusdem Comes perpetuus, Cancellarius Aulæ, & Conſiliarius ſacratiſſimæ Cæſareæ, & Regiæ Majeſtatis &c. memoriæ commendamus tenore præſentium ſignificantes, quibus expedit univerſis: quod pro parte, & in perſona „ Egregii Joannis Ankerrayter, Equitis aurati, nec non Conſiliarii Cameræ Hungaricæ dictæ Cæſareæ & Regiæ Majeſtatis, exhibitæ ſunt nobis, & præſentatæ „ quædam Literæ Reverendiſſimi quondam Domini Pauli de Gregoryancz, Eccleſiarum Colocen. & Bachien. canonice unitarum Electi Archiepiſcopi ſimimiliter Jaurienſis, prædeceſſoris noſtri bonæ memoriæ, exemptionales in duplici papyro patenter confectæ, manu ſua propria ſubſcriptæ, & ſigillo ſuo „ annulari in inferiore margine inpreſſive communitæ: quibus mediantibus idem „ quondam Dominus Paulus de Gregoryancz quamdam Domum lapideam, ſive „ Curiam ipſius Joannis Ankerrayter, in oppido noſtro Sabarienſi, in Comitatu „ Caſtriferrei exiſtentem habitam, eidem Joanni Ankerrayter, ipſiusque hæredibus. & poſteritatibus utriusque ſexus univerſis in perpetuum exemiſſe, & „ libertaſſe dinoſcebatur, tenoris infra ſcripti. Supplicatum itaque extitit nobis „ &c. (refertur petitio confirmationis privilegii, & privilegium Pauli de Grego-

u) Extant in Archivo Epiſc. Sab

x) Ex Autographo ibidem.

riancz; tum conſueta confirmationis formula) „ Datum in civitate Vienna Au-„ ſtriæ, decima die menſis Martii, Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo „ Septuageſimo tertio: Epiſcopatus autem noſtri prædicti Primo. „

Literæ hæ patentes, in duplici papyro confectæ, muniuntur Sigillo annulari chartæ impreſſo. Sigillum autem exhibet ſcutum gentilitium *Joannis Liſthii*, Tiara epiſcopali ornatum, & in quatuor areas diviſum; quarum prima, & quarta continet tres palos, faſcia una circa medium interſectos; ſecunda vero, & tertia area habet Leonem, erectis pedibus anterioribus, dextrorſum converſum.

Joannem Liſthium ineunte anno 1578. Pragæ obiiſſe, eidemque poſtea *Georgium Draſcovith* in Epiſcopatu Jaurinenſi ſucceſſiſſe innuit *Iſtvanſius* hiſce verbis: „ ſub id tempus (anno 1578. Cæſar prima ſuis auſpiciis comitia ad Ca-„ lendas Februar. Poſonium indixit, in quibus poſt decreta numorum, & pecu-„ niæ ſubſidia, magiſtratus quosdam diſtribuit; & in locum *Joannis Liſthii* Epi-„ ſcopi Jaurienſis, & Cancellarii, nuper Pragæ extincti, *Georgium Draſcovitium*, „ ab Epiſcopatu Zagrabienſi in Ungariam tranſtulit, ac ei in præfectura Illyrici „ ab illo geſta, quam Banatus nomine vocant, Chriſtophorum Ungnadium ſuc-„ cedere juſſit. „

Antea tamen, quam Imperator *Rudolphus* vacantem morte *Liſthii* Sedem Jaurinenſem *Georgio Draſkovitio*, Electo Archiepiſcopo Colocenſi, ac Epiſcopo Zagrabienſi, contuliſſet, petentibus civibus *Sabarienſibus* privilegia haud ita pridem per Imperatorem Maximilianum adprobata, denuo confirmavit, dato ſequenti diplomate *y*).

„ Nos RUDOLPHUS Secundus &c. memoriæ commendamus tenore præ-„ ſentium ſignificantes quibus expedit univerſis: quod fideles noſtri Nobilis Bar-„ tholomæus Kethely, ac prudentes, & circumſpecti Franciſcus Bandi, Andreas „ Balogh, & Thomas Harczi, cives oppidi Sabarienſis, noſtræ Majeſtatis ve-„ nientes in conſpectum, ſuis, ac aliorum univerſorum civium, & incolarum, „ ac inhabitatorum ejusdem oppidi Sabarienſis nominibus, & in perſonis exhi-„ buerunt nobis, ac præſentarunt quasdam Literas ſacratiſſimi olim Principis, „ & Domini Domini Maximiliani Secundi, Dei gratia Electi Romanorum Im-„ peratoris ſemper Auguſti, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ &c. Regis, „ Domini, & Genitoris noſtri colendiſſimi, felicis memoriæ, in Pargameno „ privilegialiter confectas, ſecretoque ſigillo ejus, quo, ut Rex Hungariæ, ute-„ batur impendenti, & propriæ manus ſuæ Majeſtatis ſubſcriptione communitas, „ continentes in ſe confirmative tenores Literarum, & Privilegiorum Sereniſſimi „ quondam Principis Domini Ferdinandi, ſimiliter Romanorum Imperatoris, ac „ Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ &c. Regis, Domini, & Avi noſtri chariſſimi, „ piæ memoriæ, nec non Reverendorum quondam Joannis Epiſcopi Eccleſiæ

y) Ex Autographo ibidem.

„ Jaurinenſis, ac alterius Joannis Goſzthon de Szeleſte Superiori, & Blaſii Pa„ xii, ſimiliter olim Epiſcoporum ejusdem Eccleſiæ Jaurinenſis, de, & ſuper „ certis libertatibus prædicti oppidi Sabarienſis emanatarum, tenoris infra ſcripti, „ ſupplicantes nobis &c. „ (exponitur petitio confirmationis, & tenor Literarum Maximiliani, & Ferdinandi Imperatorum: nec non Epiſcoporum ſupra dictorum).

„ Nos itaque accepta humillima ſupplicatione prænominatorum Bartho„ lomæi Kethelyi, Franciſci Bandi, Andreæ Balogh, & Thomæ Harczi, ſuis, „ cæterorumque univerſorum civium, & incolarum, ac inhabitatorum præfati „ oppidi Sabarienſis nominibus, & in perſonis, noſtræ de modo, quo ſupra, por„ recta Majeſtati, Regia benignitate exaudita clementer, & admiſſa, præſcriptas „ Literas Sereniſſimi quondam Maximiliani ſecundi &c. non abraſas, non can„ cellatas - - - - confirmamus, ſalvis juribus alienis, harum noſtrarum, quas „ in abſentia Sigilli noſtri, minori, & annulari Sigillo noſtro, quo ut Rex Hun„ gariæ utimur, impendenti communiri fecimus, vigore, & teſtimonio Litera„ rum. Datum in civitate noſtra Vienna Auſtriæ 29. die menſis Januarii Anno „ Domini 1578. Regnorum noſtrorum, Romani tertio, Hungariæ & aliorum „ ſexto, Bohemiæ vero Anno ſimiliter tertio. Venerabilibus in Chriſto Patribus „ Georgio Draskovith Colocen. & Bachien. canonice unitarum Electo Archiepi„ ſcopo, Strigonienſi Sede vacante, Stephano Radecio Agrien. Præfato Geor„ gio Draſcovith Zagrabien. Paulo Bornemiſza Tranſilvanien. Gregorio Borne„ miſza Varadien. Joanne Monoſzlai Quinque Eccleſien. Stephano Fejerkeövy „ Veſprimien. Eodem Paulo Bornemiſza Gubernatore Nitrien. Joanne ab Ujlak „ Vacien. Balthazare Melegh Chanadien. Zacharia Moſzochy Tininien. & Geor„ gio Sivkovich Segnien. nec non Adminiſtratore Modruſien. Eccleſiarum Epi„ ſcopis Eccleſias Dei feliciter gubernantibus. Jaurinenſi, Boſnenſi item, & Sir„ mienſi Epiſcopalibus Sedibus vacantibus. Item Spectabilibus & Magnificis Co„ mite Nicolao de Bathor Judice Curiæ noſtræ, Chriſtophoro Unghnad de „ Sonnegh Regnorum noſtrorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Bano, Co„ mite Georgio de Zrinio Tavernicorum, Ladislao Banffy de Alſo Lindva Aga„ zonum, Balthazare de Batthyán Dapiferorum, Michaële Vardaj de Kiſs Varda „ Pincernarum noſtrorum Regalium Magiſtris, Comite Nicolao a Salmis, & „ Neuburg, Comite Comitatus Poſonienſis, cæterisque quam plurimis Regni „ noſtri Comitatus tenentibus, & honores. „

HISTORIÆ SABARIENSIS
LIBER OCTAVUS.

DE

REBUS CIVITATIS SABARIÆ SUB EPISCOPIS JAURINENSIBUS

AB ANNO CHRISTI 1578 AD 1777.

CAPUT I.

Decretum de Capitulo Caſtriferrei Sabariam transferendo, & Literæ Georgii Draskovyth Epiſcopi Jaurinenſis, confirmatoriae Privilegiorum, Joanni Ankerrayter datorum.

DIOECESIS Jaurinenſis inde fere a temporibus primi Regis divi *Stephani* bina ſuo ambitu complectebatur Canonicorum *Capitula*; alterum ſcilicet *cathedrale* intra urbem Jaurinum, ubi ſedes Epiſcopi; alterum vero *Collegiatum* Caſtriferrei, patria lingua *Vasvár* dicti. De hoc poſteriore in Comitiis anno 1578. Poſonii celebratis ſequens Articulus conditus fuit *a*). *Decretum etiam eſt, ut Capitulum Caſtriferrei una cum Sigillo, & Protocolo Sabariam, veluti tutiorem locum transferatur: cum ejusdem Capituli bona citra Rabum fluvium majori ex parte habeantur. Ne, cum Capitulares Turcis ſe tributarios reddiderint, privilegia Regnicolarum ibi conſervata per hoſtes auferantur.* Quibus ex verbis ſimul cauſas translati *Sabariam* Capituli Caſtriferrenſis facile intelligimus.

a) Decreto I. anni 1578. artic. 20.

Poſt comitia celebrata Imperator *Rudolphus* eodem anno die 25. Aprilis *Georgium Draskovitium*, electum Archiepiſcopum Colocenſem, e Zagrabienſi Epiſcopatu ad Jaurinenſem tranſtulit. Hic Præſul æſtate in arce ſua Sabarienſi commoratus, dedit Literas, in membrana ſcriptas, ac ſigillo authentico impreſſo munitas, quibus privilegium ab aliis Epiſcopis, deceſſoribus ſuis, *Joanni Ankerraytero* conceſſum, denuo confirmavit, quarumque hic tenor eſt:

„ Nos GEORGIUS DRASKOVYTH, electus Archiepiſcopus Colocen. „ Epiſcopus Jaurien. locique ejusdem Comes perpetuus, Sacratiſſimæ, Cæſareæ, „ Regiæque Majeſtatis Conſiliarius, & ſummus per Regnum Hungariæ Cancel- „ larius &c. memoriæ commendamus tenore præſentium ſignificantes, quibus „ expedit univerſis: quod pro parte, & in perſona egregii Joannis Ankerrayter, „ Equitis Aurati, nec non præfatæ Sacræ Cæſareæ, Regiæque Majeſtatis Con- „ ſiliarii, ac Triceſimarum in Regno Sclavoniæ ſupremi Præfecti, exhibitæ ſunt „ nobis, & præſentatæ quædam Literæ Reverendiſſimi quondam Domini Joannis „ Liſthii, electi Epiſcopi prædictæ Eccleſiæ Jaurien. locique ejusdem Comitis „ perpetui, Cancellarii Aulæ, ac ſimiliter præfatæ Sacræ Cæſareæ Regiæque „ Majeſtatis Conſiliarii, prædeceſſoris noſtri piæ memoriæ, in duplici papyro „ patenter confectæ, manusque ſuæ propriæ ſubſcriptione, ac Sigillo annulari, „ ſeu uſuali, in inferiori margine impreſſive communitæ. Quibus mediantibus, „ idem Reverendiſſimus quondam Dominus Joannes Liſthius, electus Epiſcopus „ Jaurien. alias Literas Reverendiſſimi olim Domini Pauli de Gregoryancz, Dei „ & Apoſtolicæ Sedis gratia ſimiliter Epiſcopi prædictæ Eccleſiæ Jaurien. loci- „ que ejusdem Comitis perpetui ac Sacratiſſimæ Cæſareæ Majeſtatis in Regno „ Hungariæ Conſiliarii, felicis recordationis, ſuper quadam Domo lapidea, ſeu „ Curia ipſius Joannis Ankerrayter, in oppido noſtro Sabarienſi, in Comitatu „ Caſtriferrei, exiſtente, & habita, exemptionales in iisdem Literis ſuis inſertas, „ & inſcriptas acceptaſſe, approbaſſe, ratificaſſe, & pro præfato *Joanne Ankerray-* „ *ter*, ipſiusque hæredibus, & poſteritatibus utriusque ſexus univerſis in perpe- „ tuum confirmaſſe, dinoſcebatur, tenoris infraſcripti. Supplicatum itaque extitit „ nobis in perſona ejusdem Joannis Ankerrayter, quatenus easdem Literas præ- „ dicti Reverendiſſimi quondam Domini Joannis Liſthii confirmationales, ac „ omnia & ſingula, in eisdem contenta, ratas, gratas, & accepta habentes, „ Literisque noſtris inſeri, & inſcribi facientes, acceptare, roborare, ratifica- „ reque, ac pro præfato Joanne Ankerraytero, ipſiusque hæredibus, ac poſteri- „ tatibus utriusque ſexus univerſis, gratioſe confirmare dignaremur; quarum qui- „ dem Literarum tenor talis eſt „ (Liſthii, & Gregoryanczii Epiſcoporum Li- teræ ſupra a nobis exhibitæ hoc loco integre tranſumuntur).

„ Nos itaque hujusmodi ſupplicatione pro parte præfati Joannis Anker- „ rayter nobis modo quo ſupra facta benevole exaudita, & admiſſa præinſertas „ Literas præfati quondam Reverendiſſimi Domini Joannis Liſthii, non abraſas,

„ non

„ non cancellatas, neque in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio, „ ac ſuſpicione carentes, præſentibusque Literis noſtris de verbo ad Verbum ſine „ diminutione, & augmento aliquali inſertas, & inſcriptas, quoad omnes earun- „ dem continentias, clauſulas, & articulos eatenus, quatenus eædem rite & le- „ gitime exiſtunt emanatæ, viribusque earundem veritas ſuffragatur, ratas, gratas, „ & acceptas habentes acceptavimus, approbavimus, roboravimus, ratificavimus- „ que, ac pro ſæpe dicto Joanne Ankerrayter, ipſiusque hæredibus & poſterita- „ tibus utriusque ſexus univerſis innovantes perpetuo valituras gratioſe confirma- „ vimus. Immo acceptamus, approbamus, roboramus ratificamusque, & con- „ firmamus, ſalvo jure alieno, harum noſtrarum, authentici ſigilli munimine, & „ propriæ manus ſubſcriptione communitarum, vigore, & teſtimonio Literarum. „ Datum in Arce noſtra Sabarienſi vigeſima quarta die menſis Julii Anno Domini „ Milleſimo Quingenteſimo Septuageſimo Octavo *b*). „

CAPUT II.

De Synodo Diœceſana Jaurinenſi Sabariæ celebrata.

SEQUENS annus 1579. ob celebratam *Sabariæ* Synodum Diœceſanam Jaurinenſem memoratu dignus eſt. Synodi hujus (quod mirere) in Conciliis Hungariæ, a Carolo Péterffio editis, nulla prorſus fit mentio: Auctor vero Speculi Eccleſiæ Jaurinenſis eam quidem commemorat, verum ita, ut de ejusdem Actis & Conſtitutionibus nihil ſibi conſtare ingenue fateatur. „ Felices certe, inquit, nos exi- „ ſtimaſſemus, ſi Acta Synodalia ſapientiſſimi hujus Præſulis (*Georgii Draskovich*) „ de tenebris ad lucem proferre potuiſſemus. Verum latent hæc nos usque modo, „ vel flammis abſumpta, vel humoribus terræ conſumpta. Celebratam autem Sy- „ nodum per *Georgium Draskovitium* Antiſtitem Jaurinenſem conſtat ex *Liſta* „ quapiam antiqua, quam inter Acta Capituli noſtri, dum eadem perluſtraſſemus, „ invenimus *c*) „ Facile admitto, Acta manuſcripta Synodi Jaurinenſis, apud *Sabariam* habitæ, reapſe interiiſſe, cum ibi non reperiantur, ubi vel maxime repoſita eſſe oportuit, in Archivo videlicet Ven. Capituli Jaurinenſis. Deſunt quoque in Tabulario tam Epiſcopi, quam Capituli Sabarienſis de Caſtroferreo.

b) Ex Archivo Epiſc. Sabar. Extant ibidem & aliæ ejusdem Præſulis Literæ, diverſis annis in Arce Sabarienſi datæ, quæ particularia quorumdam civium privilegia complectuntur. Inter has reperi anno 1584. ſcriptas, quibus hic Præſul Domum lapideam *Gregorii Maurovits*, viri nobilis, arte ſua Tonſoris, in fundo Arcis Sabarienſis extructam, nonnullis privilegiis ornavit,

c) Spec. Jaur. Eccl. p. 88.

Sed ne quis forte aut præteritam, aut præſentem ætatem nimiæ arguat
deſidiæ, vel incuriæ; noverit Acta hujus Synodi eodem anno, quo hæc celebrata
fuit, typis excuſa, & poſteritati ſervata eſſe. Libri hujus, hodie perquam rari,
forma quadrantis minoris Pragæ impreſſi, titulus ita habet: „ Acta & Conſtitu-
„ tiones Diœceſanæ Synodi Jaurienſis, ſub Reverendiſſimo in Chriſto patre, ac
„ Domino Georgio Draſcovitio, electo Archiepiſcopo Coloncenſe, Dei & Apo-
„ ſtolicæ Sedis gratia Jaurienſe Epiſcopo, Sacratiſſimæ Cæſareæ Regiæque Maje-
„ ſtatis Conſiliario, & per regnum Hungariæ ſummo Aulæ Cancellario, ad ſe-
„ cundum diem menſis Auguſti indictæ, & per triduum SABARIÆ, patria ſancti
„ Martini Epiſcopi, habitæ, Anno Domini MDLXXIX. *Actuum XX. Attendite*
„ *vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere*
„ *Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.* PRAGÆ Typis Georgii Melan-
„ trichi ab Aventino. Anno Domini MDLXXIX. „

Incipit hic liber a præfatione *Henrici Scribonii*, Præpoſiti metropolitanæ
Eccleſiæ Pragenſis: dein ſubjungitur exemplum Literarum, quibus indicta, &
promulgata fuit Synodus, ad valvas Eccleſiæ cathedralis adfixarum, hujus
tenoris:

„ GEORGIUS DRASCOVITIUS electus Colocenſis ac Bachienſis Ec-
„ cleſiarum canonice unitarum Archiepiſcopus, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia
„ Eccleſiæ Jaurienſis Epiſcopus, locique ejusdem Comes perpetuus, nec non
„ ſacratiſſimæ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis Conſiliarius, ac per regnum Hun-
„ gariæ ſummus Aulæ Cancellarius, omnibus & ſingulis has noſtras lecturis, &
„ audituris, ſalutem, & paternam in Domino benedictionem. Cum ipſa expe-
„ rientia didicerimus, ſuperiorum annorum Synodos in Eccleſia Zagrabienſi (cui
„ aliquot annos divina providentia, licet immeriti præfuimus) habitas, ad fidei,
„ & religionis chriſtianæ incrementum, hæreſum extirpationem, morumque re-
„ formationem non modo utiles, ac ſalutares, verum etiam neceſſarias fuiſſe *d*):
„ pro paſtorali officio noſtro, a tanto, tamque ſalutari pharmaco, ad ſanandos
„ Eccleſiæ morbos, ac etiam curanda vulnera, quæ illi ab infidelibus, & hære-
„ ticis inflicta ſunt, ſumme neceſſario, etiam in hac diœceſi noſtra Jaurienſi,
„ minime abſtinendum judicavimus: maxime cum id ab ordinariis locorum Epi-
„ ſcopis, Sacroſancta Tridentina Synodus inprimis exigat, & efflagitet. Itaque

d) Hoc Præſule, Eccleſiam Zagrabienſem gubernante, duas conſtat Synodos celebratas
fuiſſe: unam anno 1570. alteram 1574. Huic occaſionem præbuit *Michael Bucbich*, Parochus
Beliczenſis, qui prava Calvini dogmata editis libellis per Sclavoniam & Croatiam propagare
conatus eſt. Acta Synodi hujus edidit *Venantius Gavina*, S. Pauli I. Eremitæ profeſſus, hoc
præfixo titulo: „ Catholica & Chriſtiana doctrina de vera, & reali præſentia corporis, & ſan-
„ guinis Chriſti Domini in ſancta Euchariſtia, ſive cœna Domini, in Synodo Diœceſana Za-
„ grabienſis Eccleſiæ 8. die Martii 1574. publicata. „

„ accedente etiam venerabilium fratrum noſtrorum, hujus Cathedralis Eccleſiæ „ noſtræ Capituli conſilio, ad ſecundum diem proximi menſis Auguſti, qui erit „ dies Dominicus, ſeptimus in ordine; hic Sabariæ, Deo volente, in templo „ Deiparæ virginis matris, Synodum diœceſanam indicendam, & celebrandam „ duximus: quam per haſce literas noſtras indicimus, & celebrandam publicamus. „ Idcirco univerſis in Chriſto fratribus noſtris, Reverendis ac venerabilibus Do„ minis Abbatibus, Præpoſitis, Plebanis, Capellarum, & Altarium rectoribus, „ aliisque beneficiatis, in hac noſtra diœceſi Jaurienſi exiſtentibus & commoran„ tibus, nobisque ordinario, & diœceſano jure ſubjectis, per haſce literas noſtras, „ ſerio, & ſub anathematis pœna diſtricte præcipiendo mandamus, ut ad præ„ ſcriptum diem & locum, ſalutares doctrinas, & exhortationes audituri, more „ antiquitus ſervato, venire, & comparere debeant, & teneantur. Aliud ſub „ pœna præſcripta non facturi. Datum Sabariæ, ſecundo die menſis Julii Anno „ Domini MDLXXIX. „

Eodem die hic Præſul alias quoque literas ad omnes diœceſanos ſuos dedit, quibus eis miſſos a ſe ad publicandam hanc Synodum Viſitatores Eccleſiarum commendabat, *Joannem* videlicet *Vitrearium*, & *Gregorium Egyedutium*, ambos cathedralis Eccleſiæ Jaurinenſis Canonicos. Iſtorum munus erat, ſingulas Diœceſeos Jaurinenſis parœcias obire, & in iis futuram Synodum promulgare, ſacrosque ſingularum Eccleſiarum Adminiſtros ad eam convocare. Quonam ſucceſſu hæ viſitationes peractæ fuerint, e fragmento catalogi, quem *Karolyius* barbare *liſtam* vocat *e*), in Archivo Capituli Jaurinenſis inventi, intelligere licebit. En illud!

„ Die 2. Auguſti anno Domini 79. id eſt, 1579. Ordo Plebanorum, qui „ per Magiſtrum Joannem Vitrearium, Canonicum Eccleſiæ Jaurinenſis, ad ſan„ ctam Synodum Diœceſanam, ſub Reverendiſſimo D. Georgio Dráskovitio Epi„ ſcopo Jaurinenſi Sabariæ celebratam convocati ſunt, quorum ſaltem una pars „ advenerat, & hi ſunt, ut ſequitur:

„ Imprimis Plebani ſub Magnifico Domino Joanne Chorom:

1. Blaſius Rieder ex Luzman. 2. Ambroſius Turczic ſub eodem.
3. Raphaël de Temerd. 4. Joannes Hölés.

„ Sub Magnifico Domino Franciſco de Nádasd hi fuerunt:

5. Vitus Tegularius ex Pereſnie. 6. Martinus Kamo ex Steinberg.
7. Item Demetrius Plebanus venerabilis Capituli Eccleſiæ Jaurinenſis in Vis. „ Plebani ſub Magnifica Domina de Lanzér.
8. Joannes Kolonicz ex Czindorff. 9. Georgius de Grotth.

e) Spec. Jaur. Eccl. p. 88.

10. Michaël de Linguán. 11. Antonius Steſſer ex Draczendorff.
12. Georgius Radoczi ex Kayſerdorff. 13. Ceorgius Paſwadicz ex Gerisdorff.
14. Plebanus ex Fyles N.

„ Beneficiati Sopronienſes:

15. Wolffgangus Spibinger Plebanus. 16. Wolfgangus Zalczinger.
17. Nicolaus Akacs. 18. Conradus Plöckel.

„ Duo ſequentes propter infirmitatem venire non potuerunt:
Joannes de Marczal. Joannes Solicz.

„ Sub Sayfrido Kollonicz, Capitaneo in Kiſs-Marton, & Frakno, nul-
„ lus Plebanorum comparuit in Synodo: prohibuit enim, ut nullus illorum ſub
„ amiſſione bonorum, & Parochiarum ipſorum, Synodo interſit. „

„ Plebani ſub Magnifica Domina Conſtantina Pichlerin:

19. Mathias Kaplicz ex Orenſtein. 20. Leonardus Sprengsfeld ex Wimpaſſing.
21. Chriſtophorus Bruner ex Prædersdorff.

„ Ex Plebanis Dominæ de Polheimb nullus comparuit.

„ Plebani ſub Magnifico Domino de Harag (*Harrach*).

22. Lucas Maſnik in Pandorff. 23. Petrus Maraſicz in Horndorff.

„ Sub Capitaneo Ovárienſi omnes Concionatores domi manſerunt præter
„ unicum Plebanum, qui ipſo inſcio venit.

24. Michaël Strinczicz ex Oroſzvár, ſeu Karlburg.

„ Item duo Plebani Domini Abbatis de ſancta Cruce.

25. Pangratius Roſicz ex Poteſtorff. 26. Lucas N. ex Winden.
27. Item Stephanus Reitter Plebanus in Gallos.
28. Item Jacobus Iglics Plebanus Capituli Eccleſiæ Jaurinenſis in Wayden. „

Hactenus fragmentum Catalogi: in quo, uti vidimus, eorum dumtaxat, qui a *Joanne Vitreario* convocati, ad Synodum venerant, nomina recenſentur, nulla de iis, quos alter Viſitatorum, *Gregorius Egyedutius*, convocandos habuit, mentione facta. Quamobrem, quam frequens, ac numeroſa fuerit hæc Synodus, e ſolo hoc fragmento haud ſatis liquet. At neque in Actis Pragæ impreſſis extat Syllabus eorum, qui ad hanc Synodum convenerunt: quamobrem omiſſa ulteriore nominum inveſtigatione, de ipſis potius Synodi Actis, quæ præcipua ſunt, referemus; additis, ubi opportunum videbitur, nonnullis animadverſionibus.

ACTA primæ diei, quæ fuit dies Dominica, ſeptima poſt feſtum SS. Trinitatis. „ Sabbatho, inquit Editor, ante dictam Dominicam, circiter horam
„ veſperarum, Capitula cathedrale Jaurinenſe, & Caſtriferrei collegiatæ Eccle-
„ ſiæ beati Michaelis Archangeli, & omnes Plebani, aliique beneficiati, & Con-
„ cionatores, ad Synodum invitati, qui obedientes fuerunt, coram Reverendiſſi-
„ mo Domino (Epiſcopo Jaurinenſi) comparuerunt. Ibi Reverendiſſimus Domi-
„ nus eos diligenter monuit, ut eorum converſatio, ſub ipſa Synodo præſertim,
„ talis ſit, quæ non in deſtructionem, ſed in ædificationem cedat. „

Illuceſcente autem die Dominico, qui tum in 2. Auguſti incidit, initium celebrandæ Synodi factum eſt a decantata per ipſum Præſulem Miſſa de Sancto Spiritu, cæteriſque ceremoniis, & precationibus conſuetis, quæ in libro ſupra laudato integre deſcribuntur. His finitis Oratio habita eſt a Patre *Marco Pitacichio*, patria *Siſcienſi*, Rectore Scholæ, & Concionatore *Sabarienſi*, Societatis JESU, haud ita pridem exortæ, Presbytero: quam Præſul Actis Synodalibus inſertam luce publica donavit. Orationis hujus duæ ſunt partes: priore, quis verus Sacerdos, & ſacroſanctæ Euchariſtiæ miniſter cenſendus ſit, exponitur; poſteriore autem, qua morum integritate, ac ſanctitate Sacerdotem eſſe oporteat, docetur. Eadem occaſione Orator de Sacerdotum cœlibatu agit. Sed, cum inter auditores nonnulli fuerint linguæ latinæ expertes, horum in gratiam idem argumentum a meridie hungarico idiomate pertractatum eſt.

ACTA ſecundæ diei, *quæ fuit* 3. *Auguſti*. Poſtquam ſolemne Miſſæ ſacrificium de Sanctiſſima Trinitate, *Mathiſio* Capituli Jaurinenſis Præpoſito Majore ad Aram pontificante, peractum fuit, Epiſcopus præmiſſa invocatione auxilii divini, Decreta, & Canones ſacroſancti Concilii Tridentini publicavit, ſummamque præcipuorum Capitum dogmaticorum expoſuit; nimirum de peccato originali, de juſtificatione, de Sacramentis in genere, & in ſpecie; item de Sacrificio Miſſæ, de Purgatorio, de invocatione, veneratione, ac reliquiis Sanctorum, nec non de ſacris imaginibus, de indulgentiis, de ciborum delectu, de jejuniis, ac de feſtis diebus. „ Poſtea, inquit Editor Actorum propter hujus temporis Sa-„ cramentarios, Catholica doctrina de reali, & ſubſtantiali Chriſti Domini in „ ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento præſentia, ex Apologetico doctiſſimi Epi-„ ſcopi Ruremundenſis ſummarie deſumpta, fuit copioſe etiam lingua vulgari „ explicata, & propter librorum inopiam plura ejus exemplaria fuerunt deſcripta, „ & diſtributa. „ Hæc Apologetici epitome reperitur in iiſdem Actis.

„ Eodem die veſpertinæ preces ſolemniter fuerunt ab univerſo clero de-„ cantatæ. Et, quoniam in ea regione hæretici homines confeſſionis ſacramenta-„ lis, quam auricularem vocamus, quæ pars eſt pœnitentiæ, ne mentionem „ quidem facere volunt: viſum fuit, ut eo die a prandio clerus, qui adeſſet, „ in iis, quæ ad ipſam ſacram confeſſionem pertinerent, diligenter inſtitueretur. „ Id quod Pater *Marcus* explicando V. & VIII. Caput Seſſ. XIV. non ſine laude „ præſtitit, ita ut omnes auditores exultare viderentur. „

ACTA tertiæ diei: „ Mane, ut præcedenti die, ad Miſſam beatiſſimæ „ Virginis Mariæ, de feſto Aſſumptionis, campana ſignum datum fuit: quam „ Reverendus *Matthæus*, Præpoſitus Chornenſis candidiſſimi Ordinis Præmonſtra-„ tenſis, cecinit. Qua finita Reverendiſſimus Dominus (ut prioribus quoque diebus „ factum fuit) ex Pontificali Romano deſumptas ceremonias Synodales auſpica-„ tus eſt ab Antiphona: *Exaudi nos*, *Domine*, *quoniam benigna eſt miſericordia tua*; & Pſalmus: *Salvum me fac Deus* &c. Secutæ aliæ preces, ac decantatum

Evangelium ſecundum Matthæum Cap. 18. tum hymnus *Veni Creator* &c. Qui ubi finitus eſt, Epiſcopus Conſtitutiones in hac Synodo conditas e ſuggeſtu latine explanavit, utque firmius inhærerent memoriæ audientium, etiam vulgari ſermone quædam declaravit.

„ Poſtea ex æde beatiſſimæ Virginis Matris, ubi Synodus celebrata fuit, „ per oppidum *Sabariæ* Reverendiſſimus Dominus cum univerſo clero diverſos „ hymnos cantando, & orando, proceſſionem fecit. Ac ubi in dictum templum „ reditum fuiſſet, ſinguli Sacerdotes pluribus verbis moniti fuerunt, ut veterem „ doctrinam, & novam vitam in omni ſanctitate amplecterentur: & ut ea ſem„ per præ oculis haberent, quæ tam dogmatica, quam ad morum reformatio„ nem pertinentia audiviſſent, & ſcriptis quoque accepiſſent. Poſtremo Canti„ cum D. Hilarii, Pictavienſis Epiſcopi, quod poſtea divi, Ambroſius Medio„ lanenſis, & Auguſtinus Hipponenſis, Epiſcopi, per Eccleſias promulgarunt, „ nempe *Te Deum laudamus* &c. decantatum fuit. „

Conſtitutiones autem in hac Diœceſana Synodo Jaurinenſi, *Sabariæ* habita, conditæ, & publicatæ ſunt ſequentes:

„ In domibus Sacerdotum ſuſpectæ mulieres non habitent, juxta conſti„ tutionem ſacroſancti Concilii Tridentini Seſſionis ultimæ Capite XIV.

„ Officia divina & preces horis certis, & uſitatis recitentur. Nullus Sa„ cerdos niſi jejunus Miſſam celebret.

„ Verbum Dei omnes Paſtores prædicent ſingulis Dominicis & aliis „ feſtis diebus.

„ Pro adminiſtratione Sacramentorum nullum munus exigat Parochus, „ contentus ſuis ſolitis proventibus.

„ Tribus temporibus in anno, ſi frequentius fieri non poſſit, id eſt, „ Natalis Domini, Paſchatis, & Pentecoſtes ad confeſſionem, & communio„ nem plebem invitare debeant, & omnino non deſit, quin ſaltem in Paſchate „ communicent omnes.

„ Diebus dominicis, & aliis feſtivis, fidei initia, hoc eſt, Oratio Do„ minica, Angelica ſalutatio, Symbolum, & ſimilia, a Parocho pueris in „ Templis tradantur, ad quod campanæ ſigno convocari debebunt a prandio.

„ Eadem Dominica oratio a Concionatoribus frequenter explicetur, & „ populo inculcetur.

„ Plebani, & alii Curati, baptizatorum, & compatrum nomina diligen„ ter annotare, & ejusmodi catalogum in eccleſiis diligenter aſſervare debent.

„ Parochus librum de baptizatis, & compatribus, ad aliam eccleſiam „ tranſiens, ſucceſſori tradere debeat.

„ Per negligentiam nullus infans ſine baptiſmo, neque adultus absque „ confeſſione, & communione pereat.

„ Quadrageſimæ, quatuor temporum, & aliarum vigiliarum jejunia, „ cum debita abſtinentia, jam antea a patribus præſcripta, diligenter ſerventur.

„ Rogationum tribus diebus, hoc eſt, feria ſecunda, tertia, & quarta, „ ante feſtum Aſcenſionis Domini, in hac noſtra Jaurienſi diœceſi a carnibus „ abſtineatur, juxta doctrinam divi Auguſtini, qui ſic inquit: ſine dubio pecca- „ torum ſuorum vulnera diligit, qui in iſtis tribus diebus jejunando, orando, „ & pſallendo medicamenta ſibi ſpiritalia non requirit. Sermone primo in vi- „ gilia Aſcenſionis Domini. Et proceſſiones quoque uſitatæ ſerventur.

„ Docendum, & inſtandum, ut paſtores pecorum, ſaltem diebus Domi- „ nicis, ad Miſſam & concionem mittantur.

„ Sacramenta in templis pulchre & religioſe ſerventur.

„ Parochi, qui propter ſacerdotum paucitatem frequenter confiteri non „ poſſunt, ad minimum ſingulis hebdomadis peccata confiteri teneantur.

„ Sanctiſſimum Symbolum D. Athanaſii de ſancta Trinitate, & fide ca- „ tholica, frequenter populo declaretur, & inculcetur.

„ Veſtes ſacræ tam ſacerdotales, quam altaris, munde ſervandæ, & in „ anno ad minimum bis lavandæ.

„ Miſſalia, & alii libri ſint completi, & perfecti.

„ Cœmiteria ſint bene munita.

„ Calix, & patena ſint integra, non lignea, aut vitrea.

„ Nullus clericus ſit litigioſus, aut ebrioſus, nec in tabernis bibat.

„ Nullus venationi, aut aucupiis inſerviat.

„ Ab uſuris caveant vehementer.

„ Apoſtatæ ad ſua monaſteria redire cogantur.

„ Sacra Biblia clerici omnes habeant.

„ Barba a clericis non nutriatur ſtudioſe, ſed, ſi cuipiam gerenda per- „ mittatur, a ſuperiore tamen labro abſcindatur.

„ Clericali habitu Sacerdotes omnes utantur, & tonſuras non geſtantes „ puniantur.

„ Annulus clericis ſub ejus privatione prohibitus.

„ Choreæ clericis omnino prohibitæ ſunt.

„ Convivia in novæ Miſſæ celebratione, excepto moderato prandio, & „ cœna, prohibita.

„ Deambulare in templo prohibitum.

„ In civitatibus, & aliis opulentioribus locis, ante ſanctiſſimam Eucha- „ riſtiam lampas accenſa ſervetur.

„ Nullus alterius parochianum, niſi de rectoris ſui licentia, ad com- „ munionem recipiat.

„ Inania ornamenta altarium, & ſignanter frondes imagines obtegentes, „ amovenda.

„ Seminarium, ſeu ſchola clericorum, omnibus piis, & præſertim Sa-
„ cerdotibus, commendatum eſſe debet.

„ Nullus plebanus, absque facultate Reverendiſſimi libros hæreticorum
„ legat, aut domi ſuæ habere præſumat. „

Triduo illo, quo *Sabariæ* congregata erat Synodus, non defuerunt etiam hoſpitalitatis, & liberalitatis officia, uti in Actis diſerte notatur. Ne tamen ea occaſione quidpiam adverſus ſobrietatem, ac temperantiam admitteretur, ex mandato vigilantiſſimi Antiſtitis, quotidie ſub epulis lectus fuit divi Auguſtini Sermo de vitanda ebrietate. Idem Præſul delegavit nonnullos Judices Synodales, qui intra hoc triduum ſtatis horis pro tribunali ſederent, cauſasque, ſi quæ ad eos deferrentur, judicarent. Horum nomina in Actis hoc ordine recenſentur: „ Dn.
„ *Stephanus Mathiſius*, Præpoſitus Major Jaurienſis, ac in ſpiritualibus Vicarius
„ generalis. Pater *Marcus* de Societate Jeſu, Rector Scholæ, & Concionator
„ Sabarienſis. M. *Blaſius* Canonicus Caſtriferrei. „ His additus eſt Notarius ejusdem Capituli, cujus nomen non exprimitur.

Stephanum Mathiſium hoc tempore fuiſſe Præpoſitum Majorem Capituli Jaurinenſis, *Karolyius* quoque hiſce verbis adnotavit: *f*) „ (*Georgius Draskovith*)
„ poſſeſſionem *Kony* donaverat Præpoſito Majori *Stephano Matheſſi*, docentibus
„ protocollis noſtris, confirmavitque conſtitutiones noſtras, ab *Ujlakio* nobis ſub
„ authentico ſuo ſigillo pendenti confectas. „ Idem *Mathiſius* olim *Georgio Draskovitio* qua Epiſcopo Quinque Eccleſienſi, & in Concilio Tridentino anno 1562. Imperatoris *Ferdinandi* pro Regno Hungariæ Oratori, a ſecretis erat: ex Præpoſito demum Jaurinenſi factus eſt anno 1587. Epiſcopus Vacienſis *g*).

Quinam vero factum ſit, ut & P. *Marcus* Jeſuita non poſtremam in Synodo *Sabarienſi* perſonam ſuſtineret, ex hiſtoria Societatis Jeſu intelligere licet. „ *Draſcovitii*, inquit *Sachinus h*), Jaurinenſis Epiſcopi, regnique Hun-
„ garici Cancellarii poſtulatu ad civitatem ejus *Sabariam* miſſus eſt Pater *Mar-*
„ *cus Pithodius*. Synodum celebravit Antiſtes octoginta Præſulum * conventu.
„ Pater in ea Concione de Sacerdotibus veris, & eorum cælibatu diſſeruit
„ optato ſucceſſu, hæreticis non audentibus contra mutire, multisque Eccleſiæ
„ reſtitutis. Socium vero ejus Antiſtes pueris edocendis præpoſuit, dum catho-
„ licis ludi Magiſter inveniretur. „ Idem, ſed pluribus cum adjunctis narrat *Ant. Socherus*, ad annum 1579. hæc ſcribens *i*): „ Altera hoc anno in regnum
„ ſuſcepta, nondum ſtabili ulla ſede, profectio, *Georgii Draskovitii* Jaurinenſis

f) Spec. Jaur. Eccl. p. 88

g) Vid P. I. Hier. Hung. p. 353.

h) Hiſt. Soc. Jeſu p. IV. Lib. VII. p 224.

* Corrige: Presbyterorum.

i) Hiſt. S. I. Provinciæ Auſtriæ P. I. p. 255.

„ Epiſcopi

„ Epiſcopi voluntate; qui dein Antiſtes Colocenſis ſacræ honorem purpuræ ob „ egregia merita conſecutus eſt. Is, ut ſociorum probabat labores, fovebatque „ ex animo, *Sabariam*, ſuæ oppidum ditionis, poſtulaverat Viennenſi e Collegio ad tempus mitti, qui laborantibus incolis ferrent opem, catholicamque „ fidem proveherent. *Marcus Pitacichius* deſignatus eſt: *Siſcienſi* vulgo nomen „ a *Siſcia* patria fuit, hodiernæ Croatiæ civitate, qua gemino alveo Colapis „ amnis in Savum decurrit, ſita. Tertio decimo ante anno in Societatem receperat ſe ſe. Sacerdotio initiatus nunc primum in ſolem educebatur, clarus „ poſtea ardore apoſtolico vir, & avita Religione victoriis multis per Hungariam illuſtrata. Atque ille Socio, quem adduxerat, non Sacerdote, inſtituendis præpoſito pueris, omnes cura intenta perſecutus rei feliciter gerendæ „ vias, operæ fructus etiam in præſens uberes cepit. In Concilium inde adhibito, quod *Jaurini* ** coactum haud pauciores octoginta varii ordinis Præſules *** celebrabant, cum dicendum pro concione, *Georgii* Antiſtitis nutu, „ eſſet, de Sacerdotii auguſto munere, deque cœlibatu diſſeruit, optato iterum „ ſucceſſu: hæreticorum multis Eccleſiæ reſtitutis, nec habentibus ceteris, quod „ veritati opponerent. „

Sexto poſt celebratam hanc Synodum anno in lucem prodiit libellus, hunc præ ſe ferens titulum: *APOLOGIA pro Eccleſiis Reformatis, Actis impiis Synodi Sabarienſis oppoſita, Auctore PETRO BEREXASIO, Eccleſiæ Varadienſis Miniſtro, cum præfatione ad illuſtriſſimos Tranſilvaniæ Præſides - - - - VARADINI excudebat Rodolphus Hoffhalterus Annno MDLXXXV.* In hoc libello integra recuditur oratio Patris *Marci*, quem *Berexaſius* modo Jeſuitam Sabarienſem, modo Dalmatam appellat, pleniſque conviciorum plauſtris onerat. In præfatione autem: „ Hujus, inquit, orationem cum Actis Jaurinenſibus „ Pragæ excuſam Nicolaus Gernathius, Eccleſiæ Helmecienſis miniſter pereruditus, triennium abhinc mihi legendam exhibuit; cui reſponderi a noſtrorum „ aliquo, Nobilitatem Ungariæ Superioris vehementer deſiderare ajebat. Significabat etiam aulicum neſcio quem, hominem minime malum, hac oratione „ lecta Papiſtam, abjecta religione noſtra, eſſe factum, quod Monachum iſtum „ vera omnia prædicare judicabat. „ Ex quo *Berexaſii* loco patet, vera eſſe, quæ in hiſtoria Societatis Jeſu de converſis oratione Patris *Marci* quibusdam heterodoxis traduntur. Idem Liber a Celeb. *Pray* recenſetur in *Indice Librorum rariorum Bibliothecæ Univerſitatis Regiæ Budenſis P. I. pag.* 123. *ſeqq.* quamvis non *Berexaſius* ibi, ſed patria dialecto *Beregſzaſzius* ſcribatur. In eadem

** Reſcribendum: *Sabariæ*.

*** Error e *Sacchino* hauſtus. Non igitur Præſules, ſed Presbyteri ſimplices hoc loco intelligi debent: niſi forte quis exiſtimet, tot Abbates, & Præpoſitos, qui etiam Præſulum nomine interdum inſigniuntur, ad hanc Synodum diœceſanam confluxiſſe: ut ut ne id quidem appareat veriſimile, ſilentibus de tanto Præſulum numero Actis ejusdem Synodi.

Q q

recenſione fit mentio Orationis, ad Synodum Sabarienſem habitæ; ſed Orator *P. Marcus Horvá h* non recte illic appellatur, cum ex Hiſtoria S. I. Provinciæ Auſtriæ conſtet, eundem *P. Marcum* cognomine *Pitacichium* fuiſſe. *Zachinus*, uti ſupra vidimus, croaticum hoc nomen latina inflexione in *Pithodium* refinxit.

Sub idem vero tempus, quo *Berexaſius* Varadini apologiam ſuam contra Sabarienſem Synodum, & orationem P. *Marci* excudi faciebat, Romæ *Sixtus V.* Pontifex Maximus, poſtulante *Rudolpho* Cæſare, *Georgium Draſcovitium* Collegio Cardinalium adſcripſit. Id ad annum Chriſti 1585. (qui ob correctionem Calendarii memoratu cæteroquin digniſſimus eſt) ſimulque altero poſt anno ſubſecutam *Draſcovitii* Cardinalis mortem hunc in modum *Iſtvanſius* exequitur: „ Gregorio, „ inquit, vita functo Sixtus V. ſucceſſit. Is Cæſare etiam atque etiam commen„ dante, Georgium Draſcovitium Epiſcopum Jaurinenſem, & Cancellarium Vn„ garicum, virum doctum, ac vitæ, morumque ſanctimonia & pietate celebrem „ in Cardinalium collegium cooptavit, miſſo ad eum Viennam per Gaſparem, „ e familia Armorum Bononenſium patritium, purpureo galero; quem cum no„ mine ſummi Pontificis in templo divi Auguſtini de manu Gaſparis Epiſcopi „ Viennenſis accepiſſet, ipſe demum Erneſtum, Mathiam, & Maximilianum, „ Auſtriacos Principes, Cæſaris fratres, ceremoniæ ejus ſpectatores, nec invita„ tos, ſed pro ſingulari ipſorum humanitate, ac erga ſe benevolentia ultra ve„ nientes, convivio excepit. Sed non diu ea ampliſſimæ dignitatis acceſſione læ„ tari potuit: cum enim vix biennium in ea expleviſſet, & a Pontifice in urbem „ vocaretur, dum rebus neceſſariis comparandis, ac Romani itineris rationibus „ ineundis operam impendit, gravi dyſenteria oppreſſus, ſexageſimo ſecundo „ ætatis anno vita functus eſt, non ſine Cæſaris, & Pannoniorum Procerum do„ lore, qui eum cum propter ſingulares corporis, animique ejus dotes plurimum „ amabant; tum vero, quod a ſexaginta & amplius retroactis annis neminem in „ Pannoniæ regno poſt Thomæ Bacocii obitum Cardinalem fuiſſe meminiſſent. „

Obiit Viennæ ultima die Januarii, ut ex Literis Erneſti Archiducis eadem die ad Cameram Poſonienſem datis colligere licet. Corpus tamen defuncti Jaurinum fuit advectum, & in Cathedrali Eccleſia reconditum. Marmor ſepulcrale, quod ei poſt annos quinquaginta Pronepos homonymus, itidem Jaurinenſis Epiſcopus (priore monumento ſub finem ſæculi ſexti decimi a Turcis violato) poſuit, exhibet ſequens Epitaphium;

GEORGIO DRASKOVITS S. R. E. TIT. S. STEPHANI DE
MONTE COELIO PRES. CARD. ARCHIEP. COLOCEN. EPISC. IAVRINEN.
ET COMITI S. C. R. M. CONSIL. PER. HVNG. LOCVMTEN.
PRIVS EPISC. QVINQVE ECCLESIEN. ORATORI IN CON. TRIDENT.
EPISC. ZAGRABIENSI. DALM. CROA. SCLAV. BANO. PER HVNG.
CANCELL. AVVNCVLO SVO MVNIIS VITAQVE DEFVNCTO
PRIDIE CAL. FEB. MDLXXXVII.

In medio eſt ſcutum gentilitium, Gryphus globum pede anteriore ſtringens. Infra vero hæc Inſcriptio:

GEORGIVS DRASKOVITS EPISCOP. IAVRINEN. ET COMES.
ABBAS PORNEN. CRVCIGER SOPRONIEN. S. C. R. M. CONSIL.
PRONEPOS VETERI MONVMENTO A TVRCIS LABEFACTATO
NOVVM POSVIT PRIDIE CAL. FEB. MDCXXXVII.

Auctor ſpeculi Eccleſiæ Jaurinenſis prodit, corpus ejusdem Cardinalis *Draſcovitii* conditum fuiſſe in tumba ſtannea, quæ centum poſt annos refuſa eſt in lavacrum, Sacerdotibus in Sacriſtia ſerviturum, additis his verſibus:

„ Purpurei Patris texi centum oſſa per annos
„ Jam lavo ſacratas tumba refuſa manus „ *k*).

Meminit RR. *Pray* in ſpecimine Hierarchiæ Hungaricæ *l*), Actorum Concilii Tridentini, ex Epiſtolis ultro citroque datis, ac redditis, ac in ordinem chronologicum ab hoc Præſule digeſtis, conflatorum, pollicetur que hoc opus, quoniam dignum luce eſt, a ſe poſtea vulgandum. Quod ut fiat, magnopere optamus.

CAPUT III.

De rebus Sabariae ſub reliquis Epiſcopis Jaurinenſibus in exitu Saeculi XVI. & initio XVII. Conſcriptio redituum arcis Sabarienſis. Damna Sabarienſium durante Botskaiano tumultu. Nova veterum Privilegiorum inſtrumenta. Franciſcani Sabariam reducti.

GEORGIO *Draſcovitio* Seniori, pridie Cal. Febr. 1587. extincto, in Epiſcopatu Jaurinenſi, & munere Cancellarii Hungarici ſucceſſit *Petrus Heresyncius*, menſe Octobri e Zagrabienſi Sede iſthuc translatus. Memoriam hujus Præſulis in Archivo Epiſcopali Sabarienſi retinet Apocha, anno 1588. data, ſuper nongentis florenis, qui eidem a Domino *Franciſco de Nádasd* pro Decimis caſtri *Sárvár*, & poſſeſſionis *Locsmandecz* perſoluti fuere. Meminit ejusdem *Iſthvanfius* quoque ad annum 1589. cum nomina legatorum, qui in Poloniam ad liberandum e cuſtodia Rodlonenſi Archiducem Maximilianum miſſi erant, recenſet. Ibi fuere, in-

k) Spec. Iaur. Eccl. p. 88.
l) P. I. pag. 255.

quit, ex Hungaris *Petrus Hereſyncius* Epiſcopus Jaurienſis, & Cancellarius Vngaricus, ac *Nicolaus Iſthvanfius* Propalatinus *m*). Obiit anno 1590. Ab ejus autem obitu cum ſedes Jaurinenſis aliquandiu vacaſſet, Regia voluntate omnes fundi, ac reditus ad arcem Sabarienſem eo tempore ſpectantes, conſcripti fuere. Conſcriptionis hujus elenchus, in compendio mihi communicatus, hunc habet titulum :-

„ Vrbarium Arcis Sabarienſis, poſt obitum Petri Hereſenczii Epiſcopi „ Jaurienſis, per Stephanum Baranyai de Eötsén, Regiæ Majeſtatis Domus Archi„ epiſcopalis Poſonienſis Proviſorem, & Lucam Zeller ejusdem Majeſtatis Ma„ giſtri Rationiſtarum Cameræ Hungaricæ Coadjutorem, anno 1590. conſcriptum, „ & ex Archivo Camerali anno 1658. extradatum; in quo Oppidum Rakos, „ Poſſeſſio Perénth, Ujfalu, Zira, Himod, Sanath, Püſpöki: præterea Prædia „ Sz. Iván, & Sorok, Oppidum ipſum Sabariæ, ad Arcem Sabarienſem ſpectan„ tes, & pertinentiæ, prout etiam illius temporis præſcriptorum locorum coloni, „ & inquilini, horumque cenſus, ſervitia, muneralia, molendina, cum deſcri„ ptione ſitus, ac ſtatus, appoſita habentur. Numerus porro ſeſſionum deſerta„ rum, ac populoſarum, a qualibet Poſſeſſione, & Oppido exiſtentium, recen„ ſetur: non ſecus decimæ ad eandem Arcem ſpectantes, modusque arendatio„ nis, & quantitas Summarum arendatitiarum debito ordine connotantur. „

Peracta conſcriptione, Dominium Sabarienſe obtinuit *Joannes Kuthaſſi*, ex Epiſcopatu Quinque Eccleſienſi anno 1592. ad Jaurinenſem promotus. Qui cum Cancellarii ſimul munere fungeretur, eodem mox anno cum *Palſio*, & *Nadasdio* Pragam profectus eſt, opem Cæſaris adverſus Boſnenſium Turcarum maleficia imploraturus. Nec defuit Cæſar ſuis partibus: ſed res Hungariæ eo tunc loco erant, ut alternis cladibus decertandum fuerit. Anno 1594. Jaurinum, Epiſcopi ſedes, in Turcarum poteſtatem venit, *Hardekio* cum ſex millibus præſidiariorum *Sinani* ſe ſe dedente; nec prius, quam anno 1598. recuperatum eſt *Schwarzenburgii*, & *Palfii* virtute. Interea vero *Joannes Kutaſſi* ad Colocenſem, & hinc ad Strigonienſem Archiepiſcopatum evectus, ſimulque Regii Locumtenentis dignitate ornatus fuit *n*).

---

m) Hiſt. Lib. XXVI. p. 551.

n) P. I. Hier. Hung. p. 182. ad ann. 1597. ubi notatur, eodem anno die VI. Februarii collatam eidem fuiſſe pro ſubſidio menſæ Abbatiam S. Martini Montis pannoniæ. In Bibliotheca Regiæ Univerſitatis Hungaricæ adſervatur Tabella lignea, in qua opere eleganti exſculpta cernitur Servatoris Chriſti, binos inter latrones de cruce pendentis, effigies, adſtantibus Deipara, S. Joanne Evangeliſta, quinque militibus Romanis, aliisque duabus figuris. Infra vero hæc Inſcriptio aureis characteribus in charta tabellæ adglutinata:

„ Hæc Effigies, olim Sacratiſſimi Principis FERDINANDI Romanorum Imperatoris „ fuerat; ex Aerario Sacratiſſimi Principis RUDOLPHI II. Regis Hungariæ, Anno Dominu 1598. „ 1. Januarii Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo JOANNI KUTHASSI, Archiepiſcopo Strigo-

De *Martino Pethe*, qui primum Epiſcopus Vacienſis, dein Varadienſis, ac demum ab anno 1598. Jaurinenſis, unaque Archiepiſcopus Colocenſis fuerat, hæc inter alia narrat *Iſtvanfius* ad annum 1605 *o*). „ Paullo antequam *Baſta*, „ quamquam duobus prœliis victor, non ſecus tamen, ac ſi victus eſſet, Poſo- „ nium veniſſet, *Martinus Peteius* Epiſcopus Jaurinenſis, qui Pro-Regiæ digni- „ tatis locum obtinebat, SABARIAM venit, ut tutiore loco ab hoſtibus foret, „ quos eo nequaquam perventuros putabat: verum cum nec in ea Arce, quæ „ debilibus, & infirmis muris conſtabat, ſatis fidere poſſet, petita a *Franciſco Bat-* „ *tyánio* in arce ſua Solonocia manſione, dum eo proficiſceretur, a militibus „ Cæſareanis, *Körmendini* ſtipendia merentibus, quibus *Marcus Pecquius*, Hie- „ ronymi filius, & ejus Legatus *Melchior Ratkius* præerant (Sed *Pecquius* au- „ ditis hiſce motibus ſe in Auſtriam receperat) pari cum Haidonibus perfidia „ agitatis, in itinere rebus omnibus ſpoliatus fuit, mirumque videri potuit, eum „ impias ſceleratorum manus, quin cæderetur, evadere potuiſſe. Nec multo poſt „ hyeme ſecuta, tutioribus viis *Viennam* delatus, morbo articulari, & annis „ gravis vitam cum morte commutavit, ac a *Ladislao Peteio* fratre Poſonii tumu- „ latus eſt. „ Ex hac narratione pronum eſt intelligere, quam triſtis ac luctuoſus eo tempore fuerit Hungariæ ſtatus, hinc Turcis, inde Botskaianæ factionis hominibus omnia diripientibus, ac evaſtantibus.

Ejusdem *Mártini Pethe* de *Hetes*, qua Epiſcopi Jaurinenſis, ac Domini Arcis Sabarienſis memoriam reperio in Actis, *Meſzlenienſes* nobiles prædiales, qui olim Jaurinenſibus Epiſcopis obnoxii erant, concernentibus. Ad ejus enim preces anno 1602. *Rudolphus* Cæſar edixit, ut reviſio cauſæ, ac litis, inter Epiſcopum Jaurinenſem, ac nobiles *Meſzlenienſes* agitatæ, *Nicolao Jſthvanfio*, Janitorum Regalium tunc Magiſtro, & *Joanni Ivo* de *Kaſza háza*, Vices Locumtenentis Regii obeunti, delegaretur.

Iſthvanfius, cujus nunc memini, antea Propalatinus, nunc Janitorum Regalium Magiſter non eſt diverſus ab illo, qui in hiſtoria ſua, uti paullo ante vidimus, teſtatur Præſulem *Martinum Pethe* Viennæ Auſtriæ anno 1605 mortuum, Poſonii autem tumulatum fuiſſe. Quamobrem falluntur, qui eum in *Scepuſio* obiiſſe, e ſequente Elogio, quod lapidi inciſum in Cathedrali Eccleſia Scepuſienſi ſupereſſe dicitur *p*), arguunt:

„ Haud redit in cineris juſti cum corpore fama,
Surgit ab exequiis, caſſaque fine viget.

„ nienſi, & Primati Regni Hungariæ Locumtenenti, Sacræ Cæſareæ, & Regiæ Majeſtatis Con- „ ſiliario &c. per Magnificum Dominum, Dominum JOANNEM PERNAUER, Cubicularium „ ejusdem Principis, dono data. „

o) Hiſt. Lib. XXXIV. p. 508.

p) P. II. Hier. Hung. p. 83.

Aſpice, qui veterum recolis monumenta, celebre
Magni μνημοσυνον, σαρκοφαγονque Viri.
Hic Martinus erat Pethei Stemmatis author,
Inſula cui meriti ceſſit honoris apex:
Delphica quod Grajis fulſit cortina, ſacrato
Hoc ille Imperio, Pannoniæque fuit.
Os maduit Sophia, mentem fervebat honeſto,
Munificus, comis, propoſitique tenax.
Plurima in ambiguis Legatio credita rebus
Appoſuit tantis pondera nominibus. „

Cum tamen in his verſibus mentio fiat *Sarcophagi* (quæ vox urnam ſepulcralem ſignificat) fieri quidem poteſt, ut corpus Epiſcopi *Pethe*, quod a *Ladislao* fratre Poſonii tumulatum fuiſſe *Iſthvanfius* ſcribit, vel corporis ejusdem Lipſana ſerius fuerint in *Scepuſium* translata per aliquem e familia Petheiana illic habitantem, qui proinde ea occaſione hoc ei Mnemoſinon, tamquam Pethei ſtemmatis auctori poſuit. At vero in Scepuſio eundem obiiſſe, hi verſus neutiquam evincunt. Fides ergo potius habenda ſupra laudato *Iſthvanfio*, præſertim cum hic ut locum, ita annum quoque, genusque mortis *Martini Pethei* indicet, quæ in Scepuſienſi lapide fruſtra quæras. Ceterum etiam *Poſonii* ſupereſt marmor ſepulcrale, in quo exſculptum cernitur ejusdem Præſulis ſimulacrum, ſupra quod epigraphe; *Non eſt volentis*, *neque currentis*, *ſed miſerentis Dei*. Infra vero ſequens Epitaphium:

„ Urna brevis claudit Martini Antiſtitis oſſa
Famam, & virtutes claudere nemo poteſt.
Si genus & ſtirpem, & natalia Stemmata quæris,
Claros Peteo e ſanguine jactat avos.
Judicium ſpectas divæque oracula mentis,
Regia Rudolphi nomine jura dedit.
Inclyta ſacrarum virtutum inſignia poſces,
Mitra ſacro capiti tradita quina fuit.
Num majora petis? potuit, quo maximus eſſet,
Exul pro fidei & Regis amore mori. „

„ Mortuo Viennæ Anno MDCV. die 3. Octobr. Ætat. LIII. Frater ejus Ladislaus S. C. R. M. Conſiliarius poſuit hæc Anno MDVII. „

Vacante ab obitu *Marthini Pethe* Sede Jaurinenſi Cives *Sabarienſes* ad ſummam egeſtatem redacti erant, graſſantibus adhuc Turcis, Tartaris, & Botskaianis militibus. *Sabaria* ferro ignique vaſtata, ac majori ex parte ſolo æquata;

Cives permulti partim trucidati, partim captivi abducti. Ad malorum cumulum acceſſit conflagratio Tabularii, in *Arce Németh-Ujvár*, quo illi privilegia ſua, & alia literalia inſtrumenta, tamquam ad locum tutiorem nuper tranſtulere. Commemorantur hæc in novo privilegiorum inſtrumento, quod eis *Demetrius Napragy*, anno 1607. e Weſprimienſi electus Jaurinenſis Epiſcopus, elargitus eſt. En ejus apographum *q*):

„ Nos DEMETRIUS NAPRAGY electus Epiſcopus Jaurinenſis, loci„ que ejusdem Comes perpetuus, Præpoſitus Poſonienſis, Abbas Piliſienſis, & „ ſacratiſſimæ Cæſareæ, Regiæque Majeſtatis Conſiliarius &c. memoriæ commen„ damus tenore præſentium ſignificantes, quibus expedit univerſis: quod pruden„ tes & circumſpecti viri, Paulus Hethéſy Judex, & Michaël Zele Juratus, Ci„ ves oppidi noſtri Sabarienſis, noſtram venientes in præſentiam ſuis, & alio„ rum univerſorum civium, & incolarum dicti oppidi noſtri Sabarienſis nomi„ nibus, & in perſonis, afflictam, & calamitoſam vitæ conditionem, ſummam „ miſeriam, & plane extremam inopiam ipſorum, dictique oppidi, ſeu civitatis „ Sabarienſis, tumultibus in Hungaria graſſantibus, per Turcas, Tartaros, Haj„ dones, & alios milites exuſti, majorique ex parte ſolo æquati, incredibilem „ deſolationem, ac ruinam, quam nos ipſi experientia certam eſſe perſpeximus, „ nobis ſumma cum demiſſione animi declarando: Inſuper, quomodo memo„ rati cives, ac incolæ noſtri Sabarienſes his retro actis temporibus metu, & „ terrore perculſi, maximisque adverſæ fortunæ telis expoſiti, hoſtibusque un„ diquaque circumſepti, ſibi, poſteris, & ſucceſſoribus ſuis univerſis conſulere, „ & proſpicere volentes, Literas Privilegiales totius civitatis noſtræ Sabarienſis „ per Anteceſſores noſtros, bonæ recordationis Epiſcopos Jaurinenſes, de, & „ ſuper certis libertatibus ipſis conceſſas, perque divos Hungariæ Reges, novi„ ter vero per ſuam Cæſaream Majeſtatem confirmatas, & gratioſe roboratas, „ in Arcem quandam Nemeth-Ujvár nuncupatam, locum tutum, & firmum, „ majoris ſecuritatis cauſa deportaſſent, ibidem malo caſu, & infortunio, incen„ dio exorto, domoque illa, ubi privilegia, & literalia inſtrumenta memorato„ rum civium Sabarienſium aſſervabantur, conflagrata, atque ex vehementi im„ petu flammæ collapſa, dictæ Literæ privilegiales ſæpius dictorum civium, & „ incolarum noſtrorum Sabarienſium interierunt, voragineque ignis abſumtæ „ ſunt. Ea propter dicti cives civitatis noſtræ Sabarienſis huic malo, & infor„ tunio ex amiſſione privilegiorum accepto, ne ipſis & per conſequens ſucceſ„ ſoribus ipſorum civium, & incolarum noſtrorum dicti oppidi noſtri Sabariæ, „ uſus libertatis priſtinæ per terreſtres ſuos dominos, aut quosvis alios poſ„ ſeſſores, temporis ſucceſſu tollatur, tempeſtive, & mature mederi volentes, „ petierunt a nobis ſumma cum precum inſtantia, & ceterorum civium, ac „ incolarum dicti oppidi noſtri Sabarienſis nominibus, & in perſonis, ut denuo

q) Ex Originali, quod extat in Archivo Epiſc. Sab.

„ ipſis civibus, & incolis noſtris Sabarienſibus Literas privilegiales in tranſumpto
„ privilegialiter ſub Sigillo noſtro, pro jurium ſuorum futura cautela, extra-
„ dari gratioſe vellemus, ex Literisque privilegialibus memoratorum civium per
„ ſuam Majeſtatem Cæſaream poſtremo benigne confirmatis, antea deſumptum
„ tenorem, ſeu paria (Literis privilegialibus dictorum Oppidanorum noſtrorum,
„ ut præmiſſum eſt, per ignem abſumptis) omniaque & ſingula in earundem
„ Literarum privilegialium tenore, & paribus contenta, ratas, gratas, & ac-
„ cepta habentes, Literisque noſtris de verbo ad verbum inſeri, & inſcribi
„ facientes, denuo approbare, roborare, & ratificare, ac pro præfatis civibus,
„ & univerſis incolis, & inhabitatoribus prædictæ civitatis noſtræ Sabarienſis,
„ ipſorumque poſteris, & ſucceſſoribus univerſis innovantes, perpetuo valituras
„ gratioſe confirmare dignaremur. Quarum quidem Literarum privilegialium, ut
„ dictum ſæpius eſt, per ſuam Majeſtatem Cæſaream confirmatarum deſumptus
„ tenor ſequitur in hæc verba: Nos RUDOLPHUS &c. *ut ſupra.*

„ Nos itaque præfatorum Prudentum, & circumſpectorum Pauli He-
„ théſſii Judicis, & Michaëlis Zele Jurati civis Oppidi noſtri Sabarienſis, ce-
„ terorumque univerſorum civium, & incolarum præfati oppidi Sabarienſis,
„ maximis, & pene extremis miſeriis, & afflictionibus permoti, tum quia etiam
„ perſpectum habemus, dictos cives Sabarienſes Litteras atteſtationales V. Ca-
„ pituli noſtri Caſtrifer. authentico ſub ſigillo ſuper antiquis ipſorum privilegiis
„ habere, cum vero hactenus ſemper libertatis prærogativa ſecundum ſupra
„ ſcriptam ordinationem, & compoſitionem, in Literis Reverendiſſimi quondam
„ Domini Joannis Epiſcopi Jaurinenſis, anno Domini 1407. emanatis, expreſ-
„ ſam, gaviſos fuiſſe, & in uſu privilegiorum dictos oppidanos absque omni
„ impedimento perſtitiſſe, attendentes, ideo quod per hujusmodi privilegiorum
„ dicti oppidi noſtri Sabarienſis per nos denuo iteratam confirmationem ipſa ci-
„ vitas Sabarienſis ad incrementum Eccleſiæ noſtræ, honorem quoque, & di-
„ gnitatem noſtram, & ſucceſſorum noſtrorum meliorari, locupletari, & exu-
„ berari poterit in futurum. Idcirco dicta Paria Literarum privilegialium civitatis
„ noſtræ Sabarienſis, ex Literis confirmationalibus prælibati Domini Domini
„ noſtri clementiſſimi Rudolphi Secundi Dei gratia electi Romanorum Impera-
„ toris, ac Germaniæ, Hungariæ, & Bohemiæ &c. Regis deſumpta, in ſe con-
„ firmative tenores Literarum privilegialium ſanctiſſimorum condam Romanorum
„ Imperatorum Maximiliani, & Ferdinandi Hungariæ Regum, nec non Reve-
„ rendiſſimorum Dominorum quondam Joannis, ac alterius Joannis Goſzton, &
„ Blaſii Paxii, Epiſcoporum Jaurinenſium, comprehendentia, & continentia
„ præſentibus Literis noſtris privilegialibus de verbo ad verbum tranſumi, in-
„ ſeri, & inſcribi fecimus, ſine omni diminutione, & augmento aliquali ratas,
„ gratas, & accepta habendo approbamus &c. - - In cujus rei memoriam, fir-
„ mitatemque perpetuam præſentes Literas noſtras privilegiales authentico Sigillo

noſtro

„ noſtro impendenti, & manus noſtræ ſubſcriptione roboratas, & commu-
„ nitas, eisdem civibus noſtris Sabarienſibus duximus dandas, & concedendas.
„ Datum Poſonii prima die menſis Junii Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo
„ Septimo. „

Sequente anno *Demetrius Napragy* Archiepiſcopatum Colocenſem obtinuit, retenta adminiſtratione Epiſcopatus Jaurinenſis. *Sabarienſes* vero cives anno 1610. regiam privilegii Napragyiani confirmationem impetrarunt, quæ hujusmodi eſt:

„ Nos MATHIAS Secundus Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ,
„ Croatiæ, Sclavoniæ, Ramæ, Serviæ, Gallitiæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bul-
„ gariæque &c. Rex, deſignatus in Regem Bohemiæ, Archidux Auſtriæ, Dux
„ Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, Marchio Moraviæ, Comes
„ Habſpurgi, Tyrolis, & Goritiæ &c. memoriæ commendamus tenore præſentium
„ ſignificantes quibus expedit univerſis: quod Nobiles Paulus Hethéſſy, & alter
„ Paulus Literatus, alias Thapolczay, cives, & inhabitatores oppidi Sabarienſis,
„ ſuis & aliorum univerſorum civium, & incolarum dicti oppidi Sabarienſis no-
„ minibus, & in perſonis exhibuerunt, & præſentaverunt nobis quasdam Literas
„ Reverendi Demetrii Napragy Colocenſis, & Bachienſis Eccleſiarum canonice
„ unitarum Archiepiſcopi, Adminiſtratoris Epiſcopatus Jaurinenſis, Locorumque
„ eorundem Comitis Perpetui, & Conſiliarii noſtri, tunc vero Electi Epiſcopi
„ Jaurinenſis, Locique ejusdem Comitis perpetui, Præpoſiti Poſonienſis, Ab-
„ batis Piliſienſis, & ſacratiſſimæ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis Conſiliarii &c.
„ in Pargameno, & forma Libelli confectas, ſigilloque ejusdem majori im-
„ pendenti, ac manus ſuæ ſubſcriptione communitas, quibus mediantibus ante-
„ latorum civium, & incolarum præfati Oppidi Sabarienſis, ad petitionem
„ eorum ſumma cum precum inſtantia, apud eundem facta, Literas eorum pri-
„ vilegiales ſuper immunitatibus, exemptionibus, & libertatibus eorum, a præ-
„ deceſſoribus ſuis, quondam Epiſcopis Eccleſiæ Jaurinenſis, collatis factas, &
„ emanatas, ac per Sereniſſimos, Rudolphum Secundum Fratrem noſtrum obſer-
„ vandiſſimum Maximilianum Secundum Genitorem nempe, & Ferdinandum
„ Avum videlicet noſtros chariſſimos, electos Romanorum Imperatores, ac Reges
„ &c. confirmatas, & roboratas (Siquidem originales eorum Literæ ſuperioribus
„ bellorum, & ſeditionum in Hungaria motibus vigentibus in arce quadam Né-
„ meth-Ujvár nuncupata, quo nimirum tamquam locum tutum, & firmum, ma-
„ joris ſecuritatis cauſa deportaſſent, ibidem malo caſu, & infortunio incendio
„ exorto, Domoque & habitatione illa, ubi Privilegia, & literalia inſtrumenta
„ memoratorum civium Sabarienſium aſſervabanrur, conflagrata, dictæ etiam Li-
„ teræ privilegiales ſæpius dictorum civium, & incolarum Sabarienſium interiiſſent
„ &c.) - - - confirmaſſe dignoſcebatur. Supplicatum itaque Majeſtati noſtræ hu-

„ militer extitit - - - quatenus easdem Literas Demetrii Napragy - - - confirmare
„ dignaremur &c.

„ Nos itaque - - - approbamus - - - & confirmamus, ſalvis Juribus
„ alienis, harum noſtrarum ſecreto ſigillo, quo ut Rex Hungariæ utimur, im-
„ pendenti communitarum vigore, & teſtimonio Literarum. Datum per manus
„ Fidelis noſtri nobis dilecti Reverendi Valentini Lépes, Epiſcopi Nitrienſis,
„ Locique ejusdem Comitis perpetui, Conſiliarii, & Aulæ noſtræ per Hungariam
„ Cancellarii, in civitate noſtra Vienna Auſtriæ, die decima menſis Decembris,
„ Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo Decimo, Regnorum noſtrorum Hun-
„ gariæ, ac reliquorum Anno Tertio. Reverendiſſimis ac venerabilibus in Chriſto
„ Patribus Dominis Franciſco Forgách de Ghimes, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
„ Preſbytero Cardinale Strigonien. & Demetrio Napragy Colocen. & Bachien.
„ Eccleſiarum canonice unitarum, Archiepiſcopis, Fratre Simone Bratulyts Za-
„ grabien. Nicolao Migatio Varadien. eodem Demetrio Napragy Adminiſtratore
„ Jaurien. præfato Valentino Lépes Nitrien. Petro Dominovich electo Quinque
„ Eccleſien. Franciſco Erghelio Veſprimien. Mathia Herovitio electo Chanadien.
„ Georgio Mathiſio electo Tininien. Ladislao Maythini electo Sirmien. & Joanne
„ Thelegdy electo Boznen. Eccleſiarum Epiſcopis, Eccleſias Dei feliciter guber-
„ nantibus, Tranſilvan. Segnien. & Modruſien cathedralibus ſedibus vacantibus.
„ Item Spectabilibus, ac Magnificis, Comite Georgio Thurzo de Bethlemfalva,
„ prædicti Regni noſtri Hungariæ Palatino, Sigismundo Forgách de Ghymes
„ Judice Curiæ noſtræ, Comite Thoma Erdödy de Monyorokerek, dictorum Re-
„ gnorum noſtrorum, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Bano, Joanne Drás-
„ kovich de Trakoſtyán Tavernicorum, Franciſco de Batthyán Agazonum,
„ Andrea Doczy de Nagy Luche Cubiculariorum, Thoma Széchy de Rima Széch
„ Dapiferorum, Georgii Drugeth de Homonna Pincernarum, Petro de Réwa
„ Curiæ noſtræ, & Nicolao Iſtvánffy de Kiſs Aſzſzonyfalva Janitorum noſtrorum
„ Regalium in Hungaria Magiſtris, Stephano Palffy de Erdöd Comite Poſo-
„ nienſi, ceterisque quamplurimis Regni noſtri Comitatus tenentibus, & ho-
„ nores. „

Ad reliquos annos, quibus Eccleſia Jaurinenſis adminiſtratorem habuit *Demetrium Napragy*, de rebus Sabarienſibus hæc reperi in chartis ſynchronis *r)*: Anno 1612. Familia *Szombathelyiana* exemptionem, & libertatem ſuæ Domus Sabarienſis adverſus Caſtellanum Epiſcopalem, cenſus ordinarios exigere volentem, coram Comitatu Caſtriferrei probavit. Anno 1613. Sedes dominalis in Arce Sabarienſi celebrata eſt, qua occaſione cum Nobilis *Paulus Tapolczai* Judex, & *Nicolaus Mészáros* civis oppidi Sabarienſis delati eſſent, quod falſa moneta ſcien-

---

r) Archiv. ſupra cit.

tes uterentur; prior quidem ob nobilitatem ſuam ab impetitione Sedis dominalis abſolutus fuit, alterius vero cauſa in aliud tempus erat rejecta. Anno 1615. inquirebatur, an *Demetrius Napragy* Epiſcopus Jaurinenſis privilegium civibus Sabarienſibus ea ſub conditione confirmaverit, ut Judicem, & Senatores ſemper Romano-Catholicos eligant; ſecus vero nulla ut eſſet vis privilegii confirmati. Anno 1617. *Georgius Tapolczai* Bonorum Abbatiæ Pornenſis Præfectus, domum ſuam, quam *Sabariæ* in platea, *Gyöngyös-Utza* vulgo dicta, Domibus *Haraſztoviczai*, & *Nicolai Eöry* vicinam poſſidebat, ſexcentis florenis *Franciſco Szombathelyio* vendidit, contradicente *Franciſco Zantoházi*, Perſonalis Præſentiæ Regiæ Pronotario, qui eadem pecuniæ ſumma depoſita, hanc Domum jure præemptionis ſibi vendicavit.

Obitus *Demetrii Napragy* incidit in annum 1619. cui tam in Archiepiſcopatu Colocenſi, quam in adminiſtratione Epiſcopatus Jaurinenſis ſucceſſor datus eſt *Valentinus Lépes*, ex Nitrienſi translatus. Conciones Hungarico idiomate ab hoc Præſule conſcriptæ, ac editæ, liberque ejusdem de quatuor noviſſimis, ſolet rarioribus accenſeri. Inter documenta Archivi Sabarienſis ſupereſt apographum Mandati, nomine regio *Ferdinandi II.* anno 1620. in favorem *Adriani Bakáth* de *Szent György Völgye* ſcripti, qno Capitulum Caſtriferrenſe jubetur admonere Antiſtitem *Valentinum Lépes*, ut pro Decimis ex poſſeſſione *Mártonfalva* obvenientibus, quas Deceſſores illius elocaverant, triginta florenos levare velit. Reſponſum fuit ab Antiſtite, malle ſe Decimas in natura, quam dictam pecuniæ ſummam percipere.

Frequentior in documentis ejusdem Archivi mentio fit *Nicolai Dallos* (al. *Dallocz*) qui anno 1623. ex Vacienſi ad Jaurinenſem tranſiit Epiſcopatum: nominatur nempe in iis chartis, in quibus de decimis, aliisque reditibus, ac juribus Eccleſiæ Jaurinenſis, dominiique Sabarienſis agitur. Auctor *Speculi Eccl. Jaur.* eundem celebrat a fundato Jaurini Seminario Cleri junioris, & ab introductis in eam urbem Patribus Soc. Jeſu *s*). Huic anno 1630. ſucceſſit *Stephanus Sennyei de Kiſs-Sennye*, qui primo ſtatim ſui Epiſcopatus anno *Sabariam* reduxit Religioſos Ordinis S. Franciſci, qui Fratres Minores ſtrictioris obſervantiæ, ac vulgo *Franciſcani* adpellantur, eisque Monaſterium & Eccleſiam reſtauravit. De hac reſtauratione agens *P. Eugenius Koſa* in Antiquario ſuo MS. primum inveſtigat, quonam circiter anno Fratres ſui Ordinis Conventum Sabarienſem, dudum antea poſſeſſum, deſeruerint; poſtea deſcripto illorum reditu, fata ejusdem Conventus ad noſtram usque ætatem perſequitur.

„ In communi illa, inquit, Patriæ tempeſtate funeſtiſſima poſt cladem
„ Mohacſianam, ac dein, poſtquam Solimannus Anno 1541. Budam in ſuam

s) Spec. Eccl. Jaur p. 94.

„ conſtanter redigeret poteſtatem, nec ſecus in continenti, Strigonium, Quinque
„ Eccleſias, Albam, ac denique Szigethum anno 1566. expugnaret, totamque
„ hanc plagam, Styriam, Auſtriamque verſus infeſtaret, incurſaretque, dum lu-
„ gubri, ac formidoloſo hocce tempore nullibi quies, nuspiam ſecuritas, viris
„ præſertim Religioſis, affulgeret, Patres noſtri cum cæteris Religioſis &
„ Eccleſiaſticis ad tutiora ſe receperunt. Determinatum quidem annum ex-
„ cidii, quo Patres noſtri Conventum Sabarienſem deſeruere, nuspiam adno-
„ tatum invenio, id tamen ante annum 1557. factum fuiſſe collimo ex Ar-
„ chivo Capituli Caſtriferrei, nunc Sabariæ conſtituti, e cujus Protocollis
„ fide integra communicatum teneo, qualiter Reverendiſſimus *D. Paulus de Gre-*
„ *goriancz* Epiſcopus Jaurinenſis, noſtro hoc veteri Sabarienſi Conventu jam de-
„ ſolato, uſum prati, *Nagy Szapu Réth* dicti, olim ad idem deſertum monaſterium
„ pertinens, anno 1557. fratri ſuo *Ambroſio Gregorianc* contulerit, ſub onere
„ unius floreni pauperibus annue elargiendi. Et vero habuerat hic pariter Conven-
„ tus plura olim adnexa bona, unde longo poſtea tempore etiam *Sylva*, *&*
„ *pratum Monachorum* dicebatur. Immo fundus antiqui & moderni Conventus,
„ *Szöke Föld* dictus, ad ipſum monaſterium pertinuiſſe, traditio vetuſta affirmat;
„ quaſi *Szökek Földe*, ſeu *terra Griſeorum*, nempe Religioſorum, qui coloris
„ griſei veſtitu amicti fuerunt. Aſt horum omnium documenta, eadem cum
„ Conventu forte, interierunt. „ His addi poteſt: in Actis Synodi, Sabariæ anno
1579. celebratæ, nullam prorſus Franciſcanorum Sabarienſium mentionem reperiri.
Unde ex hoc etiam capite conjectura de monaſterio jam circa medium ſæculi
ſextidecimi evacuato, ac deſerto, prorſus veriſimilis evadit.

„ Poſteaquam vero (iterum verba *Eugenii Koſa* exſcribo) hicce Con-
„ ventus annis circiter octoginta deſolatus, & ſuis ruderibus conſepultus fuiſſet,
„ accuratiori indagine perveſtigans Illuſtriſſimus *D. Stephanus Sennyei* Epiſcopus
„ Jaurinenſis, ac Regni Hungariæ Cancellarius, quorumnam Religioſorum Cœ-
„ nobium iſthic olim ſitum fuerit? Comperta dein rei veritate, deſertum hocce
„ monaſterium per Literas Patentes (extant hæ in Archivo Provinciæ) huic
„ noſtræ Provinciæ S. Mariæ in Hungaria, anno 1630. contulit, aſſignavit, reſti-
„ tuit, ac ſimul Senatui Sabarienſi præcepit, ut illud ſecundum juſtitiam, uni-
„ cuique jus ſuum tribuentem (verba ſunt Epiſcopi in prædictis Literis) Fratribus
„ noſtris reſtituat. Id quod Senatus promptiſſime fecit, ac reparatum utcunque
„ monaſterium noſtris reſtituit, ſolemni introductione in Feſto Nativitatis B. M. V.
„ habita. Quod ipſum teſtimoniales ejusdem Senatus Literæ perhibent hiſce
„ verbis: *A. R. P. Franciſcum Robuſtellum a Valle Telina, modernum videlicet*
„ *Provincialem dictorum Fratrum antelati Ordinis D. Franciſci ſtrictioris Obſer-*
„ *vantiæ Provinciæ Hungariæ, ac per conſequens FF. Franciſcanos die datarum*
„ *præſentium* (*anno* 1630. 8. *Sept.*) *in Monaſterium iſtud, in Suburbio nempe Op-*
„ *pidi Sabarienſis conſtructum, & habitum, tamquam vetuſtam ipſorum Reſidentiam*

„ *habentibus*, *ſolemniter*, *riteque*, *ac legitime introduximus &c.* Dein vero, cum „ reſtauratio per Senatum facta, exilis nimium eſſet, ipſe Ill. Epiſcopus Jaurinenſis *Stephanus Sennyei* ſua munificentia redintegravit, & in meliorem formam „ Conventum ſimul, & Eccleſiam anno 1633. coordinavit, ſequente autem conſecravit, die 2. Auguſti, ac divæ Eliſabeth, Filiæ Andreæ II. Regis Hungariæ, „ qua Pauperum advocatæ, una cum Ara majore dedicavit. Demum anno 1635. in „ Tabulario Provinciæ, aſſignato loci hujus Guardiano, Conventus fuit declaratus.„

Res aliæ ejusdem Monaſterii, quæ ad propiora ætati noſtræ tempora pertinent, compendio ita habent: Anno 1715. cum univerſum oppidum, parsque magna Suburbii conflagraret, eo incendio Turris Eccleſiæ, monaſterio conjunctæ, corruit, illæſa tamen (id quod prodigio ſimile videbatur) tum ipſa Eccleſia, tum Conventu Franciſcanorum. Anno 1726. idem Conventus Epiſcopo Jaurinenſi reſignavit pratum, *Nagy Szapu-Réth* nuncupatum, ad rivum *Sorok* ſitum, item duos agros prato adjacentes, ac ſilvam unam, erga annuam eleemoſynam, quam deinceps Epiſcopi Jaurinenſes Conventui tribuere conſueverunt. Anno 1730. eidem Conventui nova ædificii pars acceſſit, ſed, cum reſiduum ob vetuſtatem ruinam minaretur, pars vero adjecta informis eſſet, totum Monaſterium anno 1759. reædificari cœpit, tandemque anno 1766. una cum Templo in meliorem, & ſolidiorem formam exſurrexit, floretque etiamnum, dum hæc ſcribo.

CAPUT IV.

Singulare privilegium Sabarienſibus ab Imp. Ferdinando II. conceſſum, tempore junioris Georgii Draskovith Epiſcopi Jaurinenſis.

Post *Stephanum Sennyei*, cui Sabarienſes Franciſcani, uti *præc. Capite* dictum eſt, Monaſterii ſui reſtaurationem in acceptis referunt, Eccleſiæ Jaurienſi præeſſe cœpit junior *Georgius Draskovith de Trákoſtyán*, ſub finem anni 1635. Hoc Præſule Imperator ac Rex *Ferdinandus II.* ſingulare privilegium contulit civibus Sabarienſibus, quo eos, poſterosque ipſorum ab omni contributione, ad regium ærarium ſuum facienda, exemit, atque abſolvit, unico hoc onere impoſito, ut in conteſtationem grati animi, & ad fovendam ſpem ſuperventuræ benedictionis divinæ, Civitas Sabarienſis quovis anno ſummam quadraginta florenorum expendere debeat præſcriptos in uſus; nempe I. feſta luce ſancti Martini, inque templo ejusdem divi Præſulis, Judex, & Jurati cives Parocho loci, ſolemnem Miſſam decantanti, ad altare offerant quinque flor. hungaricos, alios vero quinque fl. eodem die inter egenos diſtribuant. II. ad reſtaurationem altarium, & ſupellectilis eccleſiaſticæ decem fl. conferant. III. reſiduos viginti fl. ad ſervanda ejusdem Templi

ſarta tecta convertant. In reliquo autem, ut Epiſcopo ſuo, utpote terreſtri ipſorum Domino, ſemper ſe ſe obedientes exhibeant, eidemque, quod hactenus conſueverunt, deinceps quoque non inviti perſolvant. Ad hoc privilegium Sabariæ conferendum permotus erat pientiſſimus Princeps, imprimis commiſeratione erga cives, incendio, aliisque adverſæ fortunæ caſibus ad ſummam egeſtatem redactos; deinde veneratione Sancti Martini Turonenſium Epiſcopi, in hac civitate nati: ac denique in memoriam victoriæ ſuæ, in octava feſtivitatis beati Martini contra Guſtavum Adolphum, Sveciæ Regem, quarto abhinc anno reportatæ. Hæc omnia in diplomate exprimuntur, quod hujus eſt tenoris *t*):

„Nos FERDINANDUS Secundus Dei gratia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ &c. memoriæ commendamus tenore præſentium ſignificantes, quibus expedit univerſis: quod nos cum ad nonnullorum fidelium noſtrorum humillimam ſupplicationem pro parte fidelium noſtrorum prudentum, ac circumſpectorum, Judicis, ac Juratorum, ceterorumque univerſorum civium, & incolarum Oppidi Sabaria vocati, vulgo *Szombathely* dicti, in Comitatu Caſtriferrei adjacentis, & ad Epiſcopatum Jaurinenſem pertinentis, Majeſtati noſtræ factam, tum vero compatientes deſolationi, & vaſtitati ejusdem Loci, in quantum per licentiam paſſim graſſantium militum, tumultibus videlicet, & inteſtinis ſeditionibus Betlenianis, ſuperioribus annis partes illas inundantium, quam expoſt etiam per incendium ibidem Sabariæ caſualiter exortum, plurimarumque Domorum deflagrationem, & ignis voragine abſumptarum, deveniſſe, ipſique Oppidani Sabarienſes nimium exhauſti, attenuati, atque attriti eſſe dicuntur. Horum nos inopiæ, & egeſtati, vel ob reverentiam Sancti Martini Epiſcopi, & Confeſſoris, cujus nempe idem Sabariæ oppidum patria, ſolumque nativum fuiſſe creditur, & Eccleſia ibidem extructa in honorem ſui nominis dicata habetur, Regio noſtro favore ex ſpeciali gratia ſuccurrere volentes, ut per hoc afflictionis ipſorum acerbitas noſtræ clementiæ dulcedine penſaretur: inſuper eo quoque in memoriam revocato, & ad ſeram uſque poſteritatem vel præſentium Literarum noſtrarum patrocinio transmittendo, quod proximis temporibus, in Anno videlicet Domini Sexcenteſimo Trigeſimo Secundo ſupra Milleſimum, Rex Sueciæ Guſtavus Adolphus, S. R. Imperii adverſarius, æmulusque noſter, una cum validiſſimo exercitu ſuo, in ipſa Octava Feſti præfati beati Martini Epiſcopi, Deo vindice, ſub auſpiciis noſtris per exercitum noſtrum ſuperatus, ipſemet quoque in campo, loco nimirum commiſſi, & initi cruenti conflictus, interfectus animam exhalaverit. Præterea pro decore quoque & augmento ejusdem Oppidi, ut creſcente ibidem Sabariæ numeroſitate populorum, creſcat pariter fides, & devotio univerſorum. Proinde eosdem univer-

t) In Archivo ſupr. cit.

„ ſos, & ſingulos Oppidanos Sabarienſes, præſentes & futuros a ſolutione con-
„ tributionum, ſeu Dicarum noſtrarum Regiarum tam ordinariarum, quam ex-
„ traordinariarum, ſubſidiorumque, & Lucri Cameræ noſtræ, nobis, & ad Ca-
„ meram noſtram provenire debentium, in perpetuum eximendos duximus, &
„ ſupportandos. Et ita quidem, hacque addicta conditione, ut iidem Sabarien-
„ ſes in hujusmodi per nos eisdem gratioſe relaxatæ Dicæ Regiæ recognitio-
„ nem, & uberioris ſuperventuræ divinæ benedictionis indubiam ſpem in piis
„ hominum animis ſemper fovendam, quadraginta florenorum hungaricorum
„ expenſas, ſequenti modo, rite, & infallibiliter per ſingulos annos facere de-
„ beant, & teneantur. Primo itaque iidem, Judex, & Jurati cives Sabarienſes,
„ pro tempore conſtituti, & in poſterum conſtituendi, incipiendo videlicet in
„ hoc jam currenti anno, futuris dehinc, & perpetuis ſemper temporibus, an-
„ nuatim, in Feſto ejusdem divi Martini, Loci Plebano, pro tempore conſti-
„ tuto, tumque in ipſa æde ſancti Martini ſummum ſacrum celebranti, ad altare
„ quinque florenos hungaricos ſolenniter offerant, & alios ſimiliter quinque flo-
„ renos pauperibus, & mendicis in eleemoſynam eodem die diſtribuant. Item ad
„ reſtaurationem etiam altarium, vel paramentorum comparationem, prout ne-
„ ceſſitas ſe ſe offeret, decem florenos itidem contribuant. Demum ad ſtructu-
„ ram, & ædificiorum ejusdem Templi, ruinarumque, atque defectuum reſtaura-
„ tionem, reſiduos nempe adhuc viginti florenos hungaricos ſimiliter quotannis
„ ordinare, dare, contribuere, atque convertere, & per hoc nihilominus Loci
„ Prælato, Domino utpote ipſorum terreſtri, Epiſcopo ſcilicet Jaurinenſi, omnem
„ ſubjectionem, obedientiamque exhibere, ſolitosque proventus, obventiones,
„ præſtationes, aliaque, quæ hactenus præſtare obligati fuerunt, absque reniten-
„ tia, ſicuti prius, ita deinceps quoque præſtare debebunt, & tenebuntur. Im-
„ mo eximimus, ſupportamus, & decernimus præſentium per vigorem. Quo-
„ circa vobis fidelibus noſtris, Spectabilibus, Magnificis, Egregiis, Nobilibus,
„ Præfecto, ceterisque Cameræ noſtræ Hungaricæ Conſiliariis, item Comiti,
„ Vice-Comiti, & Judicibus Nobilium ſupra dicti Comitatus Caſtriferrei, nec
„ non Dicatoribus, & quorumcunque cenſuum, contributionum, ſubſidiorum-
„ que, & lucri Cameræ noſtræ, atque Dicarum noſtrarum Regiarum tam ordi-
„ nariarum, quam extraordinariarum, modernis, & futuris Exactoribus, præ-
„ ſentes noſtras viſuris, harum ſerie firmiter committimus, & mandamus, ne
„ a modo impoſterum a ſupradictis Oppidanis Sabarienſibus, vel eorundem po-
„ ſteris, ſucceſſoribusque univerſis, contra formam præſentis gratioſæ exemptio-
„ nis, & ſupportationis noſtræ, aliquem cenſum, contributionem, dicamque
„ Regiam ordinariam, vel extraordinariam, aut aliquod ſubſidium, & lucrum
„ Cameræ noſtræ petere, aut exigere, petique, vel exigi facere, vel eosdem
„ hoc nomine in perſonis, rebusque, & bonis ipſorum quibusvis turbare, mo-
„ leſtare, aut damnificare præſumatis, nec ſitis auſi modo aliquali, ſed præmiſſam

„ noſtram exemptionem, modo præmiſſo factam, ipſi firmiter, & inviolabiliter „ obſervare, & per veſtros obſervari facere modis omnibus debeatis, & teneamini, Gratiæ noſtræ ſunt obtentu. Præſentes autem, quas ſecreto Sigillo „ noſtro, quo ut Rex Hungariæ utimur, impendenti communiri fecimus, poſt „ earum Lecturam ſemper reddi volumus, & jubemus præſentanti. Datum per „ manus Fidelis noſtri nobis dilecti Reverendi Georgii Lippay de Zombor, Epiſcopi Veſprimienſis, Locique ejusdem Comitis perpetui, Conſiliariique noſtri, „ & Aulæ noſtræ per Regnum noſtrum Hungariæ Cancellarii, in civitate noſtra „ Vienna Auſtriæ die 25. Menſis Aprilis Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo „ Trigeſimo Sexto, Regnorum noſtrorum Romani decimo ſeptimo, Hungariæ, „ & reliquorum decimo octavo, Bohemiæ vero Anno decimo nono. Reverendiſſimis, ac venerabilibus in Chriſto Patribus, Dominis, Petro ſanctæ Romanæ „ Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinale Pazmany, Metropolitanæ Strigonienſis, „ Joanne Telegdi Colocen. & Bachien. Eccleſiarum canonice unitarum Archiepiſcopis, Emerico Loſy Agrien. Franciſco Erghelio Zagrabien. Ladislao „ Hoſzſzutoti electo Varadien. Stephano Simandi electo Tranſilvanien. Præfato „ Georgio Lippay Veſprimien. Benedicto Vincovith Quinque Eccleſien. Georgio Draskovith de Trákoſtián Jaurinen. Georgio Nagyfalvi electo Vacien. Dicto „ Joanne Telegdi Adminiſtratore Nitrien. Georgio Jakuſith de Orbava electo Sirmienſis, Joanne Tomco Mernyachich Boſnenſis, Joanne Ivánczy Tininienſis, „ Georgio Duboczki electo Cſanadienſis, Joanne Heinrico Prainer electo Roſonenſis, Fratre Joanne Baptiſta Agatich Segnienſis, & Modruſienſis Eccleſiarum Epiſcopis, Eccleſias Dei feliciter gubernantibus. Item Spectabilibus, ac „ Magnificis Comite Nicolao Eſzterházy de Galantha, præfati Regni noſtri Hungariæ Palatino, officio Judicis Curiæ noſtræ Regiæ vacante, Comite Sigiſmundo „ Erdödy de Monyorokerék dictorum Regnorum noſtrorum Dalmatiæ, Croatiæ, „ & Sclavoniæ Bano, Comite Chriſtophoro Banffy de Alſó Lendva, Tavernicorum, Comite Nicolao a Zrinio Agazonum, Joanne Palffi de Erdeöd Cubiculariorum, Comite Stephano Nyary de Bedegh Janitorum, Stephano Oſztroſich de Giletnicz Dapiferorum, Comite Paulo Palffi de dicta Erdeöd Pincernarum, Emerico Czobor de Czobor Sz. Mihalyi Curiæ noſtrorum Regalium „ Magiſtris, ac Comite Stephano Palffi de prælibata Erdeöd Comite Poſonienſi, „ ceterisque plurimis Regni noſtri Hungariæ Comitatus tenentibus, & honores. „

Hoc Privilegium inſequente mox anno 1637. (qui Imperatori Ferdinando II. poſtremus erat) in generali Congregatione Ordinum Comitatus Caſtriferrei, celebrata Sabariæ, ſolenniter per Magiſtrum *Philippum Gazday*, Notarium Sedis, fuit publicatum.

CAPUT

CAPUT V.

De introductis Sabariam Dominicanis per Georgium Draskovith, juniorem, Epiſcopum Sabarienſem.

JUNIOR *Georgius Draskovith* Epiſcopus Jaurinenſis peculiari quadam propenſione erga Ordinem Prædicatorum, a ſancto Dominico inſtitutum ferebatur. Quamobrem ut Fatribus hujus Ordinis ſtabilem quampiam in ſua Diœceſi ſedem adſignaret, contulit illis *Sabariæ* Templum ſancti Martini cum adjacente Domo Parochiali, fundisque omnibus ad hanc pertinentibus, omnemque Templi nunc memorati ſuppellectilem, ea tamen conditione adjecta, ut, ſi lapſu temporis, fato quopiam hic Ordo penitus, ac ſine ſpe reverſionis, in hoc loco diſſolveretur, omnia iis collata in priorem Parœciæ ſtatum revolverentur. Solemnis introductio facta fuit anno 1638. die 4. Aprilis, quæ tunc in Dominicam Reſurrectionis incidit. Literæ Introductionis, & Collationis ex Originali deſcriptæ, ita habent *u*).

„ Nos GEORGIUS DRASKOVITIUS Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia „ Epiſcopus Jaurienſis, & Comes, Sacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis Con„ ſiliarius &c. Damus pro perpetua rei memoria; quod, cum antiquius nobis „ nihil ſit, quam Dei gloriam, ac religionis Catholicæ propagationem ſedulo „ curare, in eaque promovenda omnia adhibere remedia: conſiderantes etiam, „ ac grata animi memoria perpendentes merita olim, & eximias virtutes ſacri „ Ordinis Dominicani, quibus in Ungaria, ac noſtra præſertim Diœceſi præ„ luxit. Idcirco prævia matura animi noſtri deliberatione, inque dictum ſacrum „ Ordinem propenſione, accedente quoque Civium oppidi noſtri Sabarienſis „ devoto aſſenſu, & obſequentia; Templum Parochiale S. Martini Epiſcopi, „ & Confeſſoris, hic Sabariæ, ubi natus eſt, in Epiſcopali noſtro fundo, ac „ poteſtate exiſtens, una cum ſuppellectili Eccleſiaſtica, ac adjacente Domo „ Parochiali, hortis, agris, pratis, ſilvis, vineis, colonis, cenſibus, cunctis„ que pertinentiis, quæ ad dictum Templum Parochiale de jure, & conſuetu„ dine ſpectant, nec non molendino trium rotarum, ſuper fluvium Gyöngyös „ extra portam plateæ Föl-ucza ſito, præfato Ordini Prædicatorum in perpetuum „ damus, & conferimus. Ita tamen, quod, ſi temporis ſucceſſu, caſu aliquo, „ Ordo S. Dominici penitus, ac ſine ſpe reverſionis, hoc in loco diſſolvere„ tur, totum ac integrum jus prætacti Templi S. Martini, Eccleſiaſticæ ſuppel-

u) Extant in Archivo ſupr. cit.

„ lectilis in Inventario conſignatæ, molendini, omniumque pertinentiarum, ad „ priorem ſtatum Parochiæ revolvatur. In deinceps autem acquiſitis, quod juris „ erit, obſervetur. Jam vero Parochum, & Parochiam in templum arcis noſtræ „ Sabarienſis tranſtulimus. Ceterum ſumma animi demiſſione rogamus præpotentem Deum, ut hanc piam noſtram diſpoſitionem velit fidei Catholicæ, ac „ Ordini S. Dominici in Ungaria ſalutarem eſſe, ac proficuam, in quam ſpem „ vel ideo certo adducimur, quod cum ſacer hic Ordo olim primum omnium „ in Ungaria in Diœceſi Jaurienſi conſederit, idem a nobis poſt unum ſæculum „ primo ad eandem Diœceſim velut poſtliminio ſit introductus. In quorum præmiſſorum fidem, ac robur, has Literas noſtras propria manu ſubſcriptas, ſigilloque noſtro munitas dedimus, & unum quidem exemplar cum memorato Inventario præfato Ordini, aliud vero in Conſervatorio Eccleſiæ noſtræ Jaurienſis reponi curavimus. Datum in arce noſtra Epiſcopali Sabariæ, ipſo die „ Introductionis præfati Ordinis Prædicatorum, nempe Dominica Reſurrectionis, „ 4. Aprilis, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo octavo. „

In Autographo harum Literarum præter ſubſcriptionem *Georgii Draskovitii*, manu propria factam, ſubſcribitur in inferiori margine etiam *Martinus Alberti*. Inventarium autem ſuppellectilis Eccleſiæ S. Martini, quæ PP. Dominicanis tempore hujus introductionis fuit conſignata, eſt hunc in modum „ confectum: „

„ Calices argentei ſeptem, octavus cupreus, omnes inaurati. Duæ patenæ argenteæ, & quinque cupreæ, omnes inauratæ. Una crux argentea magna, altera „ minor. Una monſtrantia inaurata. Unum Ciborium cupreum inauratum. Duæ „ ampullæ ſtanneæ. Quatuor tintinnabula orichalchina. Unum Miſſale Romanum. „ Albæ quatuor, duo amictus, duo cinguli. Mappæ tres. Unum Antipendium „ Damaſcenum, una Caſula alba Attalica cum ſtola, & manipulo, altera viridis „ Damaſcena, cum ſtola, & manipulo; tertia Caſula rubra Attalica cum ſtola, „ & manipulo. Unum longum velum pro altari. Tria mantilia linea. Vela pro „ calicibus quinque. Subcorporale lineum acu pictum unum. Duo paria candelabrorum ex orichalco. Una burſa holoſericea cum tribus pallis, uno Corporali, & duobus purificatoriis. Unum Tapete Turcicum. Conſignata Sabariæ „ die 4. Aprilis 1638.

His obtentis Fratres Ordinis Prædicatorum eodem anno etiam confirmationem ſuæ introductionis, novæque hujus fundationis ab Imperatore, ac Rege Ferdinando III. impetrarunt. Literarum autem Regiarum hic tenor eſt:

„ Nos FERDINANDUS Tertius Dei gratia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ &c. memoriæ commendamus tenore præſentium ſignificantes, quibus expedit univerſis: quod pro parte, & in perſona devotorum, & Religioſorum Fratrum Ordinis Sancti Dominici, Sabariæ ad divum Martinum degen-

„ tium, exhibitæ ſunt nobis, & præſentatæ quædam Literæ, fidelis noſtri Re-
„ verendi Georgii Draskovits de Trakoſtyán, Epiſcopi Jaurinenſis, locique ejus-
„ dem Comitis perpetui, Conſiliarii noſtri, & per Regnum noſtrum Hungariæ
„ pro tempore Aulæ noſtræ Cancellarii, in ſimplici papyro, uno arcu, ſeu
„ ternione conſtantes, patenter confectæ, ſigilloque ejusdem, & propriæ manus
„ ſuæ ſubſcriptione communitæ, quibus mediantibus idem Georgius Draskovits
„ Epiſcopus, dictis Fratribus Ordinis Dominicani ex devota erga eundem Ordi-
„ nem propenſione, accedente quoque civium ſuorum dicti Oppidi Sabarienſis
„ aſſenſu, Templum parochiale S. Martini Epiſcopi, & Confeſſoris, ibidem
„ in fundo Epiſcopali extructum, una cum ſuppellectili Eccleſiæ, & adjacente
„ Domo Parochiali, ac hortis, agris, pratis, ſilvis, vineis, colonis, cunctisque
„ pertinentiis, ad dictum Templum parochiale de jure, & ab antiquo ſpectan-
„ tibus, & pertinere debentibus, nec non Molendino trium rotarum, ſuper
„ fluvium Gyöngyös ſito, certis ſub conditionibus, in iisdem Literis clarius de-
„ notatis, & expreſſis, in perpetuum dediſſe, donaſſe, & contuliſſe dignoſce-
„ batur, tenoris infra ſcripti. Supplicatum itaque extitit Majeſtati noſtræ nomi-
„ nibus, & in perſonis prædictorum Fratrum Religioſorum, quatenus easdem
„ Literas dicti Georgii Draskovits Epiſcopi, omniaque, & ſingula in eisdem
„ contenta, rata, grata, accepta habendo, Literisque noſtris inſeri, & inſcribi
„ faciendo, acceptare, roborare, approbare, ratificareque, ac pro iisdem Fra-
„ tribus Ordinis Prædicatorum perpetuo valituras cofinrmare dignaremur. Qua-
„ rum quidem Literarum tenor talis eſt. „ (Sequitur tranſumptum Literarum
„ Draſcovitii.)

„ Nos itaque hujusmodi humillima ſupplicatione pro parte præfatorum
„ Religioſorum Dominicanorum, noſtræ modo, quo ſupra, porrecta Majeſtati
„ &c. confirmamus harum noſtrarum, ſecreto ſigillo noſtro, quo ut Rex Hun-
„ gariæ utimur, impendenti communitarum vigore, & teſtimonio Literarum.
„ Datum in Arce Regia Pragenſi, die quarta menſis Auguſti Anno Domini
„ Milleſimo Sexcenteſimo Trigeſimo Octavo, Regnorum noſtrorum, Romani
„ ſecundo, Hungariæ, & reliquorum decimo tertio, Bohemiæ vero anno un-
„ decimo. „

Hunc in modum *Sabariæ* ſtabiliti PP. Dominicani, hanc ſtationem centum jam & quinquaginta annis varias inter viciſſitudines, & humanæ ſortis infirmitates retinuere, cum imperante *Joſepho II. Auguſto*, anno 1788. coacti ſunt ſedem mutare, & ſoluto Sabarienſi Conventu, in Oppido Caſtroferreo, vulgo *Vasvár* dicto, conſidere: permiſſum tamen eis fuit omnem Templi, Monaſteriique ſui ſuppellectilem ſecum auferre: quin etiam fundi, cenſus, ac reditus omnes, ad Sabarienſem ipſorum Conventum ſpectantes, iisdem relicti ſunt. Quo proinde factum eſt, ut minori cum difficultate ipſum quoque Templum, Monaſteriumque altero poſt anno recuperaverint.

CAPUT VI.

De querelis variorum, praecipue nobilium, & civium Sabarienſium adverſus Antiſtitem ſuum Georgium Draskovith, ac de remediis adhibitis. Item de ejusdem Succeſſore.

Tetris prorſus coloribus eundem Præſulem, quem ab introductis Sabariam Dominicanis capite præcedente celebravimus, depingit *Georgius Ratkay*. Ejus verba ſunt *x*): „ Georgius, inquit, Lippaius Strigonienſis Archi-Præſul, vir „ tabeſcens Zelo, pacem peccatorum videns, dum memoria repetit, a decennio „ jam ſacro Prælatorum univerſæ Provinciæ Concilio intermiſſo, hæreſes, earum„ que potentiam nimium vires ſumere, Catholicorum Principum pietatem te„ peſcere, gregem Dominicum, curæ ſuæ creditum, ſilveſcere, & longe ab „ inſtituto, quam ſacratos viros deceret, diſcedere, ac inter eos præſertim *Geor*„ *gium Draskovitium* Jaurinenſem Epiſcopum, qui dignitatem eam præalto in„ genio, eoque ſemper aſtute liberali, quibusdam apud Cæſarem faventibus, „ non occulta largitione præoccupatis, atque corruptis, conſcenderat. Is ab in„ ſigni cupiditate majores opes affectans, non ſolum Nobilitatem plurimis one„ rarat injuriis, ſed Collegium quoque Sacerdotum, ſubditosque poteſtati ſuæ „ ſubjectos variis afflixit cladibus: Pontificatu denique varia labe polluto, cujus „ antea nomen ſanctius, & venerabilius fuerat, eccleſiaſticarum rerum ſtatum ma„ gnopere conturbavit. Itaque cum antea per Comitiales dies graviſſimis a No„ bilitate depoſitis querelis, in Judicium fuiſſet poſtulatus, & deinceps quoque „ ſeditioſa multitudinis adverſus clerum concitatio metueretur, ſacris Lippajus „ inductus conſiliis, ſacrum ad menſem ſeptembrem indicit Concilium. Quo „ convenientibus univerſis, quæ pro incremento Catholicæ fidei, emendatione „ depravatorum morum, caſtigandisque ſontibus expedire viſa ſunt, magno Lip„ paianæ pietatis, ac publici boni fervore ſancita fuere. Et *Draskovitius* quidem „ velut nobilitatis ingenitæ, & ſacræ dignitatis, quam gerebat, immemor, tum „ ob crimina, quorum ſupra meminimus, tum imprimis ob Epiſcopatus ſui bo„ norum devaſtationem, deſolationem, abalienationem, avaram denium nimium „ tributorum exactionem, communi Concilii voto, bonis Eccleſiæ ſuæ ad trien„ nium (quinque millibus annuis pro ſacra dignitate decore ſuſtentanda conceſſis) „ non absque gravi nominis, bonæque exiſtimationis jactura motus eſt. Verum „ dum hac mitiore correctione, pertinaci conatu, neutiquam contentus fuerat,

x) Memoria Banorum Dalmat. Croat. & Sclavon. Lib. VI. p. 253.

„ deinde judicio ab Archiepiſcopo, legibus Regni jubentibus, rite celebrato, in bis „ centenis millibus damnatus, Eccleſiæ bonis ſe ſe denuo abdicare juſſus fuit. „ Tum vero ille feſtinato ad Cæſarem itinere, recuperandæ gratiæ, & beneficii „ repetendi cauſa, Viennam contendit. Ubi diuturno deſudans labore, ac quo- „ rumdam interpoſitis precibus, ægre tandem, obligatis ac depoſitis diverſis „ ſibi faventibus, bis centenis millibus, ſalvo, ac integro Archiepiſcopi judicio „ ceterum perſiſtente, optato potitus voto Jaurinum reverſus abiit. „

Fidem haberi poſſe *Ratkaio* hæc ſcribenti, apparet ex Articulo CXIII. Decreti II. in Comitiis Poſonienſibus ſub *Ferdinando II.* anno 1647. conditi, qui ſic legitur: „ Quoniam contra Reverendiſſimum Dominum *Georgium Draskovith* „ Epiſcopum Jaurienſem graves admodum per Capitulum, & Comitatus loci „ ejusdem, & Caſtriferrei, multasque Nobiles perſonas, nec non oppida, & „ villas Epiſcopatui ejusdem ſubjectas, & in gravaminibus Diætalibus ſpecifica- „ tas, Statibus, & Ordinibus Regni eſſent porrectæ querelæ; cujus exceſſus ut „ ad exemplum aliorum reprimantur, contenti redduntur Status & Ordines Regni, „ ut juxta benignam ſuæ Majeſtatis Sacratiſſimæ reſolutionem cauſa eadem ad „ inſtantiam injuriatorum in termino, poſt Diætam præfigendo, per Illuſtriſſimos „ Dominos Archiepiſcopum Strigonienſem, & Comitem Judicem Curiæ Regiæ, „ adhibitis Eccleſiaſticis perſonis, nec non Judicibus, & Tabulæ Regiæ Aſſeſſo- „ ribus (qui ad manus haberi poterint) peremptorie judicialiter revideatur, & „ reali etiam executioni demandetur. „

Idem ex parte confirmant Literalia *Sabarienſium* inſtrumenta, querelas contra eundem Præſulem, coram Statibus, & Ordinibus Regni anno ſupra memorato expoſitas, complectentia. Cum Judices iis dati eſſent *Georgius Lippai* Archiepiſcopus Strigonienſis, & Paulus Palffi ab Erdöd Judex Curiæ Regiæ, principio Privilegium oppidi Sabariæ, & ſequentia Tranſactionis capita fuerunt prælecta. I. Ut Dominus Epiſcopus Jaurinenſis ducentos florenos in pecunia, ac decimam frumenti, & vini in natura quotannis ab oppido Sabarienſi exigere poſſit. II. Ut exceptis tribus criminalibus caſibus, in Privilegio recenſitis, alias leviores cauſas Epiſcopus relinquat oppidanis Sabarienſibus cognoſcendas, ac decidendas. III. Ut civitati Sabariæ liberum ſit per quatuor menſes (videlicet a Calendis Octobribus uſque pridie Calendas Februarias(vina coëmpta invehere, & epocillare, ſimulque intra hoc temporis intervallum nonnullis domibus, quæ jus exemptionis prætendunt, epocillationem inhibere. Reliqui autem menſes vendendis, & epocillandis vinis Epiſcopalibus ſint proprii. Tum ne liceat popinam dominalem alteri, quam communitati oppidi Sabarienſis elocare, ſi quando elocanda videbitur. IV. Ut nonnullæ domus, quæ, etſi civicæ non ſint, cenſus tamen annuos inſtar civicarum in commune pendebant, porro etiam contributioni huic ſubjaceant. V. Ut vineæ recens conſitæ per octennium gaudeant immunitate

Hæc ubiperlecta fuiſſent, ſuas mox querelas cives expoſuere; nimirum hujus Tranſactionis caput alterum, tertium, & quartum a Domino Epiſcopo non obſervari: dein permoveri non poſſe Epiſcopum, ut de controverſis limitibus oppidi Sabariæ quidquam certi conſtituat: præterea inhiberi per Epiſcopum cereviſiæ epocillationem, in quibusdam domibus longo uſu receptam: ad hæc, non provideri Parocho loci de congrua ſuſtentatione: Scholæ Magiſtro conſuetos viginti quinque florenos annuos, victumque antea in Arce habitum ſubtrahi: non interteneri Campanatores ſecundum priorem conſuetudinem: ac denique civibus Sabarienſibus ab Epiſcopo, ejusque ſervis, multas injurias, multa damna inferri.

Satisfactionem igitur, & remedium petentibus, Judices decreverunt; ut Privilegium, cunctaque Transactionis capita, præcipue quoad jus epocillandi, utrinque examuſſim obſerventur: ut Ludi Magiſtro, Campanatori, atque inſuper aliquot Studioſis, Magiſtri Scholæ adjutoribus, in Arce victus conſuetus præbeatur: pro ſuſtentatione autem Parochi Sabarienſis adſignatus eſt cenſus e tribus florenorum millibus proveniens, quotannis perſolvendus a Comite *Ladislao Eſzterházi*, apud quem Epiſcopus majorem quandam pecuniæ ſummam elocaverat: præterea juſſus eſt idem Comes cenſum ex aliis mille florenis, alias Epiſcopo perſolvendum, non huic, ſed civibus Sabarienſibus pendere, in compenſationem damnorum, quæ perpeſſi fuerunt. Executores demum hujus ſententiæ conſtituti ſunt duo e Canonicis Jaurinenſibus.

Longum foret alias percenſere lites, ſub idem tempus contra Epiſcopum ſuſcitatas, ab iis præſertim, qui Sabariæ Domos exemptas, Curiasve nobilitares poſſidebant. Potiores querelæ erant ob violentas idgenus Domuum, & Curiarum invaſiones, doliorum effractiones, vinorumque effuſiones, auctore potiſſimum *Michaële Scublics*, Proviſore Dominii Sabarienſis, perpetratas. Id *Juditha Rumi*, Danielis Eſzterházi Conjux, id *Catharina Batthyáni* relicta Georgii Rumi vidua, idem & *Anna Döbröczényi*, compluresque alii coram Judicio Comitatus, & Palatinali conqueſti ſunt. *y*)

Sed injuriam facit *Karolyius* huic Præſuli, cum ſcribit, eum tredecim annis neglexiſſe confirmationem a Sede Apoſtolica petere, tametſi interea omnibus Epiſcopatus ſui reditibus uteretur. *z*) Confirmatum enim illum fuiſſe in omnibus, quos ſucceſſive adivit, Epiſcopatibus (ut in Quinque Eccleſienſi, Vacienſi, ac demum Jaurinenſi) inde liquet, quod in diplomatibus ac decretis Regum non facile cum *Electi* titulo reperiatur. Ad hæc in Literis ſupra relatis, quibus Fratrum Prædicatorum Conventum Sabariæ anno 1538 fundavit, utitur formula conſueta Epiſcoporum confirmatorum: *Nos*, inquit, *Georgius Draskovitius Dei & Apoſto-*

---

y) Ex Actis MS. in Archivo ſupr. cit.
z) Spec. Jaur. Eccl. p. 95.

licæ ſedis gratia Epiſcopus Jaurienſis. Præterea nemo exiſtimet, hunc Antiſtitem ita vitiis coopertum fuiſſe, ut nihil in eo laude, & commendatione dignum fuerit: immo, ſi nimiam habendi, dominandique cupiditatem excipias, reliquis animi dotibus, ingenio, doctrina, eloquentia, avitæ religionis amore, ſtudioque, poterat magno illi proavo ſuo, Cardinali *Georgio Draskovitio* non inferior videri. Idem adpropinquante vitæ ſuæ termino, ſeria poenitudine omnem avaritiæ labem eluit, ac deterſit. „ Edaci enim, inquit ſupra laudatus *Rattkay*, *a*) ſerpigine, at„ que carcinomate deſperatæ curationis per menſes plures laborans, tandem bo„ norum acqvieſcens monitis, univerſa ſua ea pietate diſpoſuit, ac poſtremis fir„ mavit tabulis, quæ non modo Chriſtianum bonum, ſed vero etiam Eccleſiaſti„ cum pium declararent. Nam, præterquam quod nepotibus ex fratre Palatino „ genitis centum millia thalerorum reliquiſſet, cæteram, quam habebat ampliſſi„ mam pecuniæ ſummam, pietati conſecravit. Quare Patribus Societatis pro So„ pronienſis Collegii fundatione, quibus & antea opulentum Pornenſis Abbatiæ „ Sacerdotium ceſſerat, ſupra quadraginta millia adjunxit: & cum ſe Illyrico ge„ nere ortum meminiſſet, Seminario Capituli Zagrabienſis, Bononiæ fundato, „ ſubſidii cauſa millia decem; Veſtalibus D. Claræ Virginibus, in urbe Montis Græ„ cenſis (*Zagrabiæ*) degentibus, alia decem legavit; ac demum, ſi quem aliquando „ quacunque ex cauſa defraudaſſet, Zachæi exemplum imitatus aliquot in ſatisfactio„ nem deſtinavit millia. Quibus peractis, omnibus deinde ritu Chriſtiano Sacra„ mentis munitus, ſingulari in Deum, ac Deiparam pietate, omniumque adſtan„ tium conſolatione, Deo animam reddidit. „ Dies, annusqne obitus a *Rattkaio* non exprimitur, qui proinde ex Epitaphio, ſi quod Jaurini ſupereſt, vel ex alio quopiam indubitatæ fidei monumento eruendus eſſet, quoniam circa hunc variant aliorum Scriptorum ſententiæ: videlicet in Speculo Jaurinenſis Eccleſiæ ſtatuitur annus 1649. ad quem jam *Joannes Püsky* Draskoviti ſucceſſor nominatus fuiſſe adfirmatur. *b*) At vero in Specimine Hierarchiæ Hungaricæ *Georgius Draskovitius* adhuc ad annum 1650 vixiſſe ſupponitur; & *Joannes Püski* primum ad annum 1651 inter Epiſcopos Jaurinenſes recenſetur. *c*)

Erat *Joannes Püski* primum Abbas *de Szkalka*, & unus e Commiſſariis, ſub Rege Ferdinando II. anno 1635. ad reviſionem Regni limitum circa Sileſiam, & ad revidenda ac abolenda in partibus Transdanubianis telonia ſicca, deputatis. *d)* Idem anno 1638 fuit ſub Rege Ferdinando III. Electus Epiſcopus *Chanadienſis*, teſte Concluſione Decreti ad annum modo memoratum. *e)* Hinc anno 1643 translatus erat ad Epiſcopatum Vacienſem, ubi parum abfuit, quin a Turcis

a) L. Supr. cit.

b) Spec. Eccl. Jaur. p. 105.

c) P. I. Hier. Hung. p. 328.

d) Decr, IV. anni 1635. Art. LV. & LXXII.

e) In Corp. Juris. Hung. & apud *Peteſſy* P. II. Conc. Hung. p. 374.

comprehenderetur. Teſtis Præpoſitus *Karolyius*, cujus hic verba exſcribo: *f*) „ Anno 1645. Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus *Joannes Püsky*, Epiſco- „ pus Vacienſis S. C. Regiæque Majeſtatis Conſiliarius, ex manifeſtiſſimo Turca- „ rum periculo ereptus totus confractus, & omnibus ſenſibus deſtitutus, voto „ beatiſſimæ Virginis Cellenſis, ſupra omnium ſpem ſanatus eſt. Ita Archivum „ Capitulare. „ Dein ſub annum Chriſti 1647. Vacienſem Cathedram cum *Nitrienſi* commutavit, id quod ex Clauſula Decreti, ad annum nunc dictum in Comitiis Poſonienſibus die 27 Julii conditi, certum eſt, ibi enim cæteros inter Epiſcopos reperies *Joannem Püsky Electum Nitrienſem.* At jam ſub finem anni ſequentis nominatus iterum eſt *Vacienſis*; quippe inter Epiſcopos, qui Synodo Nationali, ſub *Georgio Lippay*, Archiepiſcopo Strigonienſi, anno 1648 menſe Decembri habitæ, interfuerunt, ſubſcribitur hic Præſul hunc in modum: *Joannes Püsky El. Ep: Vacienſis, & Præpoſitus Poſonienſis, & Saghienſis ſubſcripſi. g*) Nec multo poſt promotus eſt ad Archiepiſcopatum *Colocenſem*, retenta adminiſtratione Epiſcopatus *Vacienſis*. His certe dignitatibus præditus legitur jam ad annum 1649. in Clauſula Decreti III. ſub Ferdinando III. die 3. Junii in Comitiis conditi. Poſtremum dimiſſo *Vacienſi*, accepit Epiſcopatum *Jaurinenſem*, morte Georgii Draskovitii vacantem, atteſtante diplomate Ferdinandi I. ad annum 1651 dato Subditis Crucigeratus eccleſiæ S. Joannis de Sopronio, *h*) & Concluſione Decreti diætalis anno 1655 confecti. *i*) Utrobique enim idem *Joannes Püsky* Archiepiſcopus Colocenſis eſt ſimul Adminiſtrator Eccleſiæ Jaurinenſis. Secundum hanc igitur Chronotaxin hic Præſul antea, quam *Jaurinenſem* Epiſcopatum adiret, binis diverſis vicibus *Vacienſem* rexit Eccleſiam. Id cum a nemine hactenus obſervatum eſſet, accidit, ut, qui de geſtis ab eo muniis ſcripſerunt, in varios inciderent errores. Sic *Szentivanius* hunc Præſulem modo ex Nitrienſi, modo ex Vacienſi ſede transfert ad Jaurinenſem. *k*) *Deſericius*, & *Michael Horvath* commemoratis aliis *Joannis Püsky* Epiſcopatibus, de Jaurinenſi ne verbo quidem meminere. *l*) In Speculo autem Jaurinenſis Eccleſiæ hoc ordine ſacræ illius dignitates recenſentur: „Prius „ Præpoſitus de Szalka, dein Epiſcopus Cſanadienſis, tum Vacienſis, Nitrienſis, „ Archiepiſcopus Colocenſis, demum Epiſcopus Jaurinenſis anno 1649 nomina- „ tus. „ *m*) Sin autem Specimen Hierarchiæ Hungariæ conſulas, illic in Catalo-

f) Spec. Eccl. Jaur. p. 103.
g) Concil. Hung. P. II. p 384.
h) T. III. Ep. Agr. p. 261.
i) In Corpore Juris Hung.
k) Diſſ. paral. Rer. mem. Hung. p 77 & 78.
l) *Deſericius* de Epiſc. Vac. p. 191. Et in hujus Complemento p. 15. *Horvath* de Natal. Archiep. Coloc. p. 157.
m) Spec. Jaur. Eccl. p. 103.

go Epiſcoporum Chanadienſium ad annum 1643 adnotatum reperies, *Joannem Püsky* e Chanadienſi Cathedra illo anno ad *Vacienſem* tranſiiſſe. *n*) Sed Auctor veriſimiliter iſto quidem loco *Nitrienſem* ſcribere voluerit. Quippe excuſſis aliis in eodem opere Catalogis, ad annos ſubſequentes *Joannes Püsky* hoc modo reperitur: inter Nitrienſes Epiſcopos ab anno 1644 ad 1647. *o*) Inter Jaurinenſes ab anno 1651 ad 1655. *p*) Demum inter Archiepiſcopos Colocenſes ab anno 1649 ad 1655. *q*) Verum iſthic duplex Nota adjicitur; prior ad annum 1649 monet illum ſimul tunc Vacienſis Epiſcopatus Adminiſtratorem fuiſſe, id quod e noſtra quoque chronotaxi eruitur: poſterior autem ad annum 1655 indicat, eundem ex Nitrienſi ad Jaurinenſem fuiſſe traductum: id vero abſque contradictione admitti nequit. Quamobrem hoc etiam loco reſcribendum erit: e Vacienſi ad Jaurinenſem.

Quod autem res Sabarienſes ſub hoc Præſule attinet; id ſolummodo in chartis coævis reperi. Ejus mandato cum *Michaël Skublicz*, cujus ſupra meminimus, ad reddendas rationes cogeretur, compertum eſt virum hunc adeo rudem fuiſſe, ut ne literas quidem noſſet, qui proinde in conficiendis rationibus nonniſi aliena opera uteretur. Iisdem documentis traditum eſt, eundem *Skublics*, binosque alios Proviſores Epiſcopales, nempe *Georgium Boka* Keſzörenſem, & *Georgium Lörincz* Jaurinenſem, cum rationes reddere pertinacius detrectaſſent, in judicium Palatinale vocatos, convictosque fuiſſe: executionem autem ſententiæ a Comite *Franciſco Weſſelényi de Hadad*, Regni Hungariæ Palatino commiſſam fuiſſe *Stephano Raby*, Protonotario Perſonalis Præſentiæ Regiæ in Judicio Locumtenentis. Verum id jam poſt *Joannis Püsky* obitum ſub Epiſcopo *Georgio Széchény*, de quo capite ſequente agemus, accidit.

CAPUT VII.

De erectione Templi, ac de reſtauratione Arcis Sabarienſis. Item alia quædam res Sabarienſes concernentia ſub Epiſcopis Georgio Széchényi, & Leopoldo Kollonits.

GEORGIUS *Széchény*, excelſi prorſus animi, virtutumque maximarum Antiſtes, cum e Veſzprimienſi Sede, quam poſt Quinque Eccleſienſem obtinuit, ad

n) P. II. Hier. Hung. p. 303.
o) Ibid. P. I. p. 374.
p) P. I. p. 328.
q) P. II. p: 85.

Jaurinenſem translatus eſſet, nulli pepercit induſtriæ, ut res Arcis, & civitatis ſuæ Sabarienſis, tam ſacræ, quam politicæ, & œconomicæ, ſuperiorum temporum injuriis haud mediocriter labefactatæ, in meliore ſtatu collocarentur. Primum itaque in fundo ſuæ Arcis Templum erexit, ac nomine ſanctæ Mariæ Virginis, ad Eliſabeth inviſentis, ſupremo Numini dedicavit, addita ad ingreſſum templi porticu, ſtatuis lapideis maximorum Eccleſiæ catholicæ Doctorum, Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi, & Gregorii Magni, exornata. Supra portam hæc inſcriptio eſt lapidi inſculpta: GEORGIVS SZÉCHÉNY EPPVS JAVRINENSIS 1665. Unde annus perducti ad faſtigium hujus Templi intelligitur. In Templo bina dumtaxat reperi Nobilium virorum Epitaphia, unum *Joannis*, alterum *Pauli Enyedi*, quæ ſic habent:

GENEROSUS DOMINVS IOANNES ENYEDI DE EADEM INCL. COMITATVS CASTRIFERREI OLIM VICECOMES NEC NON ILLVSTRISSIMI QVONDAM DOMINI COMITIS PAVLI DE BATTYAN PRIMARIVS AVLÆ FAMILIARIS ÆTATIS SVÆ 60. OBIIT DIE 3. MENSIS AVGVSTI ANNO DOMINI 1681.

GENEROSVS DOMINVS PAVLVS ENIEDI DE EADEM ILLVSTRISSIMI DN. COMITIS DN. ALEXANDRI ERDÖDI DE MONIOROKEREK PRIMARIVS AVLÆ FAMILIARIS ÆTAT. SUÆ 32. OBIIT 13. SEPT. ANNO DOMINI MILLMO SEXCNO OCTVAMO NONO.

Utrumque Epitaphium ornatur ſcuto gentilitio, in quo exſculptus Gryphus. Præterea in *Joannis* monumento legitur: *Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus, Beatus vir, qui ſperat in eo. Pſ.* 33. In altero autem, quod *Pauli* eſt: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Lib. Pſalm. c,* 15. *v.* 2.

Eidem Templo liberalitate ejusdem Præſulis addita eſt haud mediocris altitudinis Turris lapidea, quæ hodie triplici ære campano, & horologio animatur. Minimum horum omni caret ornatu, & inſcriptione, ſed forma, & ruditate ſua vetuſtatem redolet, ætate ipſius Turris longe priorem. Alterum mediæ molis, annum & locum nativitatis ſuæ prodit his characteribus in extimo ambitu expreſſis: ME FECIT BALTHASAR HEROLD VIENNÆ 1672. Tertium, prioribus majus, ornatur effigie ſalvificæ Crucis, & imaginibus Deiparæ, S. Floriani, ac S. Donati. Aetatem & artificem indicat hæc epigraphe: ME FVDIT JACOBVS MONTELL NEOSTADII ANNO 1740.

Tertio poſt erectum Sabarienſe templum anno *Georgius Széchény*, meritis exigentibus, ad Colocenſem evectus eſt Archiepiſcopatum, retenta Jaurinenſis Eccleſiæ adminiſtratione. Tum vero ampliores nactus reditus Sabariam ſuam aliis quoque ædificiis ornare perrexit: præcipue ad Arcem epiſcopalem velut e

ruderibus ſuſcitandam adjecit animum. Ejus reparationi integrum impendiſſe decennium videtur: quippe ſupra interiorem Arcis portam cernitur annus 1669. additus Literis G. S. A. C. quæ ſignificant *Georgium Széchény Archiepiſcopum Colocenſem.* Supra exteriorem autem Arcis portam, quæ ortum reſpicit, legitur: GEORGIVS SZÉCHÉNY ARCHIEPISC. COLOCENSIS 1679. Utrobique prominet ſimul ſcutum gentilitium, in quo eſt Avis annulum roſtro geſtans. Arcem hanc ſolido muro compactam, formaque rotundæ proxima in unam dumtaxat contignationem e plano adſurgentem, olim foſſa & vallum, murusque exterior, cortinæ inſtar prætenſus, contra ſubitaneos hoſtium incurſus muniebat; ſed vix medium ab ejus reſtauratione ſæculum effluxit, cum a flammis voracibus, quibus totum ferme oppidum anno ſæculi præſentis quinto decimo in prædam ceſſit, pene abſumpta fuit. Itaque hæc modo Arx, jam dudum deſertæ ſimilis, ſupremum veluti ſpiritum trahit, brevi ſolo æquanda, ſtante jam novo Epiſcopi Palatio, deſignatisque novæ Baſilicæ fundamentis.

Széchénianam porro pietatem, ac munificentiam grata memoria recolit, ſemperque recolet Ven. Capitulum Sabarienſe de Caſtroferreo, cui *Georgius* Antiſtes pro Sacris votivis florenorum millia XII. legavit. Sed quantillum id eſt, ſi conferas cum aliis piis erogationibus, quas idem cum antea, tum qua Archiepiſcopus Colocenſis, & per annos fere triginta Epiſcopus Jaurinenſis, & qua Strigonienſis Metropolita, Regnique Hungariæ per decennium Primas fecit, ac pene dixerim, profudit in erectas, & reſtauratas Domos Dei, in bona eccleſiaſtica tum redempta, tum reparata, in Collegia, Convictus, Seminaria, in complura utriusque ſexus, diverſorum Ordinum Religioſorum Monaſteria vel fundata, vel amplificata, in erigendas Militum Peſtini, & Poſonii Domos hoſpitales, in extruenda contra Turcas Jaurini, Sümeghini, Budæ, Strigonii, & alibi propugnacula, in augendum ſacri belli ærarium, in ipſum denique Regem, Regnumque Apoſtolicum? *Ladislaus Sennyei* ad poſterorum memoriam prodit, pecuniæ ſummam a *Georgio Széchény* in publicos idgenus uſus erogatam vicies quinquies centena millia florenorum efficere *r*). At *Laurentius Karolyi* ſigillatim enumerat pias ejusdem donationes, fundationes, & legata *s*), quæ tot, ac tanta ſunt, ut ſimul addita efficiant florenorum quatuor milliones, ac prope dimidium.

Ceterum quam largus fuit hic Præſul in erogando, tam in exigendis, quæ ſibi, ſuisque debebantur, ſolertia erat prorſus mirabili. Id præter cæteros experti ſunt cives *Sabarienſes*, quibus idcirco lites haud modicæ ſuo cum Præſule interceſſerunt. Præcipuæ erant de caducitatibus, de byrſagiis, ſeu mulctis pecuniariis,

r) Apud *Nic. Schmith* in Arch, Strig. p. 141.
s) Spec. Eccl. Jaur. pag. 105. ſeqq.

de epocillationibus, de ædificiis Parochi, & Scholarum. Acta eſt cauſa primum coram Sede dominali, poſtmodum in tribunalibus; poſtremo autem in ipſis Regni Comitiis anno 1681. celebratis. Illic Status & Ordines auditis etiam *Bágyoghienſium*, & Nobilium *Sedis de Vetse*, ac *Meſzlenienſium* querelis, ſententiam in hæc verba tulerunt *t*).

„ Ex quo *Sabarienſes*, ac incolæ poſſeſſionis de *Bágyogh*, prout & „ Nobiles *Sedis de Vetse*, ſe nimium ab Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Domino „ *Georgio Széchény* Archiepiſcopo Jaurienſi, contra antiqua privilegia, & indulta „ ipſorum aggravatos, inque pacifico eorundem uſu impeditos querularentur: „ ideo cauſæ eædem per Dominum Comitem Palatinum, adhibitis ad id Tabulæ „ Regiæ Judiciariæ juratis aſſeſſoribus, jure extraordinario proxime celebrando, „ judicialiter revidendæ, ac ſecundum Deum, & ejus juſtitiam ex producendis „ annotatarum partium privilegiis, ac documentis finaliter determinandæ decer„ nuntur. Non abſimiliter differentia *Méſzlénienſium* Nobilium, pariter contra „ antiqua eorundem (uti querularentur) privilegia injuriatorum, ex fundamento „ privilegiorum, eorumdem ac ab utrinque producendorum documentorum, eodem „ jure prætacto extraordinario revidenda, & concludenda ſtatuitur. Interim vero „ nec idem Dominus Epiſcopus, nec Succeſſores ſui, eosdem præfatos queru„ lantes contra ipſorum privilegia, & indulta, uſumque eorundem moleſtet, „ turbet, aut quoquo modo impediat a modo impoſterum, ſub pœna centum „ florenorum, toties quoties iisdem privilegiis, uſuique eorundem per ſæpe fatum „ Dominum Epiſcopum contraventum fuiſſe compertum fuerit, de bonis illius, „ aut ejusdem Succeſſorum acquiſititiis: ex parte quidem *Sabarienſium*, & *Bá„ gyoghienſium* per Dominum Comitem Palatinum, velut cauſæ Judicem in „ eodem jure extraordinario; ex parte vero toties fatorum Nobilium *Meſzlenien„ ſium*, ac *Sedis de Vecse* per Vice Comites ſub pœna violentiæ, æque toties „ quoties comperta rei veritate, ex bonis, ea qua præfertur modalitate, adjudi„ canda, & deſumenda ſtatuitur. „

Elapſo poſt hanc deciſionem, ab Imperatore, ac Rege *Leopoldo Magno* confirmatam, quadriennio, *Georgius Széchény* ad Strigonienſem Archiepiſcopatum promotus, ſucceſſorem in Jaurinenſi Sede nactus eſt *Leopoldum* e Comitibus *Koll nics*, geſtis jam antea Nitrienſi, poſtea Neoſtadienſi Epiſcopatibus clarum, annoque ſequente, (videlicet 1686. quo Buda, Regni Hungariæ caput, Turcis erepta, in Chriſtianorum poteſtatem rediit) Cardinalium Collegio adſcriptum. Sub hoc Antiſtite Cardinali *Stephanus Birhanyi*, ſacer Curio Eccleſiæ Kövesdienſis in Comitatu Sopronienſi poſitæ, de *Sabaria* bene mereri volens, anno 1687. legavit ter mille, & quingentos florenos, ea lege adjecta, ut e perpetuo

---

t) In Corp. Jur. Hung. Decreto III. anni 1681. Art. LIV.

hujus æris cenſu quatuor Adoleſcentes *Sabaria* oriundi, in quopiam Gymnaſio alerentur, bonisque artibus imbuerentur. Eodem Cardinali Eccleſiam Jaurinenſem ſimulque ab anno 1691. Colocenſem Archiepiſcopatum tenente, *Petrus Kaldy* Curialem domum, quam *Sabariæ* poſſidebat, una cum Allodiis, hortisque duobus & molendinis, ac nonnullis aliis adpendicibus; præterea vineam, in promontorio Monyorokerék ſitam, pariter exemptam ac liberam ſuis cum acceſſoriis: ad hæc portionem ſuam in poſſeſſione *Bucsu* habitam, Domino *Blaſio Jaklin*, Epiſcopo Nitrienſi, & per Hungariam Aulæ Regiæ Cancellario, viginti millibus, ſexcentisque florenis in perpetuum vendidit. Charta venditionis hujus præfert annum 1694 *u*).

CAPUT VIII.

De rebus Sabariæ tempore Epiſcoporum Jaurinenſium, Chriſtiani Auguſti Ducis Saxoniæ, & Philippi Ludovici Sinzendorf. Literæ Regiæ, quibus Canonicorum Sabariæ degentium Domibus immunitas conceditur.

LABENTE anno æræ vulgaris 1695. cum Sedes metropolitana Strigonienſis obitu *Georgii Széchény* vacaret, translato ad eandem *Leopoldo Kollonicſio* in Archiepiſcopatu quidem Colocenſi *Paulus Széchény*, at in Jaurinenſi Epiſcopatu *Chriſtianus Auguſtus* Saxoniæ Dux, idemque haud multo poſt S. R. E. Cardinalis creatus, ſucceſſerat. Huic Principi ſuberat *Sabaria* annis triginta: nam promoto ſub annum 1707. quo *Leopoldus Kollonics* deceſſerat, ad Strigonienſem Archiepiſcopatum relicta eidem fuit Epiſcopatus quoque Jaurinenſis adminiſtratio, quoad vixit, ſcilicet usque ad annum 1725. Interea vero *Sabariæ* Nobilis vir *Andreas Enyedi* domum ſuam, in fundo Arcis poſitam, cum vineis, aliisque ejusdem domus acceſſoriis, *Georgio Szily*, jurato Advocato 1500. florenis vendidit; uti fragmentum Faſſionis, ab eodem coram Protonotario *Joanne Hevenyeſi* anno 1701. factæ, atteſtatur. Triſtis fuit ſub initium ſæculi præſentis conditio Sabarienſium: fervente quippe bello civili ſub ultima revolutione Rakocziana, civitas, arxque Sabarienſis, & fundi ad eam pertinentes direptui erant expoſiti utriusque partis militibus. Fuiſſe in manibus Rakoczianorum Sabarienſe dominium, teſtimonio eſt in epiſcopali Tabulario luculentum documentum, cui hic titulus præfixus:

u) In Archivo ſupr. cit. In Specimine Hierarchiæ Hungaricæ inter Epiſcopos Nitrienſes nulla fit *Blaſii Jaklin* mentio: invenitur tamen in Szentivaniano Epiſcoporum Nitrienſium Catalogo ante Ladislaum Mattyaſovski jam ad annum 1690.

„ Signatura Conſcriptionis Dominii Sabarienſis, utpote pagorum, Seſſionum in
„ iis exiſtentium colonicalium, & inquilinarium, ipſorum colonorum, ac inqui-
„ linorum, eorundem cenſuum, robotarum, & ſervitutum; præterea frumenti,
„ vini, ac pecorum dominalium, cunctarum denique rerum mobilium, ac im-
„ mobilium ad Arcem, & Dominium Sabarienſe pertinentium, Anno 1704. ad
„ mandatum Alexandri Karoly, Principis Franciſci Rákoczi de Felsó Vadáſz
„ Exercitus ſeditioſi Supremi Generalis, factæ. „

Poſt extinctam belli civilis flammam ſubſequentibus annis hæc acta fuerunt *Sabariæ*. Anno 1713. *Michaël a Schiiſon*, Epiſcopalium Bonorum hoc tempore Præfectus Sedem dominalem in hoc oppido celebravit, adhibitis *Stephano Nagy* Protonotario, *Stephano Zeke* Notario, & *Sigismundo Paſztory* Judice Nobilium Comitatus Sopronienſis. In ea Commiſſione auditæ, ac diſcuſſæ fuerunt colonorum S. Martinenſium, Perinthienſium, & Szanathienſium querelæ, adverſus Proviſorem Sabarienſem obmotæ. Anno autem 1715. parum abfuit, quin ſubitaneo incendio tota Sabaria in cineres redigeretur. Eodem anno Cardinalis *Chriſtianus Auguſtus* Domos Capitulares Canonicorum, Sabariam incolentium, ab omni contributionis, & ſervitutis onere liberas, immunesque declaravit. Hæc immunitas tertio poſt anno ab Imperatore ac Rege *Carolo VI.* approbata, & confirmata fuit ſequentibus Literis privilegialibus.

„ CAROLUS Sextus Dei gratia electus Romanorum Imperator ſemper
„ Auguſtus, ac Germaniæ, Hiſpaniarum, Hungariæ, Bohemiæ Rex &c. Fideli-
„ bus noſtris univerſis, & ſingulis, ſignanter vero Spectabilibus, ac Magnificis
„ Comitibus Nicolao Palffi ab Erdód, prædicti Regni noſtri Hungariæ Palatino,
„ Judici Cumanorum, Aurei Velleris Equiti, & Locumtenenti noſtro Regio,
„ Stephano item Kohari de Csáprágh Judici Curiæ noſtræ Regiæ, Joanni Palffi
„ de prædicta Erdód, præfatorum Regnorum noſtrorum Dalmatiæ, Croatiæ, &
„ Sclavoniæ Bano, Sigiſmundo Csáki de Kereſztſzegh perpetuo Terræ Scepu-
„ ſienſis, Tavernicorum noſtrorum Regalium per Hungariam Magiſtro, Intimisque
„ Conſiliariis noſtris, Magnifico præterea Horváth Simoncſich Perſonalis Præſen-
„ tiæ Regiæ in Judiciis Locumtenenti, ac ſimiliter Conſiliario noſtro, eorun-
„ demque vices gerentibus Magiſtris Protonotariis, & Tabulæ noſtræ Regiæ Ju-
„ diciariæ Aſſeſſoribus; non ſecus Comitatuum quorumcunque, ſignanter vero
„ Caſtriferrei Supremis, & Vice Comitibus, Judicibus Nobilium, & Juraſſori-
„ bus, ipſisque Univerſitatibus, ſed & Liberarum Regiarumque Civitatum no-
„ ſtrarum, aliorumque privilegiatorum oppidorum, ac locorum Magiſtratibus,
„ cunctis denique aliis quibuscunque Judicibus, & Juſtitiariis prædicti Regni no-
„ ſtri Hungariæ, Eccleſiaſticis videlicet, & Sæcularibus, ubivis conſtitutis, &
„ exiſtentibus, præſentes noſtras viſuris Salutem, & Gratiam.

„ Queruloſe ſimul, ac demiſſe repræſentatum Majeſtati noſtræ nominibus
„ & in perſonis fidelium noſtrorum Honoratorum Capituli Caſtriferrei, qualiter

„ idem tam in oppido Vaſvár, quam expoſt, a tempore videlicet transmigratio-
„ nis ſuæ ex eodem oppido vigore Articuli 20. Anni 1578. ad aliud æque oppi-
„ dum Sabariæ factæ, & ſubſecutæ ſemper pacifice, & imperturbate ſubſtitiſſet,
„ ac perſeveraſſet, neminique quidpiam, ſive videlicet Domino terreſtri, ſive
„ oppidanis Sabarienſibus præſtitiſſet, & contribuiſſet, verum tribus circiter,
„ aut quatuor abhinc annis nunc fati Oppidani id ipſum, quatenus præfatum
„ Capitulum univerſa onera civilia, & contributionis cujuscunque generis, ſe-
„ cundum morem, & conſuetudinem in medio ipſorum practicari ſolitam ſubire,
„ & ſupportare obligaretur, effectuare intendiſſent. Unde mentionatum Capitulum
„ ratione, & intuitu hujusmodi Oppidanorum Sabarienſium prætenſionis, & in
„ Anno 1715. facto ad Reverendiſſimum in Chriſto Patrem, ac Sereniſſimum
„ Chriſtianum Auguſtum Ducem de Saxonia, S. R. E. Presbyterum Cardinalem,
„ & Principem, Archiepiſcopum Strigonienſem, Primatem Regni Hungariæ, Lega-
„ tum natum, Summum, & Secretarium Cancellarium, Actualem Intimum Con-
„ ſiliarium, & ad generalem Diætam Ratisbonenſem Plenipotentiarium Commiſſa-
„ rium noſtrum, qua Epiſcopatus Jaurinenſis Adminiſtratorem, & dicti Oppidi
„ Sabarienſis Dominum terreſtrem, recurſu, talem ab eodem reſolutionem: quod
„ ſiquidem Domus præattactorum Capitularium Sabarienſium in ejusdem nominis
„ loco, & oppido habitæ, ac per eosdem poſſeſſæ, connumerationem portarum
„ Comitatenſium ingreſſæ non fuiſſent, & intuitu earundem Domorum, per Ca-
„ nonicos poſſeſſarum, plus oneris, aut majus Contributionale Quantum incolis
„ prælibati oppidi Sabarienſis impoſitum haud extitiſſet, ideo prælibati Canonici
„ Capitulares reſpectu Domorum ſuarum reſidentialium, Sabariæ habitarum, prout
„ antea ab onere contributionali immunes fuiſſent, ita deinceps quoque pari im-
„ munitate gaudeant: obtinuiſſet. Intuitu cujus quidem Reſolutionis tametſi præ-
„ libati oppidani Sabarienſes a præſcita prætenſione ſua attunc ceſſaſſent, nihilo-
„ minus tamen, ex quo denuo ſuprafatum Capitulum, ejusdemque Juratum No-
„ tarium eatenus moleſtare, & ſub comminatione intentandæ executionis inquie-
„ tare attentaſſent; ſupplicatum itaque extitit Majeſtati noſtræ nomine, & in per-
„ ſonis dicti Capituli, ejusdemque Jurati Notarii perquam humillime, quatenus
„ eosdem contra modo fatos oppidanos Sabarienſes ratione, & prætextu præex-
„ poſitæ eorundem illegitimæ prætenſionis ſub benignam Cæſareo-Regiam pro-
„ tectionem noſtram ſuſcipere, atque vice, & in perſona noſtra Regia veſtræ
„ etiam dignaremur committere protectioni, & tuitioni ſpeciali. Quorum humil-
„ lima ſupplicatione, tamquam juſta, & legitima clementer exaudita, benigne
„ pariter & admiſſa; cum & alioquin etiam repetiti Capitulares, & Canonici
„ in fundo Epiſcopali reſidentes, domosque, appertinentiis quibusvis deſtitutas,
„ poſſidentes, ac dictamine Articuli 1?0. Anni 1647. ac etiam juxta prænarratam
„ eatenus ſubſecutam Domini terreſtris exemptionem, ab omni cenſu, & con-
„ tributione immunes, & exempti, jurisdictionique prænominatorum oppidano-

„ rum Sabarienſium nullatenus ſubjecti eſſe cenſerentur, domus præterea reſiden-
„ tionales nunc ſatorum Capitularium, ſeu Canonicorum, ex quo tempore pera-
„ ctæ conſcriptionis connumerationem portarum Comitatenſium, juxta quas onera
„ contributionalia limitari, & contribuentibus injungi ſolerent, ingreſſæ minime
„ fuiſſent, per ejusmodi reſidentiarum Capitularium exemptionem plus oneris,
„ aut majus Contributionale Quantum, ſæpeſato Epiſcopali oppido nullatenus
„ accreviſſe, & impoſitum fuiſſe dignoſceretur; ſed & Nobiles quivis in Regno
„ poſſeſſionati, portasque colonicales habentes, ſimilibus oneribus, & contribu-
„ tionibus ſupportandis obnoxiari neutiquam valerent. Idcirco Fidelitatibus ve-
„ ſtris, & veſtrum ſingulis, quibus ſupra, ſignanter vero Supremo, & Vice
„ Comitibus, totique Univerſitati Comitatus Caſtriferrei harum ſerie firmiter
„ præcipientes committimus, & mandamus, quatenus ſupraſatum Capitulum Ca
„ ſtriferrei, ſive ejusdem Canonicos, ita, & non abſimiliter Juratum Notarium
„ Capitularem quoad Domos eorum reſidentiales, rationibus, & legibus ex præ-
„ allegatis, ab omni onere civili, & contributione, quarterioque, & interten-
„ tione militari immunes, & exemptos, dum & quandocunque, & quotiescun-
„ que cum præſentibus requiſiti fueritis, aut alter veſtrum fuerit requiſitus, in
„ perſonis, bonisque, & rebus eorundem univerſis, mobilibus, & immobilibus,
„ contra quosvis violentos, & illegitimos impetitores, turbatores, & damnifi-
„ catores, notanter vero prærepetitos incolas, & cives Epiſcopales oppidi Sa-
„ barienſis, vice, & in perſona noſtra Regia protegere, manutenere, tuerique,
„ & defendere, ac defenſando conſervare modis omnibus velitis, debeatisque,
„ & teneamini, authoritate noſtra Regia vobis per præſentes plenarie conceſſa,
„ & attributa, jureque, & juſtitia mediante. Secus non facturi; præſentibus per-
„ lectis, exhibentibus reſtitutis. Datum in civitate noſtra Vienna Auſtriæ die 2.
„ menſis Decembris Anno Domini 1718. Regnorum noſtrorum, Romani octavo,
„ Hiſpaniarum decimo ſexto, Hungariæ vero, & Bohemiæ, & reliquorum anno
„ ſimiliter octavo. „

Hoc Privilegio etſi ſolæ Canonicorum, & Jurati Notarii Capitularis Domus reddebantur immunes, & ab omni contributione, alioque onere civili exemptæ, nihilominus tamen mox & alii quidam Nobiles, qui Sabariæ nonnullos fundos, hactenus cenſu, & oneribus civilibus obnoxios, poſſidebant, eodem immunitatis, & exemptionis jure uti voluere. Quamobrem neceſſe fuit, ut horum conatui obviam iretur interpoſita nomine Epiſcopatus Jaurinenſis coram Comitatu Caſtriferrei anno 1719. ſolemni contradictione. Eodem & Magiſtratus Sabarienſis anno 1721. contra idgenus Nobiles recurrerat, quemadmodum in documentis Tabularii ſupra laudati adnotatum eſt.

Obiit *Chriſtianus Auguſtus* Ratisbonenſibus in Comitiis die 22. Auguſti anno 1725. ſed ejus corpus juſſu Cæſaris inde avectum, ac Poſonii in Templo Sancti Martini reconditum eſt. Epitaphium, quo præcipue hujus Principis digni-

tates,

tates, virtutes, resque geſtæ exprimuntur, e marmore deſcripſit, ac vulgavit P. *Nicol. Schmith x*).

Chriſtianum Auguſtum in Epiſcopatu Jaurinenſi excepit *Philippus Ludovicus* e Comitibus de *Sinzendorf* non tamen eodem anno 1725. uti in Specimine Hierarchiæ Hungariæ adſeritur *y*), ſed ſequente, ſcilicet 1726. die 5. Maji, quemadmodum *Laurentius Karolyius*, qui ab hoc Præſule in numerum Canonicorum Jaurinenſium relatus fuit, diſerte ſcribit *z*). Nec prius, quam anno nunc memorato confectum reperio inſtrumentum, quod *Signaturam Urbarii*, ſeu Conſignationem Bonorum *Sabarienſium* continet. Fuit hic Præſul alias Abbas B. M. V. de Pécsvárad, Eccleſiarumque metropolitanarum Colonienſis, & Salisburgenſis, & cathedralis Olomucenſis Canonicus. Anno autem 1727. Purpuratorum Patrum Collegio a Benedicto XIII. adſcriptus eſt. *Sabariam* civitatem ſuam adiit anno 1731. ubi quatuor aras in Franciſcanorum Templo ritu ſolemni conſecravit: celebrari quoque juſſit eodem anno, & in eadem civitate Sedem dominalem ad tollendos quosdam abuſus, rationibus œconomicis, juribusque epiſcopalibus adverſos.

CAPUT IX.

De reliquis Epiſcopis Jaurinenſibus, qui Sabariam poſſederunt. Deſignatio novi Epiſcopatus Sabarienſis ſub Imperatore Carolo VI. facta, ſed interrupta. Fundatio Scholarum Sabarienſium.

CARDINALE *Philippo Ludovico Sinzendorf* ad Epiſcopatum Vratislavienſem ſub finem anni 1732. in Sileſiam translato, Imperator *Carolus VI.* Jaurinenſem Epiſcopum nominavit anno ſequente *Adolphum a S: Georgio*, Religioſi Ordinis Piarum Scholarum antehac Miniſtrum Generalem, virum pietate, doctrina, linguarumque peritia inſignem. Hic Præſul cum *Sabariam* anno 1739. veniſſet, in Eccleſia PP. Franciſcanorum binas laterales aras conſecravit, Parœciæ autem Templo, novum imponi tectum fecit. Sequente anno (1740.) agebatur de diminutione Diœceſis Jaurinenſis, & erectione novi Epiſcopatus Sabarienſis: jamque res eo proceſſit, ut Comes *Paulus Forgach* junior, id temporis Præpoſitus Poſonienſis, deſignatus fuerit primus Eccleſiæ Sabarienſis Epiſcopus *a*). Verum hanc deſignationem, totumque id negotium mors intempeſtiva Imperatoris, ac Regis

x) In Archiep. Strigon. p. 149.

y) Spec. Eccl. Jaur. p. 126.

z) P. I. p. 329.

a) *Math. Bel.* Adpar. ad hiſt. Hung. in Not. ad Pauli Gregorianczii Breviar. Rer. Hung. p. 103.

Caroli Sexti interrupit, aut potius ob ſubſecutam temporum difficultatem ita ſuſpendit, ut res hæc nonniſi ſerius, poſt annos videlicet ſeptem ac triginta (quemadmodum infra dicetur) a Magna *Thereſia*, Carolinæ pietatis hærede, perfici potuerit. Ob mortem itaque Imperatoris *Caroli VI.* quæ in diem 20. Octobris anni 1740. incidit, *Adolphus* Epiſcopus nullam ſuæ Diœceſeos diminutionem paſſus eſt: ſed ætate ingraveſcente, morbisque ingruentibus cum ſub mole negotiorum fatiſceret, ſuffraganeum primo Comitem *Carolum a Malczan*, qui vicem in pontificalibus muniis obiret, dein Coadjutorem quoque Comitem *Franciſcum Zichy*, qui univerſa peramplæ Diœceſeos negotia curaret, admiſit. Immo hunc ad ejus preces Auguſta *Maria Thereſia* non modo Coadjutorem nominavit, verum etiam Succeſſorem deſtinavit, dato 6. Septembris anno 1743. Decreto, quod in Speculo Eccleſiæ Jaurinenſis vulgatum eſt *b*). Ita demum comparatum Præſulem *Adolphum*, cum jam cœlo maturus videretur, mors tertio poſt menſe, nimirum die 13. Novembris, rebus humanis exemit.

Poſtremus Epiſcoporum Jaurinenſium, qui *Sabariam* poſſederunt, erat *Franciſcus* e Comitibus *Zichy de Váſonkö.* Tenuit Epiſcopatum annis quadraginta. Hoc Præſule rurſus exuſtam comperio *Sabariam.* Incendii memoriam conſervat inſcriptio chronoſtica aræ ſancti Floriani in Eccleſia cathedrali, annumque indicat 1749. hoc modo: „ DIVE FLorIANE TE AVXILIatore proteCtIo VenIat „ ab oMnIpotentI sabarIæ eXVstæ. „ Hoc incendio princeps quoque ejusdem Templi Ara conſumpta fuiſſe videtur: novam enim poſuit Epiſcopus *Zichy*, quemadmodum ex adfixo ejusdem ſcuto gentilitio colligere licet. Hoc ſcutum crucem æquilateram inter cornua cervi defixam ſiſtit: quod quidem in pluribus civitatis, ac territorii Sabarienſis domibus, ac ædificiis cum occurrat, indicio eſt, res Sabarienſes non mediocriter curis Zichyanis creviſſe. Commemorandum præcipue hoc loco venit Sabarienſe Gymnaſium, ab hoc Præſule duabus humaniorum literarum ſcholis auctum, regioque munitum, & ornatum Privilegio, quod hujusmodi eſt:

„ Nos MARIA THERESIA Dei gratia Romanorum Imperatrix Vidua, „ Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæque &c. Regina Apoſto- „ lica, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Magna Princeps Tranſilvaniæ, Dux „ Mediolani, Mantuæ, Parmæ &c. Comes Habſpurgi, Flandriæ, Tirolis &c. „ Vidua Dux Lotharingiæ, & Barri, Magna Dux Hetruriæ &c. Memoriæ com- „ mendamus tenore præſentium ſignificantes, quibus expedit univerſis: quod „ fidelis noſter, nobis ſincere dilectus Reverendus, ſpectabilis, ac Magnificus „ Comes Franciſcus Zichy de Vaſonkeö, perpetuus in Homonna, Epiſcopus „ Jaurinenſis, ejusdemque nominis Comitatus ſupremus, ac perpetuus Comes, „ nec non noſter actualis intimus Conſiliarius, majori Fundationis illius, quam

b) P. 131. & ſeq.

„ certus Stephanus Birhányi , Parochus condam in Comitatu Sopronienſi Kö-
„ vesdienſis, anno adhuc milleſimo, ſexcenteſimo, octuageſimo ſeptimo in ter
„ mille quingentis florenis pro alendis in quopiam Gymnaſio, imbuendisque
„ quatuor Adoleſcentibus Sabarienſibus conſtituerat, commodo intentus, præat-
„ tactam Summam capitalem ad inſtituendas in oppido Sabarienſi, Comitatui
„ Caſtriferrei adjacente, velut loco ad id opportuniſſimo, publicas humaniores
„ ſcholas, quo nempe fundationis hujus non ſaltem Sabarienſium, ſed & alio-
„ rum Filii participes reddi poſſint, convertere, ac ultra quatuor ſcholas, Poë-
„ ſim quoque, & Rhetoricam; adminiculo ſuorum ſumptuum ſucceſſive adji-
„ cere, traditionem vero Religioſis Franciſcanis Sabarienſibus concredere de-
„ crevit, ſupplicando Majeſtati noſtræ debita cum inſtantia humillime, quate-
„ nus nos ſalutari huic intentioni clementer ſubſcribendo, introductionem hu-
„ maniorum ſcholarum, nobisque exhibitam methodum tradendi, acceptare,
„ omniaque, & ſingula in eadem contenta, ratam, gratam, & accepta haben-
„ tes, Literis noſtris privilegialibus inſeri, & inſcribi facientes, Apoſtolica
„ Regia authoritate noſtra approbare, roborare, ratificare, confirmareque, ac
„ benignum etiam Regium ſuperinde conſenſum noſtrum præbere dignaremur.
„ Cujus quidem methodi Scholarum, in oppido Sabarienſi per Religioſos Pa-
„ tres Franciſcanos docendarum, tenor talis eſt.

„ In Scholis Sabarienſibus ii libri, ac authores generatim adhibeantur,
„ qui in Scholis Patrum Societatis Jeſu, ac Piarum Scholarum adhiberi ſolent.
„ Quolibet anno Scholæ aperiantur die 6. Novembris, vel, ſi dies Dominicus
„ in hunc incidat, die ſequenti, eodemque ſinguli diſcipulorum, qui digni ſunt,
„ ut admittantur, in claſſes ſuas juxta meritum, & profectum anni prioris di-
„ ſtribuantur, ac dein ſolemni Sacro, per Rectorem ſtudiorum, aut alium in-
„ vitandum decantando, interſint, & Spiritus Sancti gratiam implorent, ut novus
„ ſtudiorum annus feliciter ipſis cedat. Subinde per unam hebdomadam, aut,
„ ſi Patri Profeſſori ita videbitur, etiam per majoris temporis ſpatium exercean-
„ tur in iis claſſibus, partim repetitionibus, partim examinibus, in quibus prio-
„ ris anni doctrinam in memoriam revocent, eamque firmius retineant, & ad
„ aliam claſſem feliciorem viam ſternant, tum vero novæ claſſis præcepta, &
„ regulas inſtillare Profeſſor unusquisque pergat. Ordo ſcholarum ſit ſequens:
„ per ſeptimanam quatuor dies, utpote Lunæ, Mercurii, & Sabbati ſcholis de-
„ ſtinati, recreationis vero Martis, & Jovis. Quod ſi in diem aliquem ſchola-
„ rum Feſtum incidat, illud loco diei recreationis computetur. In Adventu,
„ & Quadrageſima dimidium ſolum diei Martis, & Jovis recreationi conceda-
„ tur. A principio ſcholarum uſque primam Martii primo quadrante ad octavam
„ dato ſigno campanæ ad ſcholas conveniant, lectiones ſuas conſtitutis ſcheda-
„ toribus recitent, qui in ſchedis ſuis ſcientiam, vel ignorantiam connotent,
„ & Patribus Profeſſoribus præſentent: ſecundo quadrante ad octavam Profeſſo-

„ res ſcholas ingrediantur, atque illic oratio communis, præorante vel ipſo „ Patre Profeſſore, vel quopiam Diſcipulo, perſolvatur lingua latina, quippe „ Pater noſter, Ave Maria, Credo, Actus Fidei, Spei, Charitatis, & Contri- „ tionis, oratio ex hora prima Canonica, Domine Deus omnipotens, qui ad „ principium hujus diei &c. Deinde verſiculus cum reſponſorio; Reſpice in „ in ſervos tuos &c. cum Gloria Patri &c. & oratione: Dirigere, & ſancti- „ ficare. Demum, Veni Sancte Spiritus &c. cum verſiculo, & oratione, Deus, „ qui corda &c. Quæ orationes ut ab omnibus quatuor claſſibus devote perſol- „ vantur, in chartam ordinarie deſcribantur. Finitis precibus, ſchedæ, & penſa „ ſcholaſtica videantur, ac legantur circiter per mediam horam, ut pateat, „ quis quomodo lectiones didicerit, & exercitia ſua fecerit, ac deſcripſerit. „ Sequatur deinde regularum explanatio per tres facile quadrantes, tum conti- „ nuo examen, ut ea, quæ dicta ſunt, mentibus diſcipulorum tenacius inhæ- „ reant; accedat Auctoris cujuſpiam explanatio, in qua attendatur maxime, „ ut diſcipuli elegantiores dicendi formulas combibant, ſententiam Auctoris ad „ acceptam regularum notitiam exigant, & verum ejus ſenſum aſſequantur. Au- „ ctores porro prælegantur, in Parvis, & Principiis Fabulæ Æſopi, vel Phœdri, „ ac nonnullæ epiſtolæ Ciceronis familiares: in Grammatica, & Syntaxi Corne- „ lius Nepos, & Ciceronis epiſtolæ majores, ac Ovidius. Ultimus quadrans ſcho- „ larum Hiſtoriæ cujusvis Claſſis explicationi, & lectionum diſcendarum determi- „ nationi impendatur. Denique hora decima finis ſcholarum imponatur, atque ex „ iis recto, & compoſito ordine ad Eccleſiam Arcenſem pro Miſſæ Sacrificio pro- „ cedatur, quod unus ex Patribus Profeſſoribus, alternis per hebdomadas vici- „ bus, ad ſuam tamen, vel Conventus ſui intentionem leget. Sub Miſſa quis- „ que privatim orabit, ſub finem autem Maria Mater gratiæ omnes cantabunt. „ Audito Miſſæ ſacrificio, quilibet modeſte ad hoſpitium revertatur. A prima „ vero Martii uſque finem ſcholarum mane tertio quadrante ad ſeptimam pri- „ mum pulſetur. Hora ſeptima Patres Profeſſores Scholam ingrediantur, ac me- „ dia decima Miſſæ ſacrificium pro diſcipulis ſuis celebrent. Reliqua expoſita „ ratione, ſervata temporum proportione, obſerventur. A meridie per totum „ annum primus pulſus fiat primo quadrante ad ſecundam, quo rurſus omnes „ ſuis ſchedatoribus lectiones ſuas recitent, hique prædicto modo ſuas notas „ apponant, & Patribus Profeſſoribus præſentent. Hi ſubinde media ſecunda ſcho- „ las accedant, & Lytanias B. M. V. Lauretanas cum ſubjectis oratiunculis Pa- „ ter noſter, & Ave Maria, Credo, & Veni Sancte, vel ipſi præorent, vel „ aliquem e diſcipulis præorare faciant. His abſolutis ſchedas recitationum in- „ dagent, ac dein expoſita methodo explicent, examinent, aut exercitia vel „ pro ſcholis, vel pro domo lingua ſolum hungarica dictent, ac ultimum qua- „ drantem ſcholarum rurſus hiſtoriæ explanationi, & lectionum determinationi „ denotent. Tandem hora quarta ſcholis finem imponant. Ceterum omni ſepti-

„ mana die Mercurii, vel, ſi hæc Feſto aliquo impedita eſſet, die præcedenti
„ per tres circiter quadrantes Arithmetica tradatur, & quidem in duabus pri-
„ mis claſſibus Tabula Cebetis memoriter diſcatur, Numeratio, Additio, &
„ Multiplicatio; in Grammatica vero, & Syntaxi Diviſio, ac aliæ ſpecies mixtæ
„ exerceantur: ac ut hujus artis tanto major uſus procuretur, eodem die præ-
„ ter exercitium, quod pro domo diſcipulis dictabitur, etiam quodpiam exem-
„ plum Arithmeticæ eisdem detur, quod domi perficere, illudque ſcripto, una
„ cum exercitio, futura die ſcholarum adferre obligentur. Pro diebus vero Mar-
„ tis, Dominicis, ac feſtis pridie ſemper quodpiam formulare ſcriptum, una,
„ alterave linea conſtans, illis proponatur, juxta quod domi in ſcriptura ſe
„ exerceant, & opus ſuum una cum latina occupatione proximo ſcholarum die
„ exhibeant. Cunctis diebus Sabbati, aut, ſi feſtum incideret, præcedenti die
„ tribus fere horæ quadrantibus doctrina chriſtiana juxta præſcriptum Caniſii tra-
„ datur, ac diſcipuli exinde examinentur. Doceantur diſcipuli Miſſæ ſacrificio
„ tum lecto, tum ſolemni aſſiſtere, omnibusque diebus, ſerie per Patres Pro-
„ feſſores deſignanda, miniſtrent ſub ſacro ſtudioſorum Parochiali, & Conven-
„ tuali. Diebus Dominicis, ac Feſtis mane ſcholas accedant ſtudioſi, ſigno
„ campanæ convocandi, atque media hora rudimenta fidei per Patres Profeſ-
„ ſores iis explicentur, poſtea vero Sacro conventuali Venerabilis Capituli in-
„ terſint. Quare Patres Profeſſores cum conſenſu Rectoris ſcholarum horam deſi-
„ gnent, qua ſcholas adire debeant, ut ordinate tam exhortationi, quam Sacro
„ conventuali intereſſe poſſint; a meridie vero uno quadrante ante catecheſim
„ pariter ſigno campanæ convocentur ad ſcholas, ac inde ad catecheſim in
„ Eccleſia Arcenſi fieri ſolitam proficiſcantur, ac Lytaniis, aut Veſperis devote
„ adſint. Poſtquam vero congregatio ſtudioſorum B. V. Mariæ erecta fuerit,
„ Grammatiſtæ, & Syntaxiſtæ in quopiam cubiculo ſcholarum diebus Dominicis
„ piis exercitiis Marianis per horam vacabunt, iisque finitis Eccleſiam ad Ly-
„ tanias, aut Veſperas ingredientur. Pridie Feſtorum, & dierum Dominicorum
„ ſi quæ devotiones in Eccleſia Arcenſi hora quarta habitæ fuerint, ad eas
„ quoque Studioſi conveniant, ita tamen, ut tempori ſcholarum nihil detrahatur.
„ Correctio Juvenum defectuoſorum ſit quidem accurata, ſed non exceſſuoſa,
„ verum moderata, & benigna. Patribus familias ſtudioſis omnino inhibeatur,
„ ne ii quempiam ſtudioſorum absque expreſſo Patrum Profeſſorum juſſu tun-
„ dere, ac verberare præſumant. Omnes ſtudioſi ſingulis menſibus bis ſacramen-
„ talem Confeſſionem peragant, & ſacram Euchariſtiam devote ſumant, niſi
„ forte ob nimis teneram ætatem, aut aliam legitimam cauſam impedirentur. „

„ Nos itaque pro ſolita noſtra in Deum pietate, atque materna, qua in
„ rectam juventutis educationem, & inſtitutionem, ex qua quippe ingens bonum
„ in rempublicam dimanare conſuevit, jugiter ferimur, cura, & ſollicitudine,
„ humillima item prærepetiti Comitis, & Epiſcopi inſtantia, noſtræ modo, quo

„ ſupra, facta Majeſtati, Regia benignitate exaudita, clementer & admiſſa, me-
„ moratas ſcholas, prædeclaratamque methodum tradendi (eo adjecto, ut cum-
„ primis ſuperinſpectio harum ſcholarum penes locale Capitulum Sabarienſe per-
„ maneat, pro meliori tamen obſervantia, pro Directore ſtudiorum una ſemper
„ de gremio ejusdem Capituli ſingularis perſona judicio Epiſcopi deſignetur:
„ dein vero, ut juventus per omnes has claſſes in lingua quoque germanica pe-
„ culiariter exerceatur, ſequaciter occupationes etiam hungarico ſimul, & ger-
„ manico idiomate eidem dictentur, ac inſuper a teneris debita fides, & obligatio
„ erga ſummum Principem, amor erga Patriam juventuti rite inſtilletur) autho-
„ ritate noſtra Regia acceptavimus, approbavimus, & ratificavimus, benignum-
„ que ſuperinde conſenſum noſtrum Regium præbuimus. Immo acceptamus,
„ approbamus, & ratificamus, benignumque pariter conſenſum noſtrum Regium
„ præbemus, & aſſenſum (ſalvo jure alieno) harum noſtrarum ſecreto ſigillo
„ noſtro, quo ut Regina Hungariæ Apoſtolica utimur, impendenti communita-
„ rum vigore, & teſtimonio Literarum. Datum per manus Fidelis noſtri nobis
„ ſincere dilecti Spectabilis, ac magnifici Comitis Franciſci Eſzterházi de Ga-
„ lantha, perpetui in Frakno, Aurei Velleris, & una inſignis Ordinis S. Stephani
„ Regis Apoſtolici magnæ crucis Equitis, Comitatus Moſſonienſis ſupremi Co-
„ mitis, Camerarii item, & Conſiliarii noſtri actualis intimi, nec non per antela-
„ tum noſtrum Hungariæ Regnum Aulæ noſtræ, prout & dicti I. Ordinis S.
„ Stephani Cancellarii, in Archiducali civitate noſtra Vienna Auſtriæ die prima
„ menſis Julii, Anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo,
„ Regnorum noſtrorum Hungariæ, Bohemiæ, & reliquorum anno trigeſimo
„ ſecundo. „

Obtento hoc privilegio, ſine mora Præſul boni publici ſtudioſiſſimus novum, idque elegans ſcholarum ædificium in fundo Arcis ſuæ Sabarienſis poni, ac ſequente mox anno 1773. non tantum præcepta Gramaticæ in iis tradi, verum etiam Poëſin, ac Rhetoricen profiteri ſecundum methodum, apud Patres Societatis, & Piarum ſcholarum eo tempore receptam, juſſit. Quamquam quod ad methodum docendi, diſcendique attinet, eam haud multo poſt immutari oportuit. Poſt ſublatum enim anno nunc memorato Jeſuitarum Ordinem longe aliud ſtudiorum Syſtema, aliam juventutis in Hungaria inſtituendæ, educandæque rationem, normamque præſcibere, & inducere viſum eſt. Igitur Gymnaſium quoque Sabarienſe aliam brevi induit faciem: introductum nempe eſt normale Pædagogium, & ſchola quædam nationalis, in qua tenerior ætas ad legendum, ſcribendum, vivendumque, recentiore alia methodo, ac idiomate partim allemanico, partim hungarico inſtituitur. Hinc pueris magis idoneis gradus patet ad latina Grammaticæ, in tres claſſes diſtinctæ, ſtudia, quibus pariter tradendis methodus

a priore diverſa præſcripta eſt. Sed Rhetorices & Poëſeos palæſtra nuper hic loci aperta, iterum abrogata eſt, tum ob vicinitatem Ginſii, ubi literæ humaniores deinceps quoque fuerunt tradendæ, tum vero, quia ſcholis nationalibus, utpote magis neceſſariis, attributus erat fundus, quem Præſul ſuſtentandis Rhetoricæ & Poëſeos Profeſſoribus deſtinaverat. Itaque nondum hac vice Muſæ manſuetiores ſtabilem Sabariæ ſedem nanciſci poterant uſque ad annum 1789. quo tandem decreto Regio iſthuc revocatæ perpetuum jam ſibi pollicentur domicilium, idque tanto magis, quanto majora indies incrementa hæc civitas capit a tempore fundati paucis abhinc annis novi Epiſcopatus Sabarienſis, de quo mox aucturi ſumus.

HISTORIÆ SABARIENSIS
LIBER NONUS.

DE

NOVO ECCLESIÆ SABARIENSIS EPISCOPATU, NOVISQUE CIVITATIS SABARIÆ INCREMENTIS

AB ANNO CHRISTI 1777 AD 1791.

CAPUT I.

De fundatione Epiſcopatus Sabarienſis, primoque Epiſcopo Sabarienſi, Diplomata Regia.

SEQUITUR epocha fundati Epiſcopatus Sabarienſis, quæ in annum ſeptuageſimum ſeptimum labentis modo ſæculi incidit. Nimia nempe Diœceſium Jaurinenſis, Veſprimienſis, & Zagrabienſis extenſio, & amplitudo, ob quam ſingulæ a ſingulis Epiſcopis e rationibus antiquæ diſciplinæ eccleſiaſticæ vix regi poſſe videbantur, permovit Auguſtam *Mariam Thereſiam*, divino cultui promovendo, ac propagandæ fidei orthodoxæ ſemper intentam, ut pro ſummo patronatus jure, quo ut Regina Apoſtolica gaudebat, eorum limites conſtringeret, atque ex decerptis earum regionibus binas alias Diœceſes, novosque Epiſcopatus, *Albaregalenſem* videlicet, ac *Sabarienſem* conſtitueret, & erigeret.

Nova igitur cathedra epiſcopali *Sabariæ* defixa, ad Sabarienſem retulit Diœceſim imprimis integrum Caſtriferrei Comitatum, a Jaurinenſi Diœceſi avulſum: dein e Comitatu Saladienſi diſtrictum *Szala - Egerſzegienſem*, hactenus Epiſcopatui Veſprimienſi adnexum, demptis tamen nonnullis Parœciis, puta:

Cſacſenſi,

Cſacſenſi, *Cſatarienſi*, *Szent-Ldſzlaienſi*, & *Szent-Ivanyenſi*, quas porro etiam ſub jurisdictione Epiſcoporum Veſprimienſi permanere voluit. Ad hæc diſtri-ctum *Transmuranum*, in eodem Comitatu Saladienſi, antea Epiſcopis Zagrabienſibus obnoxium, Epiſcopatui Sabarienſi recens erecto ſubjecit. De juniore Clero novæ hujus Diœceſeos interea ſic decernere viſum eſt, ut Clerici non pauciores quam triginta pro eadem in Seminariis formentur, ac ſuſtententur, nimirum quatuordecim in generali Regni Hungari Seminario, penes Regiam Scientiarum Univerſitatem tunc habito; ſedecim autem in Seminario Jaurinenſi. His alendis ac veſtiendis pars redituum ejusdem Seminarii: illis vero pars alia redituum ex Dominio *Nyul*, quod in Jaurinenſi pariter eſt provincia, verum antea in poſſeſſionibus erat Epiſcoporum Veſprimienſium, adſignata eſt.

Porro ipſi Epiſcopatui Sabarienſi Auguſta Fundatrix dotis nomine contulit duas ditiones, ſeu *dominia*, quorum annui reditus viginti circiter millibus florenorum tunc temporis æſtimabantur, videlicet dominium *Sabarienſe*, ſed hoc nonniſi vacante Jaurinenſi Sede adeundum, & *Szala-Egerſzegienſe*, mox poſſidendum. Præterea Decimas eidem attribuit, ubi eæ hactenus intra terminos nunc erectæ Diæceſis Sabarienſis ab aliis Epiſcopis percipi ſolebant; ſic tamen, ut, quæ Jaurinenſi Epiſcopo debebantur, hæ quoque ſolummodo poſt hujus obitum ad Sabarienſem devolverentur. Hac novi Epiſcopatus fundatione facta, placuit Auguſtæ, jus conferendi Canonicatus, & alia beneficia Eccleſiaſtica in Capitulo Sabarienſi, ſibimetipſi, ſuisque ſucceſſoribus Hungariæ Regibus reſervare; Epiſcopo autem id ſolum permittere, ut pro vacante idgenus beneficio duos idoneos Candidatos eligere, ac Regiæ Majeſtati, citra omnem tamen in hoc, illove determinando poteſtatis Regiæ reſtrictionem, præſentare valeat. Cum ſimili reſervatione non Sabarienſis tantum, ſed & alii in Hungaria Epiſcopi hac tempeſtate eligi, ac nominari cœperunt. Diploma vero erecti nunc Sabarienſis Epiſcopatus in hæc verba confectum eſt:

„ Nos MARIA THERESIA divina favente clementia Romanorum Impe-
„ ratrix Vidua, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Galliciæ,
„ Lodomeriæ, Boſniæ, Serviæ, Cumaniæ, & Bulgariæ Regina Apoſtolica, Ar-
„ chidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, & Carnioliæ, Magna
„ Princeps Tranſilvaniæ, Dux Mediolani, Mantuæ, Parmæ &c. Comes Habſpur-
„ gi, Flandriæ, Tyrolis &c. Vidua Dux Lotharingiæ, & Barri, Magna Dux
„ Hetruriæ &c. Damus pro memoria, noſtro, Succeſſorumque noſtrorum nomine
„ ſignificantes, quibus expedit univerſis. Quod nos in provehenda, & firmanda
„ felicitate Regnorum, quæ a Majoribus noſtris jure hæreditario accepimus, in-
„ ter cætera ſubſidia illud efficaciſſimum eſſe compererimus, quod totius rei
„ chriſtianæ firmitas, Religionis propagatio, hancque conſequens animarum ſa-
„ lus ſecundum Deum a ſublimi Epiſcoporum munere, vigilantia, ſollicitudine,
„ doctrina, verbo, & exemplo potiſſimum dependeat, neque proinde ullum du-

„ bium ſuperſit, quin, quo plures e ſpecula intendant, ſaluti animarum vigila-
„ turi Paſtorum oculi, eo majus res chriſtiana ſumat incrementum, mores po-
„ pulorum ad humanitatis leges amplius excolantur, vita plebis innocentior red-
„ datur, per conſequens divinis non ſecus, ac humanis legibus major etiam re-
„ verentia exhibeatur, Reipublicæ denique ſalus, & tranquillitas ſolidioribus
„ fundamentis fulciatur. Hinc cum Diœceſes Jaurinenſis, Veſprimienſis, & Za-
„ grabienſis adeo vaſtos hactenus complexæ fuerint limites, ut impoſſibile quo-
„ dammodo fuerit iisdem Epiſcopis Paſtoralis Officii partes in tantæ extenſionis
„ Diœceſibus ita exequi, ita omnibus attendere, ita univerſos inſtruere, ac re-
„ gere, ut rei magnitudo, ac neceſſitas, vetusque Eccleſiæ diſciplina poſtulat;
„ per conſequens hæc ipſa memoratarum Diœceſium ampla adeo extenſio, &
„ exinde promanans adminiſtrationis eccleſiaſticæ difficultas congruam a nobis,
„ qua Apoſtolica Regina, & ſumma Eccleſiarum in præfato Regno noſtro Hun-
„ gariæ exiſtentium Patrona, exegerit medelam, in eo cumprimis conſiſtentem,
„ ut in remotioribus ab ordinariis Sedibus Epiſcoporum Jaurinenſis, Veſprimienſis,
„ & Zagrabienſis Comitatibus, & Diſtrictibus magis vicini Paſtores conſtituan-
„ tur, qui Diœceſes ſuas arctioribus limitibus conſtitutas, frequentius viſitent,
„ Cleri diſciplinam urgeant, exceſſibus quibusvis, qui promotioni orthodoxæ
„ fidei obſtaculo eſſe poſſent, propius ſolerter invigilent, ac denique procuran-
„ dæ animarum ſaluti magis, & facilius intenti eſſe poſſint. Eapropter exemplis
„ etiam Prædeceſſorum noſtrorum, divorum quondam Hungariæ Regum, glo-
„ rioſæ memoriæ, impulſæ pro ſummo illo jure Patronatus, quod qua Apoſto-
„ lica Regina Hungariæ in conferendis, & pro ratione neceſſitatis ac utilitatis
„ publicæ ordinandis Diœceſibus optimo jure habere, & exercere dignoſcimur,
„ pro ſalute item, qua ad majorem divini cultus promotionem, & orthodoxæ
„ fidei propagationem ferimur, cura, & ſollicitudine noſtra, præattactos Epi-
„ ſcopatus Jaurinenſem, Veſprimienſem, & in parte etiam Zagrabienſem divi-
„ dendos, & e limitibus eorundem, in remotioribus quippe Comitatibus, &
„ Diſtrictibus, præter alium novum Epiſcopatum Albaregalenſem, Sabarienſem
„ quoque, ab oppido privilegiato Sabarienſi denominationem ſuam habiturum,
„ ea ratione benigne erigendum, & fundandum eſſe duximus, ut nominis hujus
„ ordinarius Diœceſanus Epiſcopus Reſidentiam ſuam cum Eccleſia cathedrali,
„ & Capitulo, ex Præpoſito, Lectore, Cantore, & Cuſtode, duobus item Ca-
„ nonicis, adeoque ſex Individuis conſiſtente, in præfato oppido Sabarienſi ha-
„ beat; limites vero Diœceſis hujus Sabarienſis integrum Comitatum Caſtriferrei,
„ ex Comitatu porro Szaladienſi ita dictum Diſtrictum Szala Egerſzegienſem,
„ hactenus ad Epiſcopatum Veſprimienſem pertinentem, exceptis tamen Paro-
„ chiis Csácsenſi, Csatarienſi, Szent-Láſzloienſi, & Szent-Ivanyienſi, pro eo-
„ dem Epiſcopatu Veſprimienſi ultro quoque relictis, Diſtrictum item ſic nun-
„ cupatum Transmuranum in eodem Comitatu Szaladienſi, ab Epiſcopatu Zagra-

„ bienſi avellendum, ambitu ſuo complectantur. Quoad juniorem Clerum, eam
„ reſpectu Diœceſis hujus fecimus benignam proviſionem, ut quatuordecim Cle-
„ rici ad rationem Diœceſis hujus ex parte redituum Dominii Nyul, Comitatui
„ Jaurinenſi ingremiati, & hactenus ad Epiſcopatum Veſprimienſem pertinentis,
„ in Generali Cleri Regni Hungariæ Seminario penes Univerſitatem Regiam,
„ alii vero ſedecim in Seminario Jaurinenſi ex ejusdem Seminarii reditibus cum
„ aliis Diœceſis Jaurinenſis Clericis eodem modo conſtanter interteneantur, qui
„ præciſe ab ipſius Epiſcopi Sabarienſis ſeu in receptione, ſeu evocatione, libe-
„ ra plenariaque diſpoſitione dependeant. Pro condecente demum Epiſcopi ſubſi-
„ ſtentia, neo-erecto huic Epiſcopatui Sabarienſi univerſa Bona, ac Dominia,
„ & quidem Dominium Sabarienſe, in Comitatu Caſtriferrei exiſtens, & ad
„ Epiſcopatum Jaurinenſem hucdum pertinens, nunc pro tunc, ubi nempe idem
„ Epiſcopatus Jaurinenſis vacans effectus fuerit, cum univerſis tam ejusdem Do-
„ minii, quam & aliis Comitatus Caſtriferrei Decimis, ad eundem Epiſcopa-
„ tum Jaurinenſem de jure, & ab antiquo percipi ſolitis, nec non Dominium
„ Szala Egerſzegh in Comitatu Szaladienſi exiſtens, ante ad Epiſcopatum Ve-
„ ſprimienſem ſpectans, æque una cum Decimis tam ex eodem Dominio, quam
„ & ex aliis Diſtrictus illius Comitatus Szaladienſis, qui ad Diœceſim hanc Sa-
„ barienſem per nos applicitus eſt, locis, ad eundem Epiſcopatum Veſprimien-
„ ſem percipi ſolitis (exceptis proinde Decimis Capituli Zagrabienſis, in eodem
„ Diſtrictu vi fundationalium ſuarum habitis) deinceps in qualitate Dotis, pro
„ Epiſcopatu hocce Sabarienſi adſignatæ, conſideranda, ſimul cum cunctis Ca-
„ ſtris, Caſtellis, Oppidis, Villis, Poſſeſſionibus, Prædiis, & eorundem apper-
„ tinentiis, terris ſcilicet arabilibus cultis, & incultis, agris, pratis, paſcuis,
„ campis, fœnetis, hortis, pomariis, ſilvis, nemoribus, dumetis, virgultis, ex-
„ tirpaturis, montibus, collibus, vallibus, vineis, & earum promontoriis, flu-
„ viis, aquis, piſcinis, piſcaturis, piſciumve clauſuris, & aquarum decurſibus,
„ molendinis, & eorundem locis, generaliter vero quarumlibet utilitatum, ob-
„ ventionum, redituum, & pertinentiarum ſuarum integritatibus, quovis nomi-
„ nis vocabulo vocitatis, ſub ſuis veris metis, & antiquis limitibus exiſtentibus
„ ad præfata Dominia Szala Egerſzeghienſe, & Sabarienſe, de jure, & ab an-
„ tiquo ſpectantibus, & pertinere debentibus, ubicunque ſub ſacra prerepetiti
„ Regni noſtri Hungariæ Corona exiſtentibus, & habitis, cæterisque privilegiis,
„ juribus, & jurisdictionibus de Lege Regni, & paſſim recepta conſuetudine,
„ Clero, qua Domino terreſtri, legitime competentibus, Donationis, ac piæ
„ Fundationis titulo, pleno jure Dominii, Regio, & perennali (ſalvo tamen
„ jure aliorum, ſi quod præattactis Bonis ineſſe legitime comprobatum fuerit)
„ benigne conferenda eſſe duximus. Immo conferimus, donamus, & fundamus
„ perpetuo, & irrevocabiliter tenenda, poſſidenda, habenda pariter & uſuanda;
„ reſervantes cæteroquin nobis, & ſucceſſoribus noſtris, Hungariæ Regibus,

„ omnia in Capitulo beneficia eccleſiaſtica, & canonicatus jus conferendi ad-
„ miſſa dumtaxat ipſi Epiſcopo in caſu ſingulæ vacantiæ pro tali ſupplenda duo-
„ rum idoneorum ſubjectorum electione, & nobis demiſſa præſentatione, citra
„ tamen poteſtatis noſtræ in hoc vel illo ſubjecto denominando reſtrictionem.
„ Quæ omnia dum mente, animoque deliberato, & ex plenitudine poteſtatis
„ noſtræ Regiæ hiſce clementer ſtatuimus, fundamus, & ordinamus, una non
„ ambigimus, quod, quemadmodum hic per nos clementer neo erectus, &
„ fundatus Epiſcopatus unice ad incrementum Religionis orthodoxæ, per idque
„ magis, ac melius promovendam animarum ſalutem directus eſt, eique ad ſuam
„ conſiſtentiam perducendo nos omni cura, ſollicitudine intentæ fuimus, ita
„ noſtri quoque Succeſſores non minori ſollicitudinis ſtudio ſalutare hoc, &
„ pientiſſimum Inſtitutum noſtrum ad omnem ætatem firmiter manutenturi, ſub-
„ ſequenter totum id, quod ad neo erectum, & fundatum huncce Epiſcopatum
„ prævia ratione per nos clementer deſtinatum habetur, tamquam pro perpetuo
„ ſtipulatam, & pactatam fundationalem Dotem absque diminutione in ſua in-
„ tegritate conſervaturi, & pro ratione circumſtantiarum novis etiam gratiis,
„ & favoribus adaucturi ſint. Quapropter omnibus, & ſingulis, quorum intereſt,
„ benigne præcipimus, & mandamus, quatenus præſentem ſalutarem, pientiſſi-
„ mamque fundationem, & ordinationem noſtram quibusvis evenire queuntibus
„ in caſibus ad amuſſim obſervare noverint, neque eidem ſub incurſu indigna-
„ tionis noſtræ Regiæ quaqua ratione contravenire præſumant. In quorum majus
„ robur, perpetuamque firmitatem haſce majori ſecreto ſigillo noſtro, quo ut
„ Regina Hungariæ Apoſtolica utimur, impendenti communitas, extradandas eſſe
„ duximus, & concedendas Literas fundationales. Datum per manus fidelis no-
„ ſtri nobis ſincere dilecti Spectabilis ac Magnifici Comitis Franciſci Eſzter-
„ házy de Galantha, perpetui in Frakn o, Aurei Velleris, & una inſignis Or-
„ dinis ſancti Stephani Regis Apoſtolici magnæ crucis Equitis, Camerarii, Con-
„ ſiliariique noſtri actualis intimi, Comitatus Moſonienſis Supremi Comitis, Cu-
„ riæ noſtræ Regiæ Magiſtri, & per antelatum noſtrum Hungariæ Regnum Au-
„ læ noſtræ, prout & præfati Inſignis Ordinis ſancti Stephani Cancellarii, in
„ Archiducali civitate noſtra Vienna Auſtriæ die 17. menſis Februarii Anno Do-
„ mini 1777. Regnorum noſtrorum Hungariæ, Bohemiæ, & reliquorum Anno
„ trigeſimo ſeptimo. Reverendiſſimis, Illuſtriſſimis, Reverendis item, ac vene-
„ rabilibus in Chriſto Patribus Dominis: Joſepho e Comitibus de Batthyán per-
„ petuo in Németh Ujvár S. R. I. Principe Strigonienſis, Adamo L. Barone Pa-
„ tachich de Zajezda Colocenſis, & Bacſienſis Eccleſiarum canonice unitarum
„ Metropolitanarum Archiepiſcopis, Comite Franciſco Zichy de Vaſonkeö Jau-
„ rinenſis, Georgio Klimo Quinque Eccleſienſis; Comite Carolo Eſzterházy de
„ Galantha Agrienſis; Chriſtophoro e Comitibus Migazzi de Vaal, & Sonnen-
„ thurn S. R. E. Cardinale, Principe S. R. Imperii Adminiſtratore Vacienſis;

„ Joſepho Gállyuff Zagrabienſis, Joanne Baptiſta Caballini Segnienſis, & Mo-
„ druſienſis, ſeu Corbavienſis; Matthæo Franciſco Kertitza Boznenſis, ſeu Dia-
„ kovienſis, & Sirmienſis; Comite Ladislao Kolonics de Kollegráth Tranſilva-
„ nienſis; Carolo Szalbek Scepuſienſis; Comite Franciſco Berchtold L. Barone
„ ab Ungerſchütz Neoſolienſis; C. Antonio de Réva Roſnavienſis; Ioſepho Baj-
„ zárh electo Veſprimienſis (ſedibus Magno Varadienſi, Nitrienſi, & Cſanadienſi
„ vacantibus) Antonio Zlatarich Belgradienſis, ſeu Samandrienſis; Joanne Szily
„ Tininienſis; Stephano Jaklin de Elephant electo Almiſienſis; C. Sigiſmundo
„ Keglevits de Buzin electo Makarienſis; Joanne Alapi electo Dulcinenſis,
„ Emerico Kriſtovits electo Scutarienſis, Eccleſiarum Epiſcopis Eccleſias Dei
„ feliciter gubernantibus. Sereniſſimo item Principe Domino Alberto Regio Po-
„ loniarum, & Lythvaniæ Principe, Duce Saxoniæ, prælibati Regni noſtri Hun-
„ gariæ Locumtenente noſtro Regio, nec non Spectabilibus, ac Magnificis C.
„ Georgio Fekete de Galantha Judice Curiæ noſtræ Regiæ, C. Franciſco de
„ Nadásd perpetuo Terræ Fogarás Regnorum noſtrorum Dalmatiæ, Croatiæ, &
„ Sclavoniæ Bano, C. Adamo de Batthyán Tavernicorum, Illuſtriſſimo S. R. I.
„ Principe Nicolao Eſzterházy de Galantha, Nobilis Turmæ noſtræ Prætoriæ
„ Hungaricæ Capitaneo, antelato Comite Franciſco Eſzterházy de Galantha Cu-
„ riæ, C. Joanne Nepomuceno Cſaky de Kereſztſzegh Agazonum, C. Franciſco
„ Döry de Jobaháza Pincernarum, C. Joanne Nepomuceno Erdödy de Monyo-
„ rokerék Cubiculariorum, C. Antonio Károlyi de Nagy Károly Dapiferorum,
„ C. Leopoldo Pálffy ab Erdöd Janitorum noſtrorum Regalium per Hungariam
„ Magiſtris, ac C. Joanne Palffy ab Erdöd Comite Poſonienſi, cæterisque quam
„ plurimis ſæpefati Regni noſtri Hungariæ Comitatus tenentibus, & honores. „

Eodem anno, ac die Princeps Auguſta primum Epiſcopum Sabarienſem elegit, ac nominavit JOANNEM SZILY *de Felsö Szopor*, antea conſecratum Epiſcopum Tininienſem, Præpoſitum S. Adalberti de Jaurino, Cathedralis Eccleſiæ Jaurinenſis Canonicum, & C. Franciſci Zichy Epiſcopi Jaurinenſis in pontificalibus ſuffraganeum, dato ſequenti diplomate:

„ Nos MARIA THERESIA &c. memoriæ commendamus tenore præ-
„ ſentium ſignificantes, quibus expedit univerſis: quod nos pro ea, qua in con-
„ ſtituendis Eccleſiarum Dei Paſtoribus tenemur cura, & ſollicitudine, benignam
„ habentes reflexionem ad præclaras virtutes, laudatosque, & acceptabiles mores,
„ ſingularemque doctrinam, & eruditionem, omnibusque gratam, & acceptam
„ exemplaris vitæ converſationem, ac cæteras excellentes animi dotes, & qua-
„ litates fidelis noſtri nobis dilecti Reverendi JOANNIS SZILY electi, & con-
„ ſecrati Epiſcopi Tininienſis, Præpoſiti S. Adalberti de Jaurino, & Droſzo,
„ Cathedralis Eccleſiæ Jaurinenſis Canonico, nec non Reverendi, Spectabilis
„ item, ac Magnifici Comitis Franciſci Zichy de Vaſonkeö Epiſcopi Jaurinenſis
„ in Pontificalibus ſuffraganei, quibus ipſum Dei altiſſimi munere inſignitum, &

„ ornatum eſſe tam aliorum fidelium noſtrorum fide digno teſtimonio, cum „ etiam propria experientia noſtra benigne cognovimus. Eundem itaque JOANNEM SZILY tamquam perſonam idoneam ac de Eccleſia Dei, ſacraque dicti „ Regni noſtri Hungariæ Corona, ac Majeſtate quoque noſtra benemeritam, „ nobisque gratam, & acceptam ad neo-erectum, & ſuis limitibus circumſcriptum „ Epiſcopatum Sabarienſem authoritate juris Patronatus noſtri Regii, quod generaliter in conferendis omnibus prædicti Regni noſtri Hungariæ, & Partium ei „ adnexarum Eccleſiis, earumque Beneficiis inſtar divorum quondam Hungariæ „ Regum Prædeceſſorum noſtrorum glorioſæ reminiſcentiæ optimo jure habere, „ & exercere dignoſcimur, eligendum, & nominandum, ipſumque ad præfatum „ Epiſcopatum Sabarienſem promoventes, univerſa Bona, & Dominia, & „ quidem Dominium Sabarienſe in Comitatu Caſtriferrei exiſtens, & ad Epiſcopatum Jaurinenſem pertinens cum univerſis tam ejusdem Dominii, quam & „ aliis Comitatus Caſtriferrei Decimis, ad eundem Epiſcopatum Jaurinenſem de „ jure, & ab antiquo percipi ſolitis, nec non Dominium Szala Egerſzeg in „ Comitatu Szaladienſi exiſtens, ante ad Epiſcopatum Veſprimienſem ſpectans, „ æque una cum Decimis tam ex eodem Dominio, quam & ex aliis Diſtrictus „ illius Comitatus Szaladienſis, qui ad Diœceſim hanc Sabarienſem per nos applicitus eſt, locis, ad eundem Epiſcopatum Veſprimienſem percipi ſolitis (exceptis „ proinde Decimis Capituli Zagrabienſis in eodem Diſtrictu vi fundationalium „ ſuarum habitis) deinceps in qualitate Dotis pro Epiſcopatu Sabarienſi aſſignatæ „ conſideranda, ea tamen lege, ut, cum antelatum Dominium Sabarienſe una „ cum Decimis Comitatus Caſtriferrei, actu per Epiſcopum Jaurinenſem usque „ dies vitæ ſuæ poſſideatur, collatio præſens relate ad hoc Dominium, & Decimas non prius, ac cum moderni Epiſcopi Jaurinenſis e vita hac deceſſu „ effectum ſuum ſortiatur, adeoque eousque ſæpefato Epiſcopo Jaurinenſi pacifice „ poſſidendum relinquatur, ſimul cum cunctis caſtris, caſtellis, oppidis, villis, „ poſſeſſionibus, ac emolumentis ad modofata Dominia Szala Egerſzegienſe, & „ Sabarienſe de jure, & ab antiquo ſpectantibus, & pertinere debentibus, quovis „ nominis vocabulo vocitatis, ubicunque ſub ſacra prærepetiti Regni noſtri Hungariæ Corona exiſtentibus, & habitis, prouti nempe per antelatos Epiſcopatus „ Veſprimienſem, & Jaurinenſem poſſeſſa fuerunt, & reſpective poſſidentur, ac „ vita durante Epiſcopi Jaurinenſis poſſidebuntur, partim nunc illico, partim „ vero præſcripto modo nunc pro tunc danda duximus, & conferenda, prout „ præſentium per vigorem nominamus, eligimus & promovemus, damusque, „ & conferimus. Volumus autem, ut idem nominatus Epiſcopus ſecundum normalem reſolutionem noſtram ex reditibus memorati Epiſcopatus eo tum, ubi „ Dominium Sabarienſe ad Epiſcopatum hunc prævio modo plene reciderit, „ medio conſcriptionis Cameralis, quam antelatus Epiſcopus Sabarienſis hunc „ in finem admittere obligabitur, eruendis, ad generalem quidem Parochorum

„ Caſſam decem per centum quottam attunc definiendam, ab alia nihilominus „ decem procentuali præſtatione ad Caſſam fortificatoriam dependenda antelatum „ electum Epiſcopum Sabarienſem unice ad perſonam ſuam ex peculiaribus re- „ flexionibus benigne diſpenſantes, atque ex ærario noſtro Camerali quottam „ hanc decem procentualem prævio modo definiendam ad Caſſam fortificatoriam „ eousque ſuppleturæ, annue rite pendere, & præſtare teneatur, reſervantes cæ- „ teroquin nobis, & Succeſſoribus noſtris Hungariæ Regibus omnia in Capitulo „ Beneficia Eccleſiaſtica, & Canonicatus jus conferendi, admiſſa dumtaxat ante- „ lato Epiſcopo in caſu ſingulæ vacantiæ, pro tali ſupplenda duorum idoneo- „ rum ſubjectorum electione, & nobis demiſſa præſentatione, absque tamen „ noſtri omni ad hanc præſentationem reſtrictione. Quocirca vobis fidelibus „ noſtris honorabilibus, Præpoſito, Lectori, Cantori, Cuſtodi, cæterisque Cano- „ nicis, ac Beneficiatis tam ipſius Eccleſiæ Sabarienſis, quam etiam aliarum „ Diœceſi illi ſubjectarum harum ſerie firmiter præcipientes committimus, & „ mandamus, quatenus a modo impoſterum prænentionatum JOANNEM SZILY „ pro veſtro vero legitimo, & indubitato Epiſcopo, & Prælato habere, tenere, „ & recognoſcere, eidemque debitam reverentiam, honorem, & obedientiam, „ prout bonos, & pios Eccleſiæ Miniſtros decet, præſtare, & exhibere, in „ omnibus denique licitis, & conſuetis rebus Jurisdictioni illius parere, & ob- „ temperare debeatis, & teneamini: ſecus non facturi. Præſentibus perlectis, „ exhibenti reſtitutis. Datum per manus fidelis noſtri nobis ſincere dilecti Spe- „ ctabilis, ac Magnifici Comitis Franciſci Eſzterhazy &c. in Archiducali civitate „ noſtra Vienna Auſtriæ, Die decima ſeptima menſis Februarii, Anno Domini „ milleſimo ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, Regnorum noſtrorum Hun- „ gariæ, Bohemiæ, & reliquorum anno trigeſimo ſeptimo. „

Solemnis introductio peracta fuit Poſonii per Joſephum L. B. a Pföffershoffen, Regiæ Cameræ Hungarico - Aulicæ Conſiliarium, ad Kalendas proximi menſis Martii anno ſupra dicto 1777.

CAPUT II.

Bullæ Pontificiæ, Erectionem Epiſcopatus Sabarienſis, & Translationem confirmationemque primi ejusdem Epiſcopi concernentes.

NON diu cunctatus eſt PIVS VI. Pontifex Romanus pientiſſimis M. THERESIÆ Reginæ Apoſtolicæ votis ſubſcribere. Ejus Bullæ, ſecundum receptam Eccleſiæ Catholicæ conſuetudinem ſuper hoc negotio datæ, hujus ſunt tenoris:

I. *Bulla Erectionis Epiſcopatus Sabarienſis.*

„ PIVS Epiſcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.
„ Relata ſemper ab Eccleſia militante in verbo illius, qui firmam ſupra petram
„ ædificavit eam contra Principem tenebrarum, victoria, quemadmodum per elata
„ quandoque inter populos, in umbra mortis ſedentes, Crucis vexilla, quandoque
„ vero per novos etiam in ſinu credentium Epiſcopatus, in medio aliorum veluti no-
„ va Fidei tentoria, ac propugnacula, erectos, ad cuſtodiendam, & defenden-
„ dam Civitatem ſanctam, ac Vineam Domini electam, fuit omni tempore non
„ ſine Prædeceſſorum noſtrorum gaudio, ac Chriſti fidelium ſpirituali progreſſu,
„ ac ſolamine recognita, Nos ita, quos licet immerentes, ipſius Eccleſiæ regimi-
„ ni conſtituit Dominus, animo cæterum revolventes, quam facile ſit, ex non-
„ nullarum Diœceſium amplitudine ut oriantur abuſus, quamque difficile eos inde
„ ſic ortos eliminare, & evellere; ex debito idcirco Paſtoralis officii, ne in me-
„ dium prodeant, Apoſtolicæ Poteſtatis gladio præcaventes cuicunque incommo-
„ do per novarum Cathedralium erectiones, principibus quum a Regiis, ac Gene-
„ roſis Fœminis, de Catholica Fide optime meritis, ſunt expetitæ, viam præclu-
„ dere ſatagimus, ut tandem benedicente Domino, qui exiguis incrementum dat,
„ labores noſtros omnes populi etiam tenebris obvoluti, quod paravit Deus in
„ æternum lumen ad revelationem gentium, propius videre, ſicque in univerſa
„ terra unus tantum Paſtor, ac unum Ovile utiliſſime cum gratiarum actione va-
„ leant adeſſe. Cum itaque nobis innotuerit, quod ob unius Vesprimienſis actu
„ vacantis, ac alius Jaurinenſis, & reliqui Epiſcopatuum Zagrabienſis, nimis
„ amplas, easque diffuſas Jurisdictiones fieri non poteſt, ut unus reſpective illa-
„ rum Eccleſiarum Epiſcopus per ſe tantum ſuum, ut par eſt, Paſtorale munus
„ explere, ac ſingulorum Fidelium, ſibi vel præcipue commiſſorum, ſpirituali-
„ bus indigentiis proſpicere, ac remedia incommodis quandoque inter unum
„ Ovile Chriſti contingentibus, ea qua decet promtitudine afferre valeat,
„ & idcirco Chariſſima in Chriſto Filia noſtra MARIA THERESIA
„ Imperatrix vidua, ac Hungariæ, & Bohemiæ Regina Apoſtolica, quæ
„ pro ipſa Catholica militante Eccleſia, ſemper illuſtrioribus ditanda trophæis
„ contra humani generis inimicum magis indies ſe ſtudioſam oſtendit, inſi-
„ nuaverit nobis, ut, ſi a ſupra dictis Epiſcopatibus infraſcripti Comitatus
„ per nos, ut infra, perpetuo dismembrarentur, & intra illos, videlicet in op-
„ pido infra ſcripto novus Epiſcopatus erigeretur, opus quidem utile orthodoxæ
„ Religioni, ac ipſismet Chriſti fidelibus juxta ejus flagrantia deſideria perficere-
„ tur. Nos audita prius ſuper his Congregationis venerabilium Fratrum noſtro-
„ rum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium rebus Conſiſtorialibus propoſita ſcien-
„ tia, nec non attentis peculiaribus circumſtantiis, & accedente ad hæc omnia
„ venerabilium etiam Fratrum noſtrorum modernorum Jaurinenſis, & Zagrabienſis,

„ reſpective

„ reſpective Epiſcoporum, conſenſu, tam pia ejusdem MARIAE THERESIAE
„ Reginæ Apoſtolicæ deſideria fovere, illiusque deſuper per ſuas Litteras nobis
„ datas oblatis precibus clementer annuere volentes, motu proprio, & ex certa
„ ſcientia Dominia, Comitatus, & Diſtrictus infra ſcripta, a Vesprimienſi, ac
„ Jaurinenſi, & Zagrabienſi reſpective Diœceſibus præſcriptis, penitus ac perpe-
„ tuo, tenore præſentium Apoſtolica authoritate dividimus, & ſeparamus, ac
„ oppidum Sabarienſe nuncupatum, quod, ſicut accepimus, B. Martini, dum vi-
„ veret, Epiſcopi Patria extitit, juxta canonicas ſanctiones Civitatis Epiſcopa-
„ lis titulo, & honore, dicta Apoſtolica authoritate etiam perpetuo decoramus,
„ nec non Sæcularem, & Collegiatam Eccleſiam in dicto oppido, per nos Civi-
„ tatis Epiſcopalis titulo (ut præfertur) decorato exiſtentem, illiusque Collegiali-
„ tatis titulum, denominationem, naturam, & eſſentiam eadem Apoſtolica au-
„ thoritate pariter perpetuo ſupprimimus, & extinguimus, ipſamque Collegiatam
„ Eccleſiam, per nos (ut præfertur) ſuppreſſam, & extinctam vocatam, illius
„ Capitulo ex Præpoſito videlicet Præpoſituram, quæ inibi principalis, ac Lecto-
„ re Lectoratum, qui ſecunda, ac Cantore Cantoratum, qui tertia, ac Cuſtode
„ Cuſtodiatum, qui quarta, reſpective Dignitates Canonicatus nuncce exiſtunt,
„ obventibus compoſito, ac ſubinde duobus aliis Canonicis participantibus ex de-
„ ſtinatis hanc in rem fundis augendo, de Apoſtolicæ Poteſlatis plenitudine in
„ Eccleſiam Cathedralem Sabarienſem pro uno Epiſcopo Sabarienſi, qui omnibus
„ Epiſcopalibus Inſigniis, Privilegiis, & Prærogativis eisdem, modo, & forma,
„ quibus cæteri Epiſcopi, præſertim Hungatiæ Regni, perfruuntur, & gaudent,
„ eadem Apoſtolica authoritate ſimiliter perpetuo erigimus, & inſtituimus. Nec
„ non Præpoſituram præfatam in Majorem poſt Pontificalem, cæteras vero Di-
„ gnitates, ſeu Canonicatus ejnsdem Collegiatæ Eccleſiæ per nos (ut præfertur)
„ ſuppreſſæ, & extinctæ, cum dictis duobus aliis Canonicatibus, quibus idem Ca-
„ pitulum (ut præfertur) augebitur, in totidem Dignitates, ſeu reſpective Canoni-
„ catus ipſius Cathedralis Eccleſiæ Sabarienſis, per nos etiam (ut præfertur) ere-
„ ctæ ſubrogatam, & ſubrogatas, ſeu reſpective ſubrogatos eſſe dicta Apoſtolica
„ authoritate ibidem perpetuo declaramus, & pro dictæ Eccleſiæ Epiſcopalis Sa-
„ barienſis per nos (ut præfertur) erectæ dote ad illius futuri Epiſcopi pro tempo-
„ re exiſtentis Pontificalem Dignitatem decenter tenendam, ex bonis videlicet di-
„ cti Epiſcopatus Vesprimienſis Dominium Szala Egerſzegh, ex vero Epiſcopatus
„ Jaurinenſis hujusmodi Dominium Sabarienſe reſpective nuncupata, & ex iis ob-
„ venientes proventus fere viginti millium florenorum monetæ illarum partium in
„ præfatis fundis immobilibus, & Decimis, quos quidem proventus obtingentes
„ ex parte Dominii Sabarienſis præfati illico novus Epiſcopus Sabarienſis præfatus
„ non percipiet, ſed ſtatim, ac e manibus moderni Epiſcopi Jaurinenſis legitimi
„ Poſſeſſoris pars prædicta Bonorum, huic Epiſcopatui deſtinata, eliberata fuerit,
„ eousque vero de alio convenienti ſubſidio eidem futuro Epiſcopo Sabarienſi

„ præfata MARIA THERESIA Regina Apoſtolica proſpiciet, eadem Apoſtolica „ authoritate perpetuo quoque conſtituimus, & aſſignamus. Seminario autem Clericorum pro illius manutentione, ſeu dotatione, partim vero ejusdem (ut præfertur) vacantis Epiſcopatus Vesprimienſis, ac ſignanter Dominii Nyul nuncupati reſpective reditus Apoſtolica authoritate præfata ſimiliter perpetuo applicamus, & addicimus, & inſuper pro Diœceſi futuri Epiſcopi Sabarienſis præfati limites per totum Comitatum Caſtriferrei, ac præterea Diſtrictum Szala Egerſzeghienſem (ut præfertur) nuncupatum in Comitatu Szaladienſi, hucusque ad Diœceſim Vesprimienſem præfatam pertinentem, exceptis tamen Parochiis Cſácſienſi, Cſatarienſi, Szent Laſzloienſi, & Sz. Ivanyienſi pro eadem Diœceſi Vesprimienſi ultro quoque relictis, adeoque cum reliquis unice Parochiis, Bagod, Bonczodfölde, Háshagy, Millo, Nova, Puſzta Magyarod, Szala Egerſzegh, Szala Szent György, Salomvár, Sütör, & Tarnok reſpective nuncupatis, adeoque Parochiis matricibus undecim, earumque Filialibus, ex Diœceſi vero Zagrabienſi in eodem Comitatu Saladienſi Diſtrictum Transmuranum nuncupatum cum ſexdecim Parochiis, earumque filialibus, ab eodem Epiſcopatu (ut præfertur) dismembratum, intra cujus Diœceſis limites numerabit idem Epiſcopatus 144 Parochiales Matrices præter numeroſas eisdem Parochialibus adnexas filiales Eccleſias, dicta Apoſtolica authoritate itidem perperpetuo concedimus, & aſſignamus. Nec non jus nominandi, ſeu præſentandi a dicta MARIA THERESIA Regina Apoſtolica, ejusque in Regno Hungariæ Succeſſoribus Regibus infra tempus a Jure præfixum nobis & Succeſſoribus noſtris Romanis Pontificibus pro tempore exiſtentibus, Perſonam idoneam ad dictam Eccleſiam Epiſcopalem Sabarienſem per nos (ut præfertur) erectam, a primæva illus erectione vacantem, tam pro prima vice, quam etiam impoſterum in futuris illius vacationibus pari prorſus modo quoad nominationem, ſeu præſentationem eandem Epiſcopi, aliarumque Cathedralium Eccleſiarum, in præfato Regno Hungariæ exiſtentium, a Sede Apoſtolica præfata præfici conſueverunt, cum ea tamen lege, quod tam præfatus futurus Epiſcopus Sabarienſis, in dicta Cathedrali Eccleſia Sabarienſi, per nos (ut præfertur) erecta, hujusmodi Succeſſores omnes ordinariæ Jurisdictioni pro tempore exiſtentis Archiepiſcopi Strigonienſis, uti eorum Metropolitano ſubjecti ſint, & eſſe debeant, Apoſtolica authoritate præfata ſimiliter perpetuo clementer admittimus, ac præterea eidem MARIAE THERESIAE Reginæ Apoſtolicæ, ejusque in præfato Hungariæ Regno Succeſſoribus Regibus hujusmodi jus omnia Beneficia Eccleſiaſtica, omnesque Canonicatus, & præbendas in Capitulo dictæ Eccleſiæ Cathedralis Sabarienſis, per nos (ut præfertur) erectæ exiſtentia, & exiſtentes conferendi, dicta Apoſtolica authoritate ſimiliter perpetuo concedimus, & reſervamus, decernentes easdem præſentes ſemper, & perpetuo validas, & efficaces eſſe, & fore, ſuosque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos nunc ſpectat, & pro

„ tempore ſpectabit quomodolibet in futurum, firmiter, & inviolabiliter obſer-
„ vari debere, ac nullo unquam tempore ex quocunque capite, vel qualibet cau-
„ ſa, quantumvis juridica, & legitima, etiam ex eo, quod cauſæ, propter quas
„ eædem præſentes emanarunt, adductæ, verificatæ, & juſtificatæ non fuerint,
„ & ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, aut in-
„ tentionis noſtræ, ſeu quopiam alio, quantumvis magno ſubſtantiali, inexcogi-
„ tato, & inexcogitabili, ac ſpecialem, & individuam mentionem, & expreſſi-
„ onem requirente defectu; ſeu etiam ex eo, quod in præmiſſis, eorumque aliquæ
„ ſolemnitates, & quævis alia ſeruanda, & adimplenda, ſervata, & adimpleta
„ non fuerint, aut ex quocunque alio capite de jure, vel facto, ſeu ſtatuto, vel
„ conſuetudine aliqua reſultante, ſeu etiam enormis, enormiſſimæ, totalisque
„ Læſionis, aut quocunque alio colore, prætextu, aliqua ratione, vel cauſa etiam
„ quantumvis juſta, rationabili, legitima, juridica, pia privilegiata, etiam tali,
„ quæ ad effectum validitatis præmiſſorum neceſſario exprimenda foret, aut quod
„ de voluntate noſtra, & aliis ſuperius expreſſis nullibi appareret, ſeu alias pro-
„ bari poſſet, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controverſiam
„ revocari, aut ad viam, & terminos juris reduci, aut adverſus illas reſtitutionis
„ in integrum, apertionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut ad
„ aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiæ, vel juſtitiæ remedium impetrari,
„ ſeu quomodolibet etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus
„ conceſſæ, & impetratæ, vel emanatæ quempiam uti, ſeu ſe juvare in judicio,
„ vel extra illud poſſe, neque easdem præſentes ſub quibusvis ſimilium, vel diſ-
„ ſimilium gratiarum revocationibus, ſuppreſſionibus, limitationibus, derogatio-
„ nibus, aliisque contrariis diſpoſitionibus, per quascunque Literas, & Conſti-
„ tutiones Apoſtolicas, aut Cancellariæ Apoſtolicæ regulas, quandocunque etiam
„ in craſtinum aſſumptionis noſtræ, & Succeſſorum noſtrorum Romanorum Pon-
„ tificum ad ſummi Apoſtolatus apicem, etiam motu, ſcientia, & Poteſtatis ple-
„ nitudine paribus, etiam conſiſtorialiter ex quibuslibet cauſis, & ſub quibus-
„ cunque verborum expreſſionibus, tenoribus, & formis, ac cum quibusvis
„ clauſulis, & Decretis, etiamſi in eis de eisdem præſentibus, earumque toto
„ tenore ac data ſpecialis mentio fiat, editas, vel impoſterum edendas compre-
„ hendi, ſed ſemper, & omnino ab illis excipi, & quoties illa emanabunt,
„ toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenarie
„ reintegratas fore, & eſſe, ſicque, & non alias, per quoscunque Judices ordi-
„ narios, vel Delegatos, quavis authoritate fungentes, etiam Cauſarum Palatii
„ Apoſtolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam
„ de Latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios; aliosque quoscunque, quavis
„ authoritate, poteſtate, facultate, prærogativa, ac privilegio fungentes, ac
„ honore, ac præeminentia fulgentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter
„ judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate in quocunque judicio, &

„ in quacunque inſtantia judicari, & definiri debere, irritumque, & inane, ſi
„ ſecus ſuper his a quoquam auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit atten-
„ tari, non obſtantibus, quid opus ſit noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ præfatæ
„ regula de jure quæſito non tollendo, aliisque in contrarium præmiſſorum quo-
„ modolibet etiam in Synodalibus Provincialibus, Generalibus, & Univerſalibus
„ Conciliis editis, vel edendis, ſpecialibus, vel generalibus conſtitutionibus, &
„ ordinationibus Apoſtolicis, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis,
„ quibusvis ſuperioribus, & perſonis, ſub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum
„ quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficaciſſimis,
„ & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in ſpecie,
„ etiam motu, & ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus pro tempore con-
„ ceſſis, & concedendis, quibus omnibus, & ſingulis, etiam pro illorum ſuffi-
„ cienti derogatione, alias de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis ſpecifica
„ expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales, idem importantes
„ mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia, etiam exquiſita
„ forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujusmodi, ac ſi de verbo ad verbum
„ nihil penitus omiſſæ, & forma in illis tradita obſervata, & inſerti forent,
„ ejusdem præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes,
„ illis alias in ſuo robore permanſuris, latiſſime, & pleniſſime, ad præmiſſorum
„ validiſſimum effectum ſpecialiter, & expreſſe, nec non opportune, & valide
„ hac vice dumtaxat, harum ſerie, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine pari-
„ bus derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod
„ Eccleſia Cathedralis Sabarienſis, per nos (ut præfertur) erecta juxta ejus re-
„ ditus de more taxari, & hujusmodi Taxa in Libris Cameræ Apoſtolicæ deſcribi
„ debeat, quodque in Executorem pro executione tantum earundem præſentium
„ dilectus Filius noſter, & Sedis Apoſtolicæ præfatæ Nuncius Viennenſis cum
„ facultate ſubdelegandi deputetur. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam
„ noſtræ Diviſionis, Conſtitutionis, Aſſignationis, Applicationis, Addictionis,
„ Admiſſionis, Conceſſionis, Reſervationis, Decreti derogationis, & Voluntatis
„ infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præ-
„ ſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri ac Pauli
„ Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno
„ Incarnationis Dominicæ Milleſimo Septingenteſimo Septuageſimo Septimo,
„ quintodecimo Calendas Julii, Pontificatus autem noſtri Anno tertio. „

II. *Bulla Tranſlationis JOANNIS SZILY Epiſcopi Tininienſis ad Epiſcopatum Sabarienſem.*

„ PIVS Epiſcopus Servus Servorum Dei Venerabili fratri JOANNI
„ *SZILY* nuper Epiſcopo Tininienſi in Epiſcopum Sabarienſem electo ſalutem,

„ & Apoſtolicam benedictionem. Romani Pontificis, quem Paſtor ille cœleſtis,
„ & Epiſcopus animarum poteſtatis plenitudine ſibi tradita Eccleſiis prætulit
„ univerſis, ſollicitudo requirit, ut circa cujuslibet Ecccleſiæ ſtatum ſic vigi-
„ lanter excogitet, ſicque proſpiciat diligenter, quod ejusdem providentiam cir-
„ cumſpectam interdum per ſimplicis proviſionis officium, quandoque vero
„ per miniſterium translationis accommode, prout perſonarum, locorum, &
„ temporum qualitas exigit, & Eccleſiarum utilitas perſuadet, Eccleſiis ſin-
„ gulis Paſtor accedat idoneus, & Pater providus deputetur, qui populum
„ ſuæ curæ creditum ſalubriter dirigat, & informet, ac bona Eccleſiæ ſibi
„ commiſſæ non ſolum gubernet utiliter, ſed etiam multimodis efferat incre-
„ mentis. Sane Eccleſia Sabarienſis in Cathedralem a nobis nuper erecta, ad
„ quam dum illa pro tempore exiſtenti facienda ad chariſſimam in Chriſto
„ filiam noſtram MARIAM THERESIAM Imperatricem Vi-
„ duam, ac Bohemiæ, & Hungariæ Reginam Apoſtolicam ex privilegio
„ Apoſtolico, cui non eſt hucusque in aliquo derogatum, ſpectare dignoſcitur,
„ ab ejus primæva erectione Paſtoris ſolatio deſtituta, nos ad proviſionem
„ ejusdem Eccleſiæ Sabarienſis celerem, & felicem, ne illa longæ vacatio-
„ nis exponatur incommodis, paternis, & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt
„ deliberationem maturam de præficiendo eidem Eccleſiæ Sabarienſi perſonam
„ utilem, ac etiam fructuoſam cum venerabilibus Fratribus noſtris ſanctæ Ro-
„ manæ Eccleſiæ Cardinalibus habuimus diligentem. Demum ad te nuper Epi-
„ ſcopum Tininienſem, conſideratis grandium virtutum donis, quibus perſonam
„ tuam illarum largitor Altiſſimus multipliciter inſignivit, & attendentes, quod
„ tu munere conſecrationis ſuſcepto, Pontificalia exercuiſti, ſolemniter celebraſti,
„ ordinationes habuiſti, & Sacramentum Confirmationis adminiſtraſti, aliaque paſto-
„ ralia munia probe, & laudabiliter obiviſti, fidemque Catholicam juxta articulos jam
„ pridem a Sede Apoſtolica propoſitos expreſſe profeſſus fuiſti, quemque præ-
„ dicta MARIA THERESIA Regina Apoſtolica nobis ad hos per ſuas nomi-
„ navit, eandem Eccleſiam Sabarienſem ſcies, voles, & poteris auctore Domino
„ ſalubriter regere, & feliciter gubernare, direximus oculos noſtræ mentis.
„ Attendentes igitur tam eidem Eccleſiæ Sabarienſi, quam ejus gregi Dominico
„ ſalubriter providere, te licet abſentem a vinculo, quo Eccleſiæ Tininienſi,
„ quæ in partibus infidelium conſiſtit, cui præſens teneris, de eorum fratrum
„ noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes, te ad
„ prædictam Eccleſiam Sabarienſem de ſimili conſilio Apoſtolica auctoritate
„ prædicta transferimus, teque illi in Epiſcopum præficimus, & Paſtorem;
„ curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Sabarienſis tibi in ſpiri-
„ tualibus & temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi ad prædictam
„ Eccleſiam Sabarienſem transeundi licentiam tribuendo, firma ſpe, fiduciaque
„ conceptis, quod dextera Domini tibi aſſiſtente propitia, dicta Sabarienſis Eccle-

„ ſia per tuæ circumſpectionis induſtriam, & ſtudium fructuoſum regetur utiliter, ac proſpere dirigetur, ac grata in eisdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Volumus autem, ut antequam regimini, & adminiſtrationi prædictæ Sabarienſis Eccleſiæ te in aliquo immiſceas, in manibus etiam Venerabilium fratrum noſtrorum Jaurinenſis, & Zagrabienſis Epiſcoporum, ſeu alterius eorum fidelitatis debitæ ſolitum præſtes juramentum juxta formam, quam ſub Bulla noſtra mittimus introclusam, ac formam juramenti hujusmodi, quod præſtabis nobis de verbo ad verbum per tuas patentes Literas tuo Sigillo munitas, cum tui, & Epiſcoporum prædictorum, ſeu alterius eorum ſubſcriptione per proprium Nuncium quantocius deſtinare procures, quibus & eorum cuilibet per Apoſtolicas noſtras Literas mandamus, ut ipſi vel eorum alter a te, noſtro, & Romanæ Eccleſiæ nomine, juramentum hujusmodi recipiant, ſeu recipiat. Quocirca fraternitati tuæ per Apoſtolica Scripta mandamus, ut ad prædictam Sabarienſem Eccleſiam cum gratia noſtræ benedictionis accedens, curam & adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas, ſollicite, fideliter, ac prudenter, quod exinde ſperati fructus proveniant, ac tuæ bonæ famæ odor ex tuis laudabilibus actibus latius diffundatur, dictaque Sabarienſis Eccleſia Gubernatori provido, ac fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque præter æternæ retributionis prœmium, noſtram & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus etiam, quod tu, poſtquam veram, & realem poſſeſſionem totius Dominii Sabarienſis, illiusque fructuum, & redituum perceptionem aſſecutus fueris, ex fructibus ipſius Eccleſiæ Sabarienſis Summam decem pro centenario florenorum illius monetæ in ſubſidium pauperum Parochorum, in Regno Hungariæ exiſtentium, quotannis perſolvere tenearis: quodque Theologalem, & Pœnitentiariam præbendas, nec non Seminarium ad præſcriptum Concilii Tridentini inſtituas, montemque pietatis erigi cures, conſcientiam tuam ſuper his onerantes. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Septingenteſimo Septuageſimo Septimo, Nono Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno tertio. „

III. *Ad M. THERESIAM Reginam Hungariæ.*

„ PIUS Epiſcopus Servus Servorum Dei, Chariſſimæ in Chriſto Filiæ noſtræ MARIÆ THERESIÆ Imperatrici Viduæ, ac Bohemiæ, & Hungariæ Reginæ Apoſtolicæ Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Gratiæ divinæ prœmium, & humanæ laudis præconium acquiritur, ſi per ſæculares Principes Eccleſiarum Prælatis, præſertim Pontificali dignitate præditis, opportuni favoris præſidium, & honor debitus impendatur. Hodie V. Fratrem noſtrum Joannem Szily nuper Epiſcopum Tininienſem, in Epiſcopum Sabarienſem

„ electum, a vinculo, quo Eccleſiæ Tininienſi, quæ in partibus infidelium
„ conſiſtit, cui nunc præerat, tenebatur, de Venerabilium fratrum noſtrorum
„ S. R. E. Cardinalium conſilio Apoſtolica poteſtatis plenitudine abſolven-
„ tes, illum ad Eccleſiam Sabarienſem, in Cathedralem recens a nobis nuper
„ erectam, & a prima ſua, illiusque erectione Paſtoris ſolatio deſtitu-
„ tam, de ſimili conſilio Apoſtolica auctoritate transtulimus, ipſumque
„ illi Epiſcopum præficimus, & Paſtorem; curam, regimen, & adminiſtra-
„ tionem ipſius Eccleſiæ Sabarienſis ei in ſpiritualibus, & temporalibus, ple-
„ narie committendo, prout in noſtris inde confectis Literis plenius continetur.
„ Cum itaque Filia chariſſima ſit virtutis opus, Dei miniſtros benigno favore
„ proſequi, ac eos verbis, & operibus pro Dei ipſius æterna gloria venerari,
„ Majeſtatem tuam requirimus, rogamus, & hortamur attente, quatenus dictum
„ JOANNEM Epiſcopum, & prædictam Eccleſiam Sabarienſem, ſuæ curæ com-
„ miſſam, habeas pro noſtra, & Sedis Apoſtolicæ reverentia propenſius com-
„ mendatos; in ampliandis, & conſervandis juribus ſuis, ſic eos tui benigni fa-
„ voris auxilio proſequaris, quod ipſe JOANNES Epiſcopus tuæ Celſitudinis fultus
„ præſidio in commiſſo ſibi curæ Paſtoralis officio poſſit Deo propitio proſperari
„ ac tibi exinde a Deo perennis vitæ præmium, & a nobis condigna proveniat
„ actio gratiarum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ
„ Milleſimo Septingenteſimo Septuageſimo Septimo, Nono Kalendas Julii, Pon-
„ tificatus noſtri Anno tertio. „

IV. *Ad Epiſcopos Jaurinenſem, & Zagrabienſem.*

„ PIVS Epiſcopus Servus Servorum Dei Venerabilibus fratribus Jauri-
„ nenſi, & Zagrabienſi Epiſcopis Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum
„ nos hodie V. Fratrem noſtrum JOANNEM SZILY nuper Epiſcopum Tininienſem,
„ in Epiſcopum Sabarienſem electum, a vinculo, quo Eccleſiæ Tininienſi, quæ in
„ partibus infidelium conſiſtit, cui tunc præerat, tenebatur, de Venerabilium
„ etiam fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio, & Apoſtolicæ pote-
„ ſtatis plenitudine abſolventes, illum ad Eccleſiam Sabarienſem, in Cathedralem
„ a nobis nuper erectam, & a primæva ejus erectione Paſtoris ſolatio deſtitutam,
„ de ſimili conſilio Apoſtolica authoritate transtulerimus, ipſumque illi in Epi-
„ ſcopum præfecerimus, & Paſtorem; curam, regimen, & adminiſtrationem
„ ipſius Eccleſiæ Sabarienſis ei in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie com-
„ mittendo, volentes, ut ipſe, antequam regimini, & adminiſtrationi prædictæ
„ Eccleſiæ Sabarienſis ſe in aliquo immiſceat, in manibus veſtris, ſeu alterius
„ veſtrum fidelitatis debitæ ſolitum juramentum præſtare teneatur juxta formam,
„ quam ſub Bulla noſtra mittimus introcluſam, ac formam juramenti hujusmodi,
„ quod ipſe JOANNES Epiſcopus præſtabit, nobis de verbo ad verbum per ſuas

„ patentes Literas, ſuo ſigillo munitas, cum ſui, ac veſtrum, ſeu alterius veſtrum
„ ſubſcriptione, per proprium Nuncium, quanto citius deſtinare procuret, prout
„ in noſtris inde confectis Literis plenius continetur. Quocirca fraternitatibus ve-
„ ſtris per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum ab
„ eodem JOANNE Epiſcopo noſtro, & dictæ Eccleſiæ nomine juramentum hujus-
„ modi juxta eandem formam recipere auctoritate noſtra curetis, ſeu curet.
„ Datum Romæ &c. *ut ſupra.*

V. *Ad Archiepiſcopum Strigonienſem.*

„ PIUS Epiſcopus Servus Servorum Dei V. Fratri noſtro Archiepi-
„ ſcopo Strigonienſi Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ad cumulum tuæ
„ cedit ſalutis, & famæ, ſi perſonas eccleſiaſticas, præſertim Pontificali digni-
„ tate præditas, divinæ propitiationis intuitu, opportuni præſidii, & favoris
„ gratia proſequaris. Hodie ſiquidem V. Fratrem noſtrum JOANNEM SZILY,
„ nuper Epiſcopum Tininienſem, in Epiſcopum Sabarienſem electum a vinculo,
„ quo Eccleſiæ Tininienſi, quæ in partibus infidelium conſiſtit, cui tunc præe-
„ rat, tenebatur, de venerabilium etiam fratrum noſtrorum S. R. E. Cardina-
„ lium conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes, illum ad Ec-
„ cleſiam Sabarienſem, in Cathedralem a nobis nuper erectam, & ab ejus pri-
„ mæva erectione Paſtoris ſolatio deſtitutam, de ſimili conſilio Apoſtolica au-
„ ctoritate transtulimus, ipſumque illi in Epiſcopum præfecimus, & Paſtorem;
„ curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Sabarienſis ei in ſpiri-
„ tualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout in noſtris inde con-
„ fectis Literis plenius continetur. Cum igitur, ut idem JOANNES Epiſcopus
„ in commiſſa ſibi Eccleſiæ Sabarienſis cura facilius proſequi valeat, tuus favor
„ ei fore noſcatur plurimum opportunus, Fraternitatem tuam rogamus, &
„ hortamur, attente tibi per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus eundem
„ JOANNEM Epiſcopum, ac prædictam Eccleſiam Sabarienſem Suffraganeam
„ tuam habens, pro noſtra, & Sedis Apoſtolicæ reverentia propenſius commen-
„ datos, in ampliandis, & conſervandis juribus ſuis ſic eos tui benigni favoris
„ auxilio proſequaris, quod idem JOANNES Epiſcopus per tuæ auxilium gra-
„ tiæ ſe poſſit in commiſſo ſibi prædictæ Sabarienſis Eccleſiæ regimine utilius
„ exercere, tuque divinam miſericordiam, ac noſtram, & dictæ Sedis bene-
„ dictionem, & gratiam valeas exinde uberius promereri. Datum Romæ apud
„ S. Petrum &c. *ut ſupra.*

VI. *Ad Populum Civitatis, & Diœceſis Sabarienſis.*

„ PIUS Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilectis filiis Populo Civitatis,
„ & Diœceſis Sabarienſis Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Hodie V. Fra-
„ trem noſtrum JOANNEM SZILY nuper Epiſcopum Tininienſem &c. *ut ſupra.*

Quocirca

„ Quocirca Univerſitatem veſtram monemus, & hortamur, attente vobis „ per Apoſtolica Scripta mandantes, quatenus eundem JOANNEM Epiſcopum, „ tamquam Patrem, & Paſtorem animarum veſtrarum devote ſuſcipientes, ac „ debita honorificentia pertractantes, ejus monitis, & mandatis ſalubribus hu- „ militer intendentes, ita quod idem JOANNES Epiſcopus in vobis devotionis „ filios, & vos in eo per conſequens Patrem benevolum inveniſſe gaudeatis. „ Datum Romæ &c. *ut ſupra.* „

VII. *Ad Vaſallos Eccleſiae Sabarienſis.*

„ PIUS Epiſcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis univerſis Vaſallis „ Eccleſiæ Sabarienſis Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Hodie V. Fra- „ trem noſtrum &c. *ut ſupra.*

„ Quocirca Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, qua- „ tenus eundem JOANNEM Epiſcopum devote ſuſcipientes, ei fidelitatem de- „ bitam, & conſueta ſervitia, & jura ſibi a vobis debita integre exhibere ſtu- „ deatis, alioquin ſententiam, ſive pœnam, quam idem JOANNES Epiſcopus „ rite tulerit, ſeu ſtatuerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctore „ Domino uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Datum „ Romæ &c. *ut ſupra.*

VIII. *Ad Capitulum Sabarienſe.*

„ PIUS Epiſcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Capitulo Eccleſiæ „ Sabarienſis Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Hodie V. Fratrem &c. „ *ut ſupra.*

„ Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quate- „ nus eidem JOANNI Epiſcopo tanquam Patri, & Paſtori animarum veſtrarum „ humiliter intendentes, & exhibentes ei obedientiam, & reverentiam debitas, „ & devotas, ejus ſalubria monita, & mandata ſuſcipiatis humiliter, & effica- „ citer adimplere curetis, alioquin ſententiam, quam idem JOANNES Epiſco- „ pus rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino „ uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Datum Romæ &c. „ *ut ſupra.*

IX. *Abſolutoria a Cenſuris.*

„ PIUS Epiſcopus Servus Servorum Dei V. Fratri JOANNI SZILY „ Epiſcopo Tininienſi Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Apoſtolicæ Se- „ dis conſueta clementia, ne diſpoſitiones per eam Cathedralibus Eccleſiis pro

„ tempore ſactæ valeant quomodolibet impugnari, ſed perſonæ ad eam promo-
„ vendæ illis puro corde, & ſincera conſcientia præſidere valeant, remedia
„ prout convenit, adhibet opportuna. Cum itaque nos hodie te a vinculo, quo
„ Eccleſiæ Tininienſi, quæ in partibus infidelium conſiſtit, cui præes, teneris,
„ de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio, & Apo-
„ ſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolvere, & ad Eccleſiam Sabarienſem in Ca-
„ thedralem a nobis nuper erectam, & ab ejus primæva erectione Paſtoris ſolatio de-
„ ſtitutam, de ſimili conſilio Apoſtolica authoritate transferre, teque illi in Epi-
„ ſcopum, & Paſtorem præficere intendamus, nos, ne ſi forte aliquibus ſenten-
„ tiis, cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis ligatus ſis, translatio, & præfectio hu-
„ jusmodi poſſint propterea quomodolibet invalidæ reputari, providere volentes,
„ te a quibusvis ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque eccleſiaſticis ſententiis, cen-
„ ſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi
„ quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad hoc dumtaxat, ut translatio & præ-
„ fectio prædictæ, ac ſingulæ Literæ Apoſtolicæ deſuper conficiendæ ſuum ſor-
„ tiantur effectum, Apoſtolica authoritate tenore præſentium abſolvimus, & ab-
„ ſolutum fore annunciamus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus
„ Apoſtolicis, dictæque Eccleſiæ Sabarienſis, etiam juramento, confirmatione
„ Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus
„ contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam
„ noſtræ abſolutionis, & annunciationis infringere, vel ei auſu temerario con-
„ traire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis
„ Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum
„ Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1777. Nono Kalendas
„ Julii, Pontificatus noſtri Anno tertio. „

CAPUT III.

Deſcriptio ſolemnitatis, qua primus Epiſcopus Sabarienſis ad capiendum Eccleſiae ſuae regimen introductus eſt.

SOLEMNITATI, qua Bullæ ſupra deſcriptæ promulgarentur, primusque Eccleſiæ Sabarienſis Epiſcopus JOANNES SZILY de *Felſö Szopor* inaugураretur, delectum fuit Feſtum primi Hungariæ Regis divi *Stephani*, ſive dies viceſimus proximi menſis Auguſti. Hic ille dies erat, quo *Sabaria* nullum unquam habuit lætiorem, nullum vidit auguſtiorem. Præſul civitatem ſuam publice, ac ſolenniter ingreſſurus, tantisper in proximo ſuæ ditionis pago *Szanath* ſubſtitit. Huc ei obviam effuſa eſt Equitum provincialium turma, Nobiliumque virorum manus

lectiſſima, præeunte Vice Comite *Franciſco Horváth de Jákfalva*, qui Præſulem nomine Ordinum totius Provinciæ Caſtriferrei perquam officioſa excepit gratulatione. Cum ad Sabariæ ſuburbana magnifico carpentorum, equorumque adparatu ventum eſſet, ibi Antiſtitem nomine venerabilis Capituli Sabarienſis *Paulus Csödy*, Lectoris, & Canonici eo tempore munus gerens, facunda oratione ſalutavit. Antiſtes dein Templum PP. Franciſcanorum ingreſſus Pontificalem ſumſit amictum: inde progredienti ad portam civitatis Senatus Populusque Sabarienſis, Oratore Notario ſuo *Franciſco Lábos*, gaudium ſuum conteſtatus, ſe ſe protectioni, ac patrocinio novi Præſulis, Paſtorisque, ac futuri Domini ſui commendarat.

Porro ad Eccleſiam cathedralem hoc ordine proceſſum eſt: anteibant cives in ſuos diſtincti cœtus; tum Nobiles gradiebantur phaleratis vecti ſonipedibus: ſecuti dein ſcholares; quibus proximus incedebat Muſicorum chorus, & poſt hunc Religioſi ex ordine ſanctorum Franciſci, & Dominici: hos ſequebantur de Clero ſæculari Presbyteri, Curiones, & Canonici. Demum ipſe ſuis cum miniſtris, uno crucem Epiſcopalem præferente, ibat Epiſcopus, adcurrenti undique populo largam impertiens benedictionem. Agmen claudebat vis innumera omnis ætatis, ordinis, ſexusque hominum. In Cathedrali Eccleſia præſto erat ſplendidiſſimo cum comitatu Sacri Romani Imperii Princeps JOSEPHUS e Comitibus BATTHYAN, Archiepiſcopus Strigonienſis, Regnique Hungariæ Primas, qui adhibitis rite omnibus cœrimoniis, vice Apoſtolica eundem JOANNEM SZILY *de Felsö Szopor* in munus Epiſcopale miſit, novæque Diœceſis Sabarienſis Pontificem inauguravit. Hac occaſione lectæ fuerunt, quas ſupra deſcripſimus, Literæ Regiæ, & Pontificiæ. Habita quoque adlocutio Præpoſiti Majoris *Petri Hajgatho* ad novum Præſulem, & Præſulis tum ad Clerum, tum ad Populum. Sermo hungaricus, quem Præſul ad populum dixerat, typis etiam fuit excuſus, & in vulgus ſparſus. Functionem terminavit decantatus hymnus Ambroſianus.

Reliquum diei adpoſitis feſtivos inter concentus epulis, & ſtipe in egenos largiter erogata, lætitiæ publicæ datum eſt. Nox feſtis collucebat ignibus, ad quorum ſulgorem quaquaverſus ſeſe offerebant depicta ſymbola, & emblemata, præſenti ſolemnitati accommoda. Nec deerant alii amœniorum Muſarum adplauſus, typis editi, atque inter illuſtriores hoſpites diſtributi. Præ cæteris legebatur *Franciſcus Faludius*, omnium confeſſione princeps lyræ hungaricæ, *Joſephusque Rainiſius* Faludianæ proximus eloquentiæ. Laudem quoque tulere *Baloghii*, & aliorum Odæ, ac Poëmatia, quibus virtutes primi Epiſcopi Sabarienſis, & excelſæ ejusdem animi dotes celebrabantur.

At Præſul cumprimum Diœceſim regendam accepit, munus epiſcopale ab informando Clero auſpicatus eſt. Inſtructio Cleri Sabarienſis, ab hoc Antiſtite concinnata, ipſoque aditi Epiſcopatus anno literis Vindobonenſibus Trattnerianis edita, bifariam diſpeſcitur: prius enim, quæ ad perſonam, dein quæ ad munus eccleſiaſticum attinent, ita in ea exponuntur, ita ſacrarum literarum oraculis,

Conciliorum decretis, ſanctorum Patrum ſententiis, ac receptis Eccleſiæ, Patriæque noſtræ conſuetudinibus firmantur, & ſtabiliuntur, ut nihil hoc opere ſolidius, ſanctius nihil eſſe poſſit. Sed en ſumma utriusque partis capita: *Partis primæ Capite* I. agitur de Vocatione, & modo Statum, ac Beneficium Eccleſiaſticum, præſertim curatum, & jurisdictionem conſequendi. II. De congruo veſtitu, & honeſta ſupellectili Clericorum. III. De neceſſaria, & aſſidua Oratione vocali, & mentali. IV. De charitate proximi, comitibusque virtutibus, humilitate, & manſuetudine. V. De innocenti, & caſta Clericorum converſatione. VI. De ſobrietate tenenda, comeſſationibus vero, ebrietate, & choreis vitandis. VII. De uſu, venatione, percuſſione, blasphemiisque vitandis. VIII. De Avaritia, Negotiatione, & Nepotismo vitandis, hoſpitalitate autem exhibenda. IX. De ſcientia, Eccleſiaſticis, præcipue animarum Curatoribus neceſſaria. *Partis* autem *ſecundæ Capite* I. De Reſidentia Clericorum. II. De cura Templorum, & Rerum ſacrarum. III. De prædicatione Verbi Divini. IV. De tradenda Doctrina chriſtiana. V. De prompta Sacramentorum Adminiſtratione. VI. De Baptismo. VII. De Confirmatione. VIII. De Euchariſtia. IX. De celebratione Miſſæ Sacrificii. X. De Ordine Divinorum diebus Dominicis, ac Feſtis. XI. De Pœnitentia. XII. De extrema unctione. XIII. De Ordine. XIV. De Matrimonio. XV. De ſtola, ſeu Eleemoſyna pro Sacramentorum, & Sacramentalium Adminiſtratione, aliisque præſtationibus parochialibus. XVI. De modo agendi cum Acatholicis. XVII. De conſervandis, & defendendis Juribus eccleſiaſticis. XVIII. De ludi Magiſtris, & Scholis. XIX. De venerabili Conſiſtorio. XX. De officio Vice Archidiaconorum. XXI. De Regularibus. XXII. De Eccleſiaſticorum, ac potiſſimum Parochorum cum Teſtamento, vel ab inteſtato decedentium ſubſtantia. Inſtructionis hujus exemplar unum in qualibet Sabarienſis Diœceſeos Parochia, Epiſcopi mandato, inter libros parochiales adſervatur, impoſita omnibus animarum Curatoribus obligatione ad eam perlegendam, obſervandamque.

CAPUT IV.

De aliis piis fundationibus occaſione erecti Epiſcopatus Sabarienſis: ſpeciatim de fundatione duorum Canonicorum in Capitulo Sabarienſi.

ERECTO Epiſcopatu Sabarienſi, ne quid ad illius perfectionem, firmitatem, ac perpetuitatem deſideraretur, ea fuit Auguſtæ Fundatricis providentia, & pietas, ut eadem occaſione Collegium quoque Canonicorum Sabarienſium duabus perſonis, novisque fundis auxerit, ac præterea aliam pro dote Eccleſiæ Cathedralis, pro educatione Cleri junioris, pro ſuſtentatione deficientium Parochorum,

& pro quibusvis aliis novæ Diœceſeos neceſſitatibus, fundationem fecerit. Equidem Collegium illud Canonicorum, quod antea Capitulum Collegiatæ Eccleſiæ ſancti Michaelis Archangeli de Caſtroferreo vocabatur, inde ab origine ſua varias ſubiit viciſſitudines. Ejus originem quidam ad primum Hungariæ Regem divum Stephanum referunt, qui illud in *Caſtroferreo*, civitate quondam Regia (hodie tenue oppidum eſt alio nomine *Vasvár*) fundaverat. Verum hæc ſententia nonniſi traditione, ſive potius conjectura haud improbabili nititur: literalia enim hujus Capituli inſtrumenta, quotquot ſuperſunt, ævo ſancti Stephani Regis longe ſunt inferiora, quemadmodum mihi adfirmavit *RR. Stephanus Boros* Lector, & Canonicus hujus Capituli, qui Acta pervolvit, & connotata ſua mecum communicavit.

Antiquiſſimæ ſunt Belæ III. Literæ circa finem ſæculi XII. datæ, quibus Capitulo Caſtriferrei vicum ſancti Michaëlis (*Szent Mihály falva*) & villam *Lapſa* dictam donavit. His ætate proximæ pertinent ad annum 1217. quibus *Andreas II.* cognomine *Hieroſolymitanus* hanc Patris ſui donationem confirmavit: extant quoque aliæ anno 1224 datæ, quibus idem Rex *Andreas* Capitulo eidem poſſeſſionem *Pacson* nuncupatam contulit, ſimulque priores donationes, a privatis in favorem Capituli Caſtriferrei factas, approbavit, ac roboravit. In quodam Privilegio, quod inter hujus Capituli Acta eſt, legitur Rex *Andreas II.* ad ſacram expeditionem profecturus, Protectorem Capituli Caſtriferrei, petente *Petro* Jaurinenſi Epiſcopo, conſtituiſſe Comitem Moſonienſem *Poth* nomine, poſtea Palatinum Regni Hungariæ factum, ut is nempe illud ab iniquis invaſoribus tutaretur, ac defenderet.

Cæterum occaſione bellorum civilium, quæ poſt obitum *Andreæ III* cognomento *Veneti*, in Hungaria exarſere, Capitulum Caſtriferrei ingentia accepi detrimenta. E documentis literalibus Conventus *ſancti Salvatoris de Kapornak* conſtat, *Caſtrumferreum* circa annum 1311. cum ab Alemanniæ, & Auſtriæ hominibus, *Caroli Roberti* confœderatis, occupatum eſſet, ſuperveniſſe *Joannem*, *Henrici Magni* Bani filium, *Matthæo* Trenchinienſi addictum, qui Theotonicos in Eccleſiam compulſos, clauſosque, ſuccenſa Eccleſia combuſſit. Hoc incendio Tabularium quoque Capituli magna ex parte conflagravit. Sub *Sigismundo* tamen Imperatore, ac Rege florentem fuiſſe oportet hujus Capituli ſtatum, quippe ſolemnis quædam Transactio, ob Silvam *Raba Berek* dictam, inter Capitulum, & civitatem Caſtriferrei anno 1440 inita, prodit, eo tempore Capitulum iſtud e duodecim Canonicis, computato Præpoſito, conſtitiſſe: quorum poſtea numerus iniquitate temporum ad ſex, tum ad quinque, ac demum ad quatuor decrevit. Penitus vero interiturum videbatur poſt cladem Mohácsianam, Turcis latius indies per Hungariam dominantibus: quocirca in generalibus Regni Comitiis, anno 1578. ſub *Rudolpho* Cæſare celebratis, Articulo XX. uti ſupra jam diximus, decretum fuit, ut Capitulum Caſtriferrei domicilium mutaret, ac *Sabæ-*

riam, velut in locum tutiorem, cum Sigillo & Protocollo commigraret. Brevi ſubſecutam fuiſſe translationem colligere licet e Capitularibus expeditionibus jam anno 1586. *Sabariæ* ſubſcriptis. Nonnullas ei ſubin lites cum civitate Sabarienſi, donec Domus Capitularium ab omni cenſu dominali, & ab omni onere civili immunes, ac liberæ Decreto Regio, Regnique Ordinum conſenſu declararentur, interceſſiſſe jam alias adnotavimus.

Tandem illuxit annus 1777. inſtituto Epiſcopatu Sabarienſi memorabilis, in cujus gratiam Capitulum iſtud e Collegiato Caſtriferrei factum eſt Cathedrale Sabarienſe, quod nunc Regio indultu in publicis documentis inſcribi ſolet *Capitulum Cathedralis Eccleſiæ Sabarienſis de Caſtro ferreo*. Auguſta MARIA THERESIA illud auxit nova duorum Cannonicorum fundatione, quorum primos eodem mox anno 1777. die 7. Novembris denominavit, *Stephanum Boros de Rakos* antea Parochum *Szanyienſem* Diœceſis Jaurinenſis, & *Joannem Szegedi de Mezzö Szeged* prius Parochum *Rochonczinenſem* Diœceſis Sabarienſis, iisdemque interea ex reditibus vacantium beneficiorum eccleſiaſticorum annuos mille florenos ſingulis aſſignavit, donec veteres Capituli poſſeſſiones, quæ jam hoc tempore vix quaternis Canonicis pro dignitate intertenendis ſufficiebant, novis fundis locupletaſſet: quod poſt biennium accidit, collata eidem parte una diviſi *Prioratus Papoczenſis*. Pars hæc præter dimidium ipſius oppidi *Papócz*, complectitur integrum pagum *Szent Péter*, & prædium *Csenkás* vocatum. Literæ collationales ita habent:

„ Nos MARIA THERESIA &c. memoriæ commendamus tenore præ„ ſentium ſignificantes, quibus expedit univerſis: qualiter nos benigno revol„ ventes animo, quam ſalutare, atque decorum ſit, quantumve ſtabiliendis, „ & firmandis Regnorum noſtrorum Imperiis expediat, in augendum, atque „ ampliandum orthodoxæ Religionis bonum promptiſſima quæque conferre ſtu„ dia, quo & poſteritas laudabilia Prædeceſſorum ſuorum veſtigia conſpiciendo, „ ad parem virtutem, & aliorum bonorum, pientiſſimorumque operum proſe„ cutionem erecta, gloriam hanc quaſi ſimulacrum præ oculis ſemper habere „ poſſit. Quocirca ſpectato eo, quód Capitulum olim Collegiatæ Eccleſiæ ſancti „ Michaëlis Archangeli de Caſtro ferreo, occaſione fundati per nos Epiſco„ patus Sabarienſis in Capitulum Cathedrale Sabarienſe elevatum, & duobus „ Individuis, ſeu Canonicis auctum, ex prahabitis ſuis reditibus iisdem novis „ Canonicis, prouti etiam Columnis Capituli congruam dotem tribuere nequi„ verit, pro ſummo illo jure Patronatus, quod qua Apoſtolica Regina Hun„ gariæ in conferendis, & pro ratione neceſſitatis, ac utilitatis publicæ diri„ gendis Beneficiis eccleſiaſticis, regulandisque Diœceſibus, ac Capitulis optimo „ jure habere, & exercere dignoſcimur; atque pro ea, qua in majus incre„ mentum dominantis in antelato Apoſtolico Regno noſtro Hungariæ ortho„ doxæ fidei, & dotationem Cleri, ac Miniſtrorum Eccleſiæ Dei conſtanter

„ ferimur, pietate, vigilantia, & ſollicitudine, ut nempe neceſſitati prævia per
„ nos ratione aucti Capituli Sabarienſis quaqua ratione ſuccurramus; idcirco
„ Beneficii Eccleſiaſtici, Prioratus quippe olim Beatæ Mariæ Virginis de Pápotz
„ per nos diſmembrati, & in parte mediantibus alterius ordinis benignis funda-
„ tionalibus noſtris neo erecto Capitulo Collegiatæ Eccleſiæ Sopronienſis cle-
„ menter collati, dimidiam Poſſeſſionem Pápotz, integram poſſeſſionem Szent
„ Péter, nec non Prædium Csonkás, omnia Comitatui Caſtriferrei ingremiata,
„ ſimul cum cunctis appertinentiis, terris ſcilicet arabilibus, cultis, & incultis,
„ agris, pratis, paſcuis, campis, fœnetis, hortis, pomariis, ſilvis, nemoribus,
„ dumetis, virgultis, extirpaturis, montibus, collibus, vallibus, vineis, & ea-
„ rum promontoriis, fluviis, aquis, piſcinis, piſcaturis, piſciumve clauſuris,
„ & aquarum decurſibus, molendinis, & eorundem locis, educillis item, &
„ macellis, generaliter vero quarumlibet utilitatum, obventionum, redituum,
„ & pertinentiarum ſuarum integritatibus, quovis nominis vocabulo vocitatis,
„ ſub ſuis veris metis, & antiquis limitibus exiſtentibus, ad prædictam dimi-
„ diam Poſſeſſionem Pápotz, integram Poſſeſſionem Szent Péter, nec non Præ-
„ dium Csonkás, Comitatui Caſtriferrei adjacens, de jure, & ab antiquo ſpe-
„ ctantibus, & pertinere debentibus, ubicunque ſub ſacra prærepetiti Regni no-
„ ſtri Hungariæ corona exiſtentibus, & habitis, eidem Capitulo Cathedralis
„ Eccleſiæ Sabarienſis ea lege aſſignandum, & conferendum eſſe duximus, ut
„ ſupra ſpecificata Prioratus Papoczenſis bona per toties memoratum Capitulum
„ Sabarienſe hactenus poſſeſſis bonis (titulo diſmembrati Prioratus hujus per
„ Canonicum Columnas ſequentem pro perpetuis temporibus retento) plene,
„ & ex integro incorporentur, ex proventibus autem communibus Capitulari-
„ bus Lectori, & Cantori præter ſimplicem canonicalem portionem ſingulis
„ annis cuilibet ducenti floreni præſtentur, congrua vero duorum Canonicorum
„ Columnas ſequentium, in Stallo nempe ultimorum, & quidem ſinguli Cano-
„ nici ducentis florenis annue minus, ac reliquorum Canonicorum defigatur;
„ præterea autem dictum Capitulum Sabarienſe ex rementionatorum Poſſeſſio-
„ num, & Prædii reditibus, ita ſicut ex aliis Capitularibus bonis, obligationi-
„ bus Capitularibus, & ſignanter chori eccleſiaſtici intertenendi, ſed & aliis
„ normaliter benigne præſcriptis oneribus rite ſatisfacere debeat, & teneatur.
„ Immo aſſignamus, conferimus, donamus, & ſundamus perpetuo, ac irrevo-
„ cabiliter tenendum, poſſidendum, & habendum, pariter & uſuandum. Dum
„ igitur ſalutarem hanc fundationem animo deliberato, & de plenitudine
„ poteſtatis noſtræ Regiæ, qua ſumma in præfato Regno noſtro Hungariæ
„ Eccleſiarum Patrona, pro ſolita noſtra erga Deum pietate, & ad ma-
„ jorem cultus divini promotionem, orthodoxæque Religionis propagationem,
„ prout & Cleri (cujus devotis ad Deum precibus, & ſuffragiis fauſta, & felicia
„ ſuſcepti regiminis gubernacula, proſperitatem armorum, & ſecundos adverſus

„ hoſtes victoriarum ſucceſſus, Imperiique, & Auguſtæ Domus noſtræ felicitatem
„ ulterius quoque nos conſecuturas pie confidimus) commodorum incrementum
„ conſtanter directa cura, ſollicitudine, & vigilantia noſtra benigne inſtituimus;
„ una nihil prorſus ambigimus, quin noſtri quoque in Regimine Succeſſores
„ pientiſſimam hancce ordinationem noſtram non modo adimplere, quin potius
„ eandem pro ratione circumſtantiarum novis etiam gratiis, & favoribus augere
„ omnimode adnitentur. Quapropter benigne præcipimus, & mandamus, quorum
„ intereſt, vel in futurum intererit, univerſis, quatenus præſentem ſalutarem
„ fundationem, & ordinationem noſtram in quibusvis evenire queuntibus caſibus
„ ad amuſſim obſervare noverint, neque eidem ſub incurſu indignationis noſtræ
„ Regiæ quaqua ratione contravenire præſumant. In quorum majus robur, firmi-
„ tatemque perpetuam haſce ſecreto majori ſigillo noſtro, quo ut Regina Hun-
„ gariæ Apoſtolica utimur, impendenti communitas extradandas duximus, &
„ concedendas Literas fundationales. Datum per manus fidelis noſtri nobis ſincere
„ dilecti Spectabilis, ac Magnifici Comitis Franciſci Eſzterházy de Galantha,
„ perpetui in Frakno, Aurei Velleris, & una Inſignis Ordinis ſancti Stephani
„ Regis Apoſtolici Magnæ Crucis Equitis, Camerarii, Conſiliariique noſtri
„ actualis intimi, Comitatus Moſonienſis Supremi Comitis, Curiæ noſtræ Regiæ
„ Magiſtri, & per antelatum noſtrum Hungariæ Regnum Aulæ noſtræ, prout &
„ præfati Inſignis Ordinis ſancti Stephani Cancellarii, in Archiducali civitate
„ noſtra Vienna Auſtriæ die 31. menſis Decembris Anno Domini Milleſimo
„ Septingenteſimo Septuageſimo nono, Regnorum noſtrorum Hungariæ, Bohe-
„ miæ, & reliquorum Anno quadrageſimo. Reverendiſſimis, Illuſtriſſimis, Re-
„ verendis item, ac venerabilibus Patribus, Dominis: Joſepho e Comitibus de
„ Batthyán, Perpetuo in Németh Vjvár, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinale, ac
„ Sacri Romani Imperii Principe, Strigonienſis; ac altero Adamo Lib. Bar. Pa-
„ tachich de Zájezda, Colocenſis, & Bacſienſis canonice unitarum, metropoli-
„ tanarum Eccleſiarum Archiepiſcopis; Comite Franciſco Zichy de Vaſonkeö,
„ Jaurinenſis; Comite Carolo Eſzterházy de Galantha Agrienſis; Chriſtophoro e
„ Comitibus Migazzi de Vaal & Sonnenthurn S. R. E. Gardinale, Principe ſacri
„ R. Imp. Adminiſtratore Vacienſis; Joſepho Gallyuff Zagrabienſis; Joanne
„ Baptiſta Caballini Segnienſis, & Modruſienſis, ſeu Corbavienſis; Matthæo
„ Franciſco Kerticza Bosnenſis, ſeu Diakovienſis, & Sirmienſis; Comite La-
„ dislao Kollonich de Kollegrad Tranſilvanienſis; Carolo Szalbek Scepuſienſis;
„ Comite Franciſco Berthold Neoſolienſis; Comite Antonio de Réva Roſna-
„ vienſis; Joſepho Bajzáth Veſprimienſis; Joanne Szily Sabarienſis; Ignatio
„ Nagy de Sellye Alba regalenſis; Emerico Kriſtovits Cſanadienſis (Sedibus
„ Magno Varadienſi, Nitrienſi, & Quinque Eccleſienſi vacantibus) Antonio
„ Zlatarich Belgradienſis, ſeu Samandrienſis; Joſepho Pierer Tininienſis; Stephano
„ Jaklin de Elefant electo Almiſienſis, Comite Sigismundo Keglevits de Buzin

„ electo

„ electo Makarienſis; Ladislao Kováts electo Scardonenſis; Raphaële Szentiványi electo Arbenſis; Joanne Lukátsy electo Roſonenſis; Stéphano Barta electo Novienſis; Gabriele Zerdahelyi electo Kortzolenſis; Emerico Okolicsányi electo Anſarienſis; Georgio Nunkovits electo Serbienſis; Joſepho Pethö electo Driveſtenſis; Joanne Féja electo Scutarenſis; Emerico Lib. Bar. Perényi electo Bacenſis; Joanne Ludovico Lib. Bar. Schvartzer electo Boſonienſis, Eccleſiarum Epiſcopis Eccleſias Dei feliciter gubernantibus. Sereniſſimo item Duce, Domino Alberto, Regio Poloniarum, & Lithvaniæ Principe per Regnum noſtrum Hungariæ Locumtenente Regio; nec non Spectabilibus, ac Magnificis Comite Georgio Fekete de Galantha Judice Curiæ noſtræ Regiæ, Comite Franciſco de Nadásd Regnorum noſtrorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Bano; Comite Adamo de Battyán Tavernicorum, Illuſtriſſimo S. R. Imperii Principe Nicolao Eſzterházy de præfata Galantha Curiæ, Comite Joanne Csáky de Kereſztſzeg Agazonum, Comite Joanne Nepomuceno Erdödy de Monyorokerék Cubiculariorum; Comite Antonio Károlyi de Nagy Karoly Dapiferorum, Comite Leopoldo Palffy ab Erdöd Janitorum; Comite Franciſco Koller de Nagy Mánya Pincernarum noſtrorum Regalium per Hungariam Magiſtris, ac Comite Joanne Palffy ab Erdöd Comite Poſonienſi, cæterisque quamplurimis ſæpefati Regni noſtri Hungariæ Comitatus tenentibus, & honores. „

Introductio Capituli Sabarienſis in Bona, hoc diplomate collata, ritu conſueto peracta fuit Poſonii die 19. Julii anno ſequente 1780. per Comitem *Franciſcum Zichy*, ad excelſam Cameram Regiam Hungarico-Aulicam eo tempore Conſiliarium.

Nunc igitur Sabarienſe Capitulum componitur e ſenis Canonicis, connumerato Præpoſito Majore, quibus adjunctus eſt unus Capellanus, ſeu Præbendariſta, & Notarius ſæcularis. Hodiernus ejusdem ſtatus perſonalis ita habet:

D. PAVLVS CSÖDY, Abbas Benedictionis Dei, Cathedralis Eccleſiæ Sabarienſis Præpoſitus Major, & Canonicus, Archidiaconus Cathedralis, Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Epiſcopi Sabarienſis in ſpiritualibus Vicarius, & cauſarum Auditor Generalis a 30. Aprilis anni 1779.

D. STEPHANVS BOROS de *Rákos*, Cathedr. Eccl. Sabar. Lector & Canonicus, Archidiaconus Tóthságienſis, SS. Theologiæ Doctor, ab 8. Febr. anni 1782. quo defuncto *Franciſco Mechtler* in Lectoratu ſucceſſit.

D. BALTHASAR KÖVESDY Cathedr. Eccl. Sabar. Cantor & Canonicus, Archidiaconus Eörſéghienſis.

D. JOANNES DVGOVICS Cathedr. Eccl. Sabar. Cuſtos, & Canonicus, Archidiaconus Kemenyes-Allyenſis.

Aaa

D. JOSEPHVS NAGY Cathedr. Eccl. Sabar. Canonicus, Archidiaconus Szala Eger - Szeghienſis, & Prior SS. Salvatoris de Pápocz ab anno 1790.

D. ANTONIVS SZÜCS Cathedr. Eccl. Sabar. Canonicus, Archidiaconus Alſo - Lendvenſis, ab anno 1790.

Libet hic ſubjungere ſeriem etſi non integram Præpoſitorum Ven. hujus Capituli, antea Caſtriferrenſis, nunc autem de Caſtroferreo nuncupati. Ax Actis eruit *D. Ladislaus Hajgatho* ejusdem Capituli Notarius. En illam!

Circa annum 1359 *Jodocus.* 1384 *Michaël.* 1391 *Georgius.* 1462 Thomas Decretorum Doctor. 1538 *Michaël* de Sitke. 1542 *Georgius* de Sabaria. 1548 *Marcus* de Velyke. 1551 *Blaſius Zondi* de Alba regali. 1562 *Joannes Karol* de Körmend. 1570 *Antonius.* 1571 *Matthæus Galambos.* 1585 *Ludovicus* ab *Vjlak* uſque 1600, Capitulo jam Sabariam translato. 1604 *Stephanus Csemetei.* 1615 *Joannes Könthös* a 27. Julii. 1616 *Stephanus Telekeſi a*). 1631 *Stephanus* Jaurinenſis. 1639 *Michaël Lönyi.* 1648 *Franciſcus Tolnai.* 1658 Idem ſimul Epiſcopus Belgradenſis, ſeu Samandrienſis, S. C. & R. A. M. Conſiliarius, Abbas Jákienſis, Beneficiatus Sopronienſis. 1660 Idem ſimul Prælatus Tabulæ Regiæ Judiciariæ. 1679 *Petrus Tormaſſi*, usque ad annum 1688. Anno 1689 *Stephanus Kazó* usque ad annum 1699. Anno 1702 *Franciſcus Schákki* usque 1731. Anno 1732 *Paulus Oroſz* uſque 1745. Anno 1746 *Benedictus Foky* uſque 1753. Anno 1754 JOSEPHUS e Comitibus a BATTHYÁN uſque 1755. *b*). Anno 1756 *Carolus Szalbek* uſque 1757. *c*) Anno 1758 *Petrus Hajgatho* uſque diem obitus 25. Martii 1779. Anno 1779 a 30. Aprilis PAULUS CSÖDY, qui etiamnum vivit, & vivat feliciter.

Hodiernus Præpoſitus Major Capituli Sabarienſis agit ſimul, uti ſupra diximus, Vicarium Epiſcopi in ſpiritualibus, Cauſarumque Auditorem Generalem, qui proinde in abſentia ſui Antiſtitis præſidere ſolet Tribunali Eccleſiaſtico, ſeu Conſiſtorio. De hoc primus Eccleſiæ Sabarienſis Epiſcopus ita conſtituit. (P. II. Inſtructionis Cleri Capite XIX.) „ Ut, inquit, populo Diœceſis noſtræ „ juſtitia in cauſis ad forum ſpirituale ſpectantibus promptius adminiſtretur, „ Tribunal eccleſiaſticum in oppido noſtro Sabarienſi, velut Reſidentiæ noſtræ „ loco, conſtituimus, quod ex Generali noſtro in ſpiritualibus Vicario, aliis„ que Aſſeſſoribus a nobis delectis, ac in poſterum deligendis conſtat. Huic „ nos ipſi, quantum per alia negotia poterimus, præſidebimus; in noſtri autem

---

a) Cave hinc confundas cum altero *Stephano Telekeſi*, qui ex Præpoſito Majore Capituli Jaurinenſis factus eſt primum Epiſcopus Cſanadienſis anno 1689. dein Agrienſis anno 1699.

b) Idem qui hodie S. R. I. Princeps, S. R. E. Presbyter Cardinalis, Archiepiſcopus Strigonienſis, Primas Regni Hungariæ.

c) Factus dein ex Præpoſito Majore Capituli Vacienſis Epiſcopus Eccleſiæ Scepuſienſis.

„ abſentia Generalis noſter Vicarius, aut hoc abſente, prior, ſeu ſenior Aſſeſſor „ præſidebit. Hoc Conſiſtorium omni hebdomada (excepta hebdomada ſancta, „ & toto menſe Octobri) binis vicibus, utpote die Martis, & Veneris, vel, ſi „ hi dies per Feſta fori impediti fuerint, ſequentibus diebus ab hora decima „ celebrari, atque ad illud cauſas non ſolum matrimoniales, teſtamentarias, ac „ perjurii referri, ſed etiam omnia examina ad ſtatum Eccleſiaſticum, vel Diœ- „ ceſim ſuſcipiendorum, ordinandorum, Parochorum, Capellanorum, & quo- „ rumvis Sacerdotum tam Sæcularium, quam Regularium, quaſcunque diſpen- „ ſationes, & facultates, cunctaque negotia, Parochos, & alios Clericos, res- „ que ſpirituales concernentia, in illo pertractari, & peragi volumus. Si tamen „ hebdomada ſancta, & menſe Octobri urgentes cauſæ occurrerint, etiam tunc „ V. Conſiſtorium noſtrum conſidere faciemus. Ad valorem, & integritatem „ hujus Judicii trium ad minus Conſiſtorialium, incluſo Præſide, præſentiam „ adeo requirimus, ut, ſi quid a paucioribus, quam tribus, concluſum, ac de- „ ciſum fuerit, illud pro nullo, ac irrito jam nunc declaremus. Quapropter „ cunctos Diœceſis noſtræ Clericos, & præſertim Parochos admonemus, ut no- „ ſtræ hujus Conſtitutionis non ſolum ipſimet memores ſint, verum etiam po „ pulum ſuum de illa adæquate informent, quatenus tum ipſi, tum Parochiani, „ dum quodpiam negotium habuerint, debito modo, & tempore ad V. Conſi- „ ſtorium noſtrum recurſum ſumere valeant. „

Cauſæ quidem matrimoniales, ac teſtamentariæ anno 1786. ab eccle- ſiaſticis tribunalibus ad civilia Decreto Cæſareo Regio translatæ fuerunt, ſed jam anno ſuperiore reſtitutæ ſunt; poſtquam nempe novo Edicto piæ memoriæ JOSEPHVS II. Auguſtus die 28. Januarii anno 1790. conſtituerat omnia in Regno Hungariæ ad eum ſtatum reponere, in quo erant anno 1780. quo poſt fata Auguſtæ Matris ſuæ Regnis præeſſe cœpit.

CAPUT V.

De fundatione Seminarii Sabarienſis, ejusdemque ſtatu priore, ac hodierno. Item de introduct. Sabariæ Scholis theologicis.

NOVÆ Diœceſi neceſſarium erat novum Seminarium Cleri junioris, quod cum ipſa civitate Sabarienſi nonniſi paullo ſerius erigendum videretur, Auguſta Fundatrix interea decrevit, ut pro Sabarienſi Diœceſi quatuordecim Clerici in Generali Seminario Regni Hungariæ penes Regiam ſcientiarum Univerſitatem, alii vero ſedecim in Jaurinenſi Seminario formarentur, ac educarentur. Pro ſingulis adſignati ſunt annui ducenti floreni, partim ex reditibus modo memorat

Seminarii Jaurinenſis, partim ex Dominio *Nyul*. Iſtud ab Epiſcopatu Veſprimienſi avulſum eſt ea lege, ut inde quotannis mille ducenti floreni pro Dote cathedralis Eccleſiæ Sabarienſis, nec non bis mille octingenti pro ſuſtentatione, & educatione quatuordecim Clericorum ſupra laudato Generali Seminario obtingerent, reſidui autem reditus in ſuſtentationem deficientium Parochorum, atque in alias Diœceſeos Sabarienſis neceſſitates impenderentur, adminiſtratione ejusdem Dominii *Nyul* Capitulo Sabarienſi, hujusque Cuſtodi Canonico credita, ſub inſpectione tamen Epiſcopi, & cum onere rationum reddendarum. Diploma fundationis anno 1777. in hæc verba datum eſt:

„ Nos MARIA THERESIA Divina favente Clementia Romanorum Imperatrix Vidua, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Galliziæ, Lodomeriæ, Bosniæ, Serviæ, Cumaniæ, & Bulgariæ Regina Apoſtolica, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, & Carnioliæ, Magna Princeps Tranſilvaniæ, Marchio Moraviæ, Dux Brabantiæ, Limburgi, Lucemburgæ, Geldriæ, Würtembergæ, Superioris & Inferioris Sileſiæ, Mediolani, Mantuæ, Parmæ, Placentiæ, Guaſtallæ, Anſchvitzii, & Zatori, Princeps Sueviæ, Comes Habsburgi, Flandriæ, Tyrolis, Hannoviæ, Kyburgi, Goritiæ, & Gradiscæ, Marchio ſacri Romani Imperii, Burgoviæ, Superioris, & Inferioris Luſatiæ, Comes Namurci, Domina Marchiæ Sclavonicæ, & Mechliniæ, Vidua Dux Lotharingiæ, & Barri, Magna Dux Hetruriæ; Memoriæ commendamus tenore præſentium ſignificantes, quibus expedit univerſis. Qualiter Nos benigno revolventes animo, quam ſalutare, atque decorum ſit, quantumve ſtabiliendis, & firmandis Regnorum noſtrorum Imperiis expediat in augendum, atque ampliandum orthodoxæ Religionis bonum promptiſſima quæque conferre ſtudia, quo & Poſteritas laudabilia Prædeceſſorum ſuorum veſtigia conſpiciendo, ad parem virtutem, & aliorum bonorum, pientiſſimorumque operum proſecutionem erecta, gloriam hanc quaſi ſimulacrum præ oculis ſemper habere poſſit. Quocirca ſpectato eo, quod Diœceſes Jaurinenſis, Veſprimienſis, ac Zagrabienſis adeo vaſtos hactenus complexæ fuerint limites, ut impoſſibile quodammodo fuerit iisdem Epiſcopis Paſtoralis Officii partes in tantæ extenſionis Diœceſibus ita exequi, ita omnibus attendere, ita univerſos inſtruere, ac regere, ut rei magnitudo, ac neceſſitas, vetusque Eccleſiæ diſciplina poſtulat, per conſequens hæc ipſa memoratarum Diœceſium ampla adeo extenſio, & exinde promanans adminiſtrationis Eccleſiaſticæ difficultas congruam a nobis qua Apoſtolica Regina, & ſumma Eccleſiarum in præfato Regno noſtro Hungariæ exiſtentium Patrona, exegerit medelam, in eo cumprimis conſiſtentem, ut in remotioribus ab ordinariis Sedibus Epiſcoporum Jaurinenſis, Veſprimienſis, ac Zagrabienſis, Comitatibus, ac Diſtrictibus magis vicini Paſtores conſtituantur, qui Diœceſes ſuas arctioribus limitibus conſtitutas frequentius viſitent, Cleri diſciplinam urgeant, exceſſibus quibusvis, qui promotioni orthodoxæ fidei ob-

„ ſtaculo eſſe poſſent, propius ſolerter invigilent, ac denique procurandæ animarum ſaluti magis, & facilius intenti eſſe poſſint; ac ideo pro ſummo illo jure Patronatus, quod qua Apoſtolica Regina Hungariæ in conferendis, & pro ratione neceſſitatis, ac utilitatis publicæ regulandis Diœceſibus optimo jure habere, & exercere dignoſcimur, præattactos Epiſcopatus Jaurinenſem, Veſprimienſem, & in parte etiam Zagrabienſem dividendos, & e limitibus eorundem in remotioribus quippe Comitatibus, & Diſtrictibus præter alium novum Epiſcopatum Alba Regalenſem, Sabarienſem quoque in oppido privilegiato Sabarienſi diſtinctam Sedem Epiſcopalem, & Diœceſim ſuis limitibus circumſcriptam cum ſufficienti Dote benigne conſtituere, ac una Cathedralem illic Eccleſiam, ac præterea ad rationem novæ hujus Diœceſis Sabarienſis penes Univerſitatem noſtram Regiam in Generali Clericorum Seminario numero quatuordecim Clericos ſtudia ſua proſecuturos, præter illos numero ſedecim Clericos in Seminario Jaurinenſi ex propria illius Seminarii fundatione cum reliquis Diœceſis Jaurinenſis Clericis intertenendos fundare benigne viſum nobis fuerit. Hinc præmiſſum in finem tam videlicet pro Dote Cathedralis Eccleſiæ, & intertenendis in Seminario Generali quatuordecim Clericis, quam & ex eo, quod ſupererit, pro deficientibus Parochis, aliiſque Diœceſis hujus Sabarienſis neceſſitatibus explendis Dominium Nyul in Comitatibus Jaurinenſi, ac reſpective Veſprimienſi ſitum, hactenus per Epiſcopum Veſprimienſem poſſeſſum, Decimas præterea ex eodem Dominio per eundem Epiſcopatum perceptas, ſimul cum cunctis appertinentiis, poſſeſſionibus, & prædiis, nec non terris arabilibus, cultis, & incultis, agris, pratis, paſcuis, campis, fœnetis, hortis, pomariis, ſilvis, nemoribus, dumetis, virgultis, extirpaturis, montibus, vallibus, collibus, vineis, & earum promontoriis, fluviis, aquis, piſcinis, piſcaturis, piſciumve clauſuris, & aquarum decurſibus, molendinis, & eorundem locis, generaliter vero quarumlibet utilitatum, obventionum, redituum, & pertinentiarum ſuarum integritatibus quovis nominis vocabulo vocitatis, ſub ſuis veris metis, & antiquis limitibus exiſtentibus, & ad præſpecificatum Dominium de jure, & ab antiquo ſpectantibus, & pertinere debentibus, ubicunque ſub ſacra prærepetiti Regni noſtri Hungariæ Corona exiſtentibus, & habitis, eidem Cathedrali Eccleſiæ Sabarienſi, nec non ejusdem Diœceſis Seminario pro quatuordecim Clericis ad rationem Diœceſis hujus in antelato Seminario Generali intertenendis, & ſtudiis operam daturis, non ſecus aliis etiam præattactis Diœceſis hujus neceſſitatibus explendis titulo perpetuæ Dotis ea ratione clementer aſſignandum, & conferendum eſſe duximus, ut e proventibus, & reditibus, ac decimis hujus Dominii, per Capitulum Sabarienſe, ſub inſpectione tamen Epiſcopi, & cum onere reddendarum rationum adminiſtrandi, annue quidem mille ducenti floreni repetitæ Eccleſiæ Cathedrali Sabarienſi pro quibusvis ſumptibus neceſſariis, & miniſtrorum ad Eccleſiam requiſitorum ſubſiſtentia, æque erga reddendas rationes ad

„ manus Capituli Cuſtodis, porro floreni bis mille octingenti ad Seminarium Ge-
„ nerale Cleri Regni Hungariæ, pro intertenendis nempe, ut ante dictum, ad ra-
„ tionem Diœceſis hujus Sabarienſis iisdem numero quatuordecim Alumnis, ac in
„ Univerſitate noſtra Regia ſtudiis operam daturis, nec non quibusvis aliis eorun-
„ dem Clericorum neceſſitatibus explendis, ratione quorum ex parte Diœceſis hu-
„ jus cum Præfecto ejusdem Seminarii Generalis tractatus ſuo modo inibitur, per
„ nos ſubinde clementer ratificandus, rite dependantur; quoad reſiduam autem,
„ & a præſpecificatis quatuor mille florenis ſupernatantem proventuum, ac redi-
„ tuum Summam, memoratum Capitulum Sabarienſe, penes quod adminiſtratio
„ deinceps ſemper manſura eſt, modalitatem, qua percipiendos ex eodem Domi-
„ nio Nyul proventus pro antelatis ſeu deficientium Parochorum, ſeu vero aliis
„ Diœceſeos neceſſitatibus applicare, & impendere intendet, prævie ſemper Epi-
„ ſcopo proponere, rationesque de perceptis, & erogatis eidem quotannis exhi-
„ bere, ac demum per Epiſcopum inſpectas pari ratione, uti alia Capitula faciunt,
„ Conſilio noſtro Regio Locumtenentiali Hungarico repræſentare debeat, atque te-
„ neatur. Immo aſſignamus, conferimus, donamus, & fundamus perpetuo, &
„ irrevocabiliter tenendum, poſſidendum, & habendum pariter, & uſuandum.
„ Dum igitur ſalutarem hanc fundationem animo deliberato, & de plenitudine Po-
„ teſtatis Noſtræ Regiæ, qua ſumma in præfato Regno noſtro Hungariæ Eccleſia-
„ rum Dei Patrona, pro ſolita noſtra erga Deum pietate, & ad majorem cultus
„ Divini promotionem, orthodoxæque Religionis propagationem, prout & Cleri
„ (cujus devotis ad Deum precibus, & ſuffragiis fauſta, & felicia ſuſcepti Regi-
„ minis gubernacula, proſperitatem armorum, & ſecundos adverſus hoſtes victo-
„ riarum ſucceſſus, Imperiique, & Auguſtæ Domus Noſtræ felicitatem ulterius
„ quoque nos conſecuturas pie confidimus) commodorum incrementum conſtan-
„ ter directa cura, ſollicitudine, & vigilantia noſtra benigne inſtituimus; una ni-
„ hil prorſus ambigimus, quin noſtri quoque in Regimine Succeſſores pientiſſimam
„ hancce ordinationem noſtram non modo adimplere, quin potius eandem pro
„ ratione circumſtantiarum novis etiam gratiis, & favoribus augere omnimode ad-
„ nitentur. Quapropter benigne præcipimus, & mandamus, quorum intereſt,
„ vel in futurum intererit, univerſis, quatenus præſentem ſalutarem Fundationem,
„ & Ordinationem noſtram in quibusvis evenire queuntibus caſibus ad amuſſim
„ obſervare noverint, neque eidem ſub incurſu indignationis noſtræ Regiæ quaqua
„ ratione contravenire præſumant. In quorum majus robur, firmitatemque per-
„ petuam hasce ſecreto Sigillo noſtro, quo ut Regina Hungariæ Apoſtolica uti-
„ mur, impendenti communitas extradandas duximus, & concedendas Literas fun-
„ dationales. Datum per manus fidelis noſtri nobis ſincere dilecti Spectabilis, ac
„ Magnifici Comitis Franciſci Eſzterhazy de Galantha, Perpetui in Frakno, Au-
„ rei velleris, & una Inſignis Ordinis S. Stephani Regis Apoſtolici magnæ Cru-
„ cis Equitis, Camerarii, Conſiliariique noſtri actualis intimi, Comitatus Moſo-

„ nienſis ſupremi Comitis, Curiæ noſtræ Regiæ Magiſtri, & per antelatum noſtrum
„ Hungariæ Regnum Aulæ noſtræ, prout & præfati Inſignis Ordinis S. Stephani
„ Cancellarii, in Archiducali civitate noſtra Vienna Auſtriæ, die decima ſeptima
„ menſis Februarii Anno Domini Milleſimo Septingenteſimo Septuageſimo Septi-
„ mo, Regnorum noſtrorum Hungariæ, Bohemiæ, & reliquorum anno trigeſimo
„ ſeptimo: Reverendiſſimis, Illuſtriſſimis, Reverendis item, ac venerahilibus in
„ Chriſto Patribus Dominis, Joſepho e Comitibus de Batthyán, Perpetuo in Né-
„ meth Ujvar, S. R. I. Principe, Strigonienſis. Adamo Libero Barone Patachich
„ de Zajezda Colocenſis, & Bacſienſis Eccleſiarum canonice unitarum Metro-
„ politanarum Archiepiſcopis, Comite Francisco Zichy de Vaſonkeö Jaurinenſis,
„ Georgio Klimo Quinque Eccleſienſis, Comite Carolo Eſzterházy de Galantha
„ Agrienſis, Chriſtophoro e Comitibus Migazzy de Vaal & Sonnenthurn S. R.
„ E. Cardinali, Principe S. R. Imperii, Adminiſtratore Vacienſis, Joſepho Gal-
„ lyuff Zagrabienſis, Joanne Baptiſta Caballini Segnienſis, & Modruſienſis, ſeu
„ Corbavienſis, Matthæo Franciſco Kerticza Bosnenſis, ſeu Diakovienſis, & Sir-
„ mienſis, Comite Ladislao Kollonits de Kollegrad Tranſilvanienſis, Carolo
„ Szalbek Scepuſienſis, Comite Francisco Berchtold Libero Barone ab Unger-
„ ſchütz Neoſolienſis, Comite Antonio de Révá Rosnavienſis, Joſepho Bajzáth
„ Electo Veſprimienſis (Sedibus Magno Varadienſi, Nitrienſi, & Csanadienſi va-
„ cantibus) Antonio Zlatarics Belgradienſis, ſeu Samandrienſis, Joanne Szily Ti-
„ ninienſis, Stephano Jaklin de Elephant Electo Almiſienſis, Comite Sigismundo
„ Keglevits de Buzin Electo Makarienſis, Joanne Alapy Electo Dulcinenſis, Eme-
„ rico Kriſtovits Electo Scutarienſis, Eccleſiarum Epiſcopis Eccleſias Dei feliciter
„ gubernantibus. Sereniſſimo item Principe Domino Alberto Regio Poloniarùm,
„ & Litvaniæ Principe, Duce Saxoniæ, prælibati Regni noſtri Hungariæ Locum-
„ tenente noſtro Regio, nec non Spectabilibus, ac Magnificis Comite Georgio
„ Fekete de Galantha Judice Curiæ noſtræ Regiæ, Comite Francisco de Nádasd
„ Perpetuo Terræ Fogarás Regnorum noſtrorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavo-
„ niæ Bano, Comite Adamo de Batthyán Tavernicorum, Illuſtriſſimo S. R. I.
„ Principe Nicolao Eſzterházy de Galantha nobilis Turmæ noſtræ Prætorianæ
„ Hungaricæ Capitaneo, antelato Comite Francisco Eſzterházy de præfata Galan-
„ tha Curiæ, Comite Joanne Nepomuceno Cſáky de Kereſztszegh Agazonum,
„ Comite Franniſco Döry de Jobbaháza Pincernarum, Comite Joanne Nepomu-
„ ceno Erdödy de Monyorokerek Cubiculariorum, Comite Antonio Karoly de
„ Nagy Karoly Dapiferorum, Comite Leopoldo Palffy ab Erdöd Janitorum no-
„ ſtrorum Regalium per Hungariam Magiſtris, ac Comite Joanne Palffy ab Erdöd
„ Comite Poſonienſi, cæterisque quam plurimis ſæpe fati Regni noſtri Hungariæ
„ Comitatus tenentibus, & honores. „

Haud multo poſt tempore Epiſcopus agere cœpit de ædificando in ipſa civitate Sabaria Seminario, ut educationi ſuccreſcentis pro ſua Diœceſi Cleri pro-

pius, ac per ſeipſum invigilare, ſimulque ut traductis eo Alumnis plura in ſuam civitatem commoda derivare poſſet. Et vero Auguſta hoc Epiſcopi conſilium non modo probavit, verum etiam inchoando mox operi dena florenum millia Regio ſuo ex ærario numerari benigne juſſit. Auguſtæ igitur, & Epiſcopi ſumptibus, nec non pia Cleri, aliorumque collatione, intra biennium adſurrexit novum Seminarii Sabarienſis ædificium, in duas eductum contignationes, firma non minus, quam elegante membrorum omnium compage, & amplitudine tanta, ut recipiendis Cleri junioris alumnis, quotquot pro una hac Diœceſi requirerentur, quin & pro ſcholis theologicis iſthuc inducendis, abunde ſufficere potuiſſet. Verum hac vice nondum id aſſequi licuit. Nam poſt M. THERESIÆ obitum, qui in diem 29. Novembris anno 1730. incidit, alia ſubſecuta eſt rerum facies. Ac de Seminariis quidem utut non illico, anno tamen 1784. ſancitum fuit, ut junior totius Hungariæ, & provinciarum adnexarum Clerus poſthac *Poſonii* ſolummodo, ac *Peſtini* e norma reçens præſcripta inſtitueretur, ac formaretur.

Erectis proinde duobus in Hungaria Generalibus Seminariis, reliqua omnia fuere ſublata, & abolita. *Poſonienſi* Seminario Generali Imperator, ac Rex JOSEPHVS II. accommodari juſſit Arcem, Regiis antea Principibus habitatam, ſed tunc, poſteaquam ipſa quoque Regni Corona inde Vindobonam fuiſſet translata, penitus vacuam: *Peſtienſi* autem attributa ſunt altero poſt anno Monaſteria Paulinorum, & Monialium ſanctæ Claræ, novis mox aucta, & ornata ædificiorum acceſſionibus; præterea Domus Alapiana pro ejusdem Seminarii Noſocomio adſignata fuit. Cæterum Tyrnavienſia Seminaria jam anno 1777. ſimul cum Regia ſcientiarum Univerſitate ad urbem, arcemque Budenſem erant translocata, ubi in unum Generale Seminarium, reparato, auctoque extinctæ Societatis JESU Collegio, coaluerunt. Sed annus, quem ſupra memoravi, 1784 etiam Budenſi huic Seminario Generali finem attulit. Ad ejus enim ædes ſuprema fori politici, & Oeconomici Tribunalia (Conſilium Regium Locumtenentiale, & Camera Regia Hungarico-Aulica) quæ antea Poſonii erant, translata fuere: Clerus autem junior, hujusque Doctores Theologi, & Præfecti ad arcem Poſonienſem migrare juſſi ſunt, quo & Pazmaniani Collegii Alumni Vindobona transierant. Reliquum vero Regiæ Scientiarum Univerſitatis Hungaricæ corpus e colle Budenſi Peſtinum, trajecto Danubio, habitatum eodem anno conceſſit; cui poſtea alterum illud, cujus paullo antea meminimus, Generale Seminarium cum novis Scholis theologicis acceſſerat.

Decretum inſuper fuit, ut in ſingulis Diœceſibus eſſet quodpiam Neopresbyterorum Collegium, in quo ſcilicet Clerici, poſt abſoluta in Seminariis Generalibus ſtudia recens ordinati, annum unum in ſedula ad functiones ſacerdotales, & ad curam animarum rite obeundam præparatione, & exercitio tranſigerent. Sabariæ igitur nova Seminarii Domus interea in Collegium Neopresbyterorum converſa fuit, ſic tamen ut illic veteranis quoque Sacerdotibus, qui ætate, laboribus,

bus, morbisve fracti e fundatione ſupra memorata ſuſtentandi ſunt, habitatio adſignaretur. Quin etiam prelis typographicis, quæ hoc primum tempore *Antonius Sieſs* Sopronienſis Sabariam invexit, aliquandiu hoſpitium in hac Domo, idque liberalitate Præſulis gratuitum, obtigit. In hoc ſtatu res erant Seminarii Sabarienſis, cujus incunabula deſcribimus, usque ad annum proxime lapſum, quo JOSEPHINVM Seminariorum Generalium Inſtitutum a novo Cæſare, ac Rege LEOPOLDO II. abrogatum fuit, dataque poteſtas Epiſcopis Hungariæ utendi iterum aliis propriis ſuarum Diœceſium Seminariis, eaque Cleri junioris educandi ratione, quam ipſimet optimam judicaverint.

Igitur a Kalendis Novembribus anni 1790. primus nunc decurrit annus, ex quo Clerici omnes Diœceſeos Sabarienſis in hanc Domum recepti ſunt, & in ea diſciplinis Theologicis imbuuntur. Primus Seminarii hujus Rector, ac Præfectus eſt *Joſephus Nagy*, quem præcedente Capite inter Canonicos Cathedralis Eccleſiæ Sabarienſis recenſuimus. Eidem credita eſt Dominii *Nyul* (id eſt, pagorum *Nagy*, & *Kis Nyul*, ac prædii *Püſpök-Alap* in Jaurinenſi, nec non pagorum *Gecse*, & *Vanyola* in Veſprimienſi Comitatu ſitorum, atque ad Seminarium Sabarienſe ſpectantium) adminiſtratio. Primi in hoc Seminario Scholarum Theologicarum Profeſſores ſunt ſequentes; *Andreas Böle* Theologiæ dogmaticæ: *Stephanus Szilágyi* Theologiæ practicæ: *Gabriel Nagy* Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Juris Canonici, & Eloquentiæ ſacræ: *Georgius Czuppen* ſacræ Scripturæ, & Linguarum ſacrarum. Qui omnes ſimul ſunt V. Conſiſtorii Adſeſſores. Clerici horum diſcipuli numerantur hactenus tres ſupra triginta: adſunt vero præterea decem alii, qui poſt abſoluta Poſonii in Generali Seminario ſtudia cum nondum potuerint curæ animarum admoveri, interea in miniſterio Verbi Dei, & Sacramentorum iſthic exercentur.

CAPUT ULTIMUM.

Deſcriptio novæ Arcis Epiſcopalis, & aliorum quorundam Operum publicorum; ac reliqua de rebus Diœceſis, & civitatis Sabarienſis.

Sub idem tempus, quo ſupra deſcripta Seminarii Domus erigebatur, jacta ſimul fuere fundamenta novæ Arcis Epiſcopalis, quæ jam anno 1781. ad faſtigium adducta fuit, quemadmodum inſculpta frontiſpicio teſtatur hæc epigraphe:

EPISCOPIUM SABARIENSE
JOANNES SZILY
PRIMUS EPISCOPUS SABARIENSIS
F. F. ANNO MDCCLXXXI.

Prodigio ſimile videbatur, tantum Opus tam brevi tempore, biennii nempe ſpatio, a Sabarienſi Epiſcopo, cujus annui reditus non usque adeo ampli eſſent, perfici potuiſſe. Nihil vero in hac ædificii mole prætermiſſum eſt, quod ſeu firmitatis, ſeu commoditatis, ſeu elegantiæ, ac venuſtatis, optimæque ſymmetriæ leges requirebant. Omnia fini ſuo congruunt, tamque Architecti peritiam, quam Præſulis in deligendo, ac dirigendo Architecto ſapientiam commendant. Hoc epiſcopium triplici conclavium ordine in tria ſurgit latera, ad rectos angulos juncta, clauditque in quadrum aream lapide, & arenato ſtratam; extrema enim duo latera prætenſo junguntur muro, duabus ad veterem Baſilicam portis pervio. Frons aſpectu jucundiſſima non ſuperbit, neque luxuriat, ſed convenientem faſtigio Epiſcopali majeſtatem, ſuavi temperatam modeſtia, ſpirat. Eadem ornatur intercolumnio ordinis Jonici, Mœnianoque ſubdiali, ac Inſcriptione paullo ante laudata; ſupra quam in ſcuto prominent arma gentilitia *Sziliorum* de *Felsö Szopor*, erecti nempe anterioribus pedibus Leo & Urſus ad Palmam in medio poſitam. Scuti apicem efficit incumbens galeæ brachium humanum, acinace armatum, ſignaque pontificalia, Galerus, Mitra, Pedumque Epiſcopale. Additæ ſunt ædificio geminæ velut alæ, quarum una varias continet penus, & conditoria, altera Domum Seminarii jungit Epiſcopio, clauditque aream, quam nunc vetus arx terminat. Hæc, ut intellexi, locum brevi cedet novæ Baſilicæ, quam idem Antiſtes erigere meditatur. Jam quid de interiore harum ædium fabrica, & adparatu referam? omnia cubilia ſunt politiſſima, & miri nitoris: in plerisque picturæ oculos æque, ac animum oblectant, mentemque erudiunt: Cœnationes, ſeu Palatia duo ſunt: unum, idque majus in ſuperiore Conclavium ordine ortum reſpicit, mediumque tenet locum, & Subdiali junctum eſt. In hoc præter ingenioſa divinæ Providentiæ ſymbola in laqueari depicta, parietes nobili prorſus inventione ad-

umbratam priſcæ Sabariæ hiſtoriam ſiſtunt, deductionem videlicet Coloniæ Romanæ ſub Imperatore Claudio Druſi filio, florentem ejusdem ſtatum ſub Septimio Severo Perrinace, ac deinceps ævo Conſtantiniano; tum illius detrimenta, & everſionem ſub Attila Hunnorum Rege. In minore Palatio, quod Solis occaſui obvertitur, & in imo cubilium ordine ſitum eſt, monumenta Romana, veteresque Inſcriptiones, apud Sabariam erutæ, non minus fideli, quam docto penicillo circumquaque in parietibus repræſentantur. Sacello domeſtico, quod lectiſſimæ Præſulis Bibliothecæ cohæret, nitidius nihil eſſe poteſt. Hoc unicum videas, cujus parietes porphyrio marmore veſtiuntur, auroque rutilant. Aram ſimplicitas nobilitat, quæ ſolo Servatoris de Cruce pendentis ſimulacro, ex alabaſtro ad vivum expreſſo, gradibusque, & menſa marmorea, cui probe inauratum incumbit tabernaculum, abſolvitur. Memoratu inſuper dignum eſt Triclinium, in cujus aulæis Acta, & res geſtæ Doctoris gentium Pauli Apoſtoli adeo feliciter coloribus expreſſæ ſunt, ut inter celebriores noſtri ævi picturas, judicio peritorum, referri mereantur.

Præter ædes modo deſcriptas ædificavit idem Præſul Parœciam quoque Sabarienſem, pluribusque aliis domibus civitatem, & alia ſuæ Diœceſeos loca ornavit, auxitque. Immo & Pagum, *Uj Perénth* nuncupatum, medio quaſi loco inter *Sabariam*, & prædium *Sorok*, condidit, ubi novis colonis omnia voluit eſſe æqualia; domos nimirum ejusdem magnitudinis, concinna ſerie in duos diſpoſitas ordines; eundem quoque pro ſingulis areæ, & hortuli, agrique modum conſtituit.

Nunc reliqua non alio, quam annorum ordine exequar. Prima Diœceſis Sabarienſis per novum Epiſcopum ſuum viſitatio cæpta fuit Kalendis Maji anno 1778. terminata vero ad III. Idus Junii anno 1780. Repertæ tunc fuerunt in ea Diœceſi centum quadraginta ſex Parochiæ, quibus haud multo poſt procurante Antiſtite quatuor aliæ acceſſere. Nonis Februarii anno 1781. inſtituta quoque eſt viſitatio Ven. Capituli, ac intra quatriduum abſoluta. In Ephemeridibus Vindobonenſibus anni nunc memorati ad diem 29. Junii deſcribuntur Literæ *Sabaria* „ in hæc verba datæ: „ Magnos, & aſſiduos hic imbres habemus, qui œconomiæ rurali quam maxime noxii ſunt. Heri intra quatuor horarum ſpatium aquæ „ fluvii aurei, qui vulgo *Perénth* dicitur, & prope hanc urbem decurrit, tantopere increverunt, ut non modo usque ad civitatis portam, quæ ab oppido „ *Körmend* nomen habet, & minimum triginta paſſibus ab alveo hujus fluvii diſtat, ſeſe diffunderent, atque in ipſam civitatem penetrarent, ſed etiam propinquiorum domorum feneſtras altitudine æquarent. Commota eſt tota civitas „ ad repentinam hanc, & inſolitam fluvioli hujus exundationem, atque ad memoratam portam confluxit. Sacer Præſul noſter cum pro ſuo, quo in omnes „ fertur, amore, & paterna ſollicitudine nunc huc, nunc illuc adcurreret, ut „ periculo, ſi quod alicui impenderet, occurrere poſſet, reperit pueros ita jam „ aquis circumdatos, ut mox iis ſubmergendi viderentur. Nemo erat, qui con-

„ tempta undarum vi pueros ex iis eripere auderet. Itaque ſacer Antiſtes largam
„ mercedem recepturum eum eſſe clamabat, qui eos a præſenti vitæ diſcrimine
„ liberaturus eſſet. Aderant triſti huic ſpectaculo nonnulli de ſtudioſa literarum
„ juventute, qui illico in aquam ſe mittentes, humeris ſuis pueros in tutum de-
„ portarunt. Epiſcopus ſubinde adoleſcentibus illis mercedem promiſſam reddi,
„ & pueros in ædes Olitoris deferri juſſit. „

Die 8. Junii anno 1783 vitam cum morte commutavit Comes *Franciscus Zichy* Epiſcopus Jaurinenſis, annos natus octo ſupra octoginta. Mox igitur ab ejus obitu Epiſcopus Eccleſiæ Sabarienſis, (quemadmodum diplomate Regio ſancitum fuiſſe, ſupra vidimus) poſſeſſionem Civitatis, ac Dominii Sabarienſis adivit, dimiſſa, cujus interea reditibus fruebatur, Abbatia ſancti Jacobi de Siliſio. Idem ſequente anno ex veteri Arce ad novam conceſſit habitatum.

Annus 1786. ob adventum Sereniſſimi Archiducis FRANCISCI Sabarienſibus illuſtris fuit. Is profecturus ad caſtra Peſtienſia, die 21. Junii Vindobona diſceſſit, ac *Sabariam* interea divertens, quatuor circiter hebdomadis in eadem commoratus eſt, Seminarii ædibus pro hoſpitio uſus. Prima iſthic militiæ rudimenta Archidux poſuit apud Legionem ſuam equeſtrem; cujus proinde exercitiis, decurſionibus, ac evolutionibus quotidie horis matutinis intererat: reſiduum vero tempus luſtrandis rebus aliis in civitate, ac circumſita regione impendit. Die 9. Julii viſum eſt Archiduci publicam Legionariis ſuis indulgere lætitiam, quibus idcirco ſexaginta aureorum fecit donativum. Eundem diem Sabarienſis quoque Præſul cenſuit opportuniſſimum ad conteſtandum palam gaudium de præſentia tanti hoſpitis. Itaque convocato ex tota late vicinia flore nobilitatis, accitisque omnibus e Legione Archiducis militaribus Præfectis, lautiſſimas in majore Palatio ſuo inſtruxit epulas, interque concentus muſicos hilaria dedit, in ſeram usque noctem producta, quæ comitas Regii Principis multo reddidit jucundiſſima. Diſceſſus Archiducis e Stativis Sabarienſibus ad Peſtienſia, quo Legionem ſuam præmiſerat, incidit in diem 20. Julii.

Anno 1788. Sabarienſis Diœceſis denuo per Præſulem ſuum luſtrata eſt. Abhinc ad priorem 150. Parochiarum numerum acceſſere novemdecim partim novæ Parochiæ, partim locales Capellaniæ, conſtitutis ubique verbi Dei, & Sacramentorum Admininiſtris. Numerantur in hac Diœceſi ſequentes Abbatiæ: 1. Sancti Gothardi. 2. S. Margarethæ de Porno. 3. S. Georgii Militis, & Martyris de Jaak. 4. Natæ Reginæ Angelorum de Peczöl. 5. B. M. V. de monte Giſſing. Item Præpoſitura SS. Salvatoris de Pápocz, & Prioratus SS. Salvatoris itidem de Pápocz. Religioſorum Domicilia ſuperſunt: Leukæ Conventus Auguſtinianorum. Ginſii Collegium Piariſtarum, id quod antea Jeſuitarum fuit. Sabariæ Conventus Dominicanorum & Franciſcanorum. In oppido Caſtro ferreo itidem Dominicanorum Conventus. Franciſcanorum præterea monaſteria Németh Ujvárini, Alſó Lindvæ &c.

Maximam Sabarienſis hujus Diœceſeos partem efficit Comitatus Caſtriferrei, cujus ſupremi Comites, & Vicecomites retroactis temporibus (Seriem, quam iſthic velut pro coronide operis adfero, aliis complendam relinquo) erant ſequentes :

Supremi Comites,

ex Actis, & Protocollis Inclyti Comitatus Caſtriferrei.

Magnificus Balthazar de Batthyán ab Anno - 1484.
Comes Franciscus de Batthyán — — — — 1560.
Comes Franciscus Nádasdi — — — — 1595.
Comes Thomas Nádasdi — — — — 1615.
Comes Franciscus Nádasdi — — — — 1635.
Comes Petrus Széchy — — — — — 1671.
Comes Chriſtophorus Batthyán — — — — 1685.
Comes Franciscus Kéri — — — — 1687.
Comes Adamus de Batthyán — — — — 1700.
Comes Alexander Erdödi — — — — 1703.
Comes Ludovicus de Batthyan — — — — 1727.
Princeps Adamus Venceslaus de Batthyán — — — 1762.
Princeps Ludovicus de Batthyán — — — — 1780.

Ordinarii Vice-Comites.

Stephanus Sibrik — — — — — 1595.
Georgius Zichi — — — — — 1595.
Franciscus Nádasdi — — — — — 1598.
Stephanus Darabos — — — — — 1602.
Paulus Nádasdi — — — — — 1604.
Stephanus Szeleſtei — — — — — 1605.
Thomas Nadasdi — — — — — 1608.
Simon Eördögh de Pöliske, una Præſidii Pöliskeienſis Capitaneus 1632.
Franciscus Kaldj — — — — — 1635.
Stephanus Kisfaludi — — — — — 1641.
Balthazar Nádasdi — — — — — 1647.
Petrus Kaldi — — — — — — 1656.
Paulus Cſömörtei de Nemes Ládony — — — 1659.
Caſpar Niczky de eadem — — — — 1662.
Joannes Enyedi — — — — — 1663.

Nicolaus Faluſi	—	—	—	—	—	1671.
Petrus Kaldi	—	—	—	—	—	1673.
Joannes Horváth de Szent-György			—	—	—	1676.
Paulus Szegedi	—	—	—	—	—	1687.
Joannes Hevenyes de Kiſs Heves, ſimul Proto-Notarius					—	1700.
Sigismundus Horváth de Szent György			—	—	—	1705.
Joſephus Sigrai	—	—	—	—	—	1713.
Joannes Zabothin	—	—	—	—	—	1717.
Adamus Talian	—	—	—	—	—	1722.
Stephanus Roſti	—	—	—	—	—	1730.
Balthazar Szeleſztei	—	—	—	—	—	1742.
Stephanus Sallér	—	—	—	—	—	1749.
Stephanus Zarka	—	—	—	—	—	1754.
Franciscus Roſti	—	—	—	—	—	1762.
Franciscus Horváth de Jákfalva S. C. & R. A. M. Conſiliarius					—	1775.
Franciscus Boros de Rákos, S. C. & R. A. M. Conſiliarius					—	1789.

Inter præcipua Civitatis Sabariæ ornamenta eſt Domus illa, in qua Inclyti hujus Comitatus congregationes, & judicia celebrantur, Præſide Comite Supremo, aut in hujus abſentia Vice-Comite. Poſtremis quidem hiſce annis priſca idgenus congregationum, & judiciorum celebrandorum forma magnopere fuit immutata, poſtquam videlicet piæ memoriæ JOSEPHO II. Auguſto viſum fuiſſet, univerſum Hungariæ Regnum cum adnexa Croatia, & Sclavonia in denos, quos Regii Commiſſarii ampliſſima cum poteſtate moderarentur, Diſtrictus diſpeſcere. Erant autem hi ſequentes: I. Diſtrictus *Jaurinenſis*, complectens Comitatus Jaurinenſem, ac Moſonienſem recens unitos, item Comaromienſem, & Strigonienſem unitos, nec non Veſprimienſem, Sopronienſem & Caſtriferrei *d*). II. *Peſtienſis*, conſtans e Comitatibus Peſt, Pilis, & Solth, jam dudum, & quidem articulariter unitis, item Heveſienſi, Neogradienſi, Borſodienſi, & Albenſi. III. *Quinque Eccleſienſis*, continens in ſe Baranyienſem, Tolnenſem, Simeghienſem, Sirmienſem, & Veröczenſem. IV. *Zagrabienſis*, e Comitatibus Poſegano, Criſienſi, Zagrabienſi, Varasdinenſi, & Szaladienſi coaleſcens. V. *Temeſienſis* comprehendens Comitatus Bacſienſem, Torontalienſem, Kraſzovienſem, ac Temeſienſem. VI. *Magno-Varadinenſis*, inſcriptis eidem Comitatibus Biharienſi, Cſanadienſi, item Cſongradienſi, & Békeſienſi unitis, nec non Aradienſi, & Szabolcſenſi. VII. *Munkacſienſis*, relatis ad eundem Comitatibus Bereghienſi, &

d) Charta geographica Comitatus Caſtriferrei hodie optima eſt, quam paucis abhinc annis confecit, ærique incidendam curavit *D. Joſephus Kenedics*, ejusdem Comitatus Geometra. Ejus latitudo tres circiter pedes, totidemque altitudo æquat.

Vgocſenſi unitis, item Szathmarienſi, Maramaroſienſi, & Vnguarinenſi. VIII. *Caſſovienſis*, Comitatibus ad hunc ſpectantibus, Sároſſienſi, Zemplinienſi, Scepuſienſi, item Abaujvarienſi, ac Tornenſi unitis. IX. *Neoſolienſis*, ortus e Comitatibus Honthenſi, Gömörienſi, ex Arvenſi item, & Liptovienſi unitis, uti etiam e Thuroczienſi, & Zolienſi unitis. X. *Nitrienſis*, Comitatibus eidem attributis, Poſonienſi, Nitrienſi, Barſienſi, atque Trenchinienſi.

Cæterum tam hoc, quam alia quædam nova Inſtituta jam hodie abrogata ſunt. Quod quem in modum acciderit, quamvis in recente omnium memoria ſit, tamen poſteritatis gratia iſthic etiam attingere juvat. Durante bello Turcico, quod pro fœderatis Ruſſis Imperator gerendum ſuſceperat, quamvis lætiſſimi, anno præcipue 1789 fuerint armorum progreſſus (expugnatis enim compluribus arcibus, ac præſidiis, captoque Belgrado jam a noſtris pars Bosniæ, Serviæque, a Ruſſis vero, & a noſtris Moldavia, & Valachia Provinciæ tenebantur) in Hungaria tamen ſive ob annonæ, commeatusque difficultatem, ſive alias ob cauſas, quæ in mutatam regiminis formam (recte, an ſecus, quis inquirat?) rejiciebantur, res haud modice turbari, & in anguſto eſſe videbantur. Querelis cum omnia perſonarent, ea fuit Imperatoris Regisque pietas, & clementia, ut binis continuo Reſcriptis ſubjectam ſibi Hungarorum gentem perbenigne ſolaretur. In priore, quod die 18. Decembris anno 1789 datum erat, Generalia Regni Comitia, futuramque ſui coronationem, mox ubi glorioſa domitis hoſtibus pax confecta eſſet, ſpondebat: in poſteriore autem, quod die 28. Januarii anno 1790. emanavit, memorabile prorſus, nullaque unquam vel apud ſeram poſteritatem oblivione delendum, edidit paterni ſui erga Hungaros affectus documentum. Eo enim non Regni dumtaxat Comitia in annum proximum indixit, ſed, quod longe majus eſt, ſimul cunctas Adminiſtrationis partes ad eum plane ſtatum, in quo eæ anno 1780 ſub exordium ſui in Hungaria Regni fuerunt, paucos intra menſes, nempe usque ad Kalendas Maji reponi juſſit, Regiaque auctoritate decrevit, tribus ſolummodo articulis, qui nempe introductæ Tolerantiæ, & Parochiarum, Ruſticorumque negotium concernebant, ſibi ad proxima usque Regni Comitia reſervatis. Hoc Decretum ſecuta eſt haud multo poſt remiſſio ſacræ Regni Coronæ, quæ regali cum pompa jam 21 Februarii Budam eſt advecta, Regiaque in Arce repoſita. Sed lætitiam ſolemnitatis hujus altero mox die interturbavit triſtiſſimus de obitu Auguſti nuncius. Vivere deſiit Viennæ Auſtriæ die vigeſima ejusdem menſis, & anni, ante vitæ finem plurimas expertus adverſitates, quas heroico tulit animo, raræ Princeps fortitudinis, invictæque patientiæ.

Abhinc vero, quemadmodum alii per Hungariam Comitatus aliis in locis, ita Caſtriferreus in oppido *Sabariæ* ſuos veteri rurſum forma conventus celebrare, ac de ratione, qua res Provinciæ ad ſtatum anni 1780. quantocyus reponi poſſent, deliberationes inſtituere cœpit. Quanto animorum motu id actum fuerit, produnt Literæ, *Sabaria* e Generali Congregatione die 2. Martii anno 1790. Vien-

nam ad Excelſam Cancellariam Regiam perſcriptæ. Interea cum unum omnium eſſet votum, ut Regni Comitia, Palatini electio, novique Regis coronatio acceleraretur, nulla omnino in ſuperſtite Regnorum hærede mora fuit: eodem enim mox anno, jam pro die ſexta Junii, univerſi Hungariæ Status, & Ordines Literis Regalibus Budam, Regni metropolim, convocati fuere. Illic primum de graviſſimis publicæ Rei negotiis, quæ ante Coronationis Solemnia diſcuti conſueverunt, diſceptatum eſt a Patribus. Inde ſexto poſt menſe convenere Poſonii, ubi, poſteaquam Archidux ALEXANDER LEOPOLDUS unanimi omnium Statuum ac Ordinum conſenſu proclamatus fuiſſet Regni Hungariæ Palatinus, ipſe demum Palatini Pater, Cæſar LEOPOLDUS II. die 15. Novembris ritu ſolemni Rex Hungariæ, & Provinciarum adnexarum inauguratus, & coronatus eſt. Nunc ibidem Generalia Regni Comitia in præſentem usque annum 1791. producta, ſub finem adhuc Januarii, quo hic liber e prelo exit, pro ſalute ut univerſæ Reipublicæ Hungaricæ, ita Sabarienſium quoque, de quibus ſcripſi, continuantur.

O. A. M. D. G.



1. Reſidentia Epiſc. 2 Domus Comitat. 3. Poſtæ Officium. A. Tuchler ſc. Peſt

INDEX

Rerum præcipuarum, quæ hoc opere continentur.

ACINCI ſitus p. 40. temere confunditur cum Acuminco 161.
Adolphus a S. Georgio Ep. Jaur. 337.
Aëtius obſes apud Hunnos 188. ad Regem Ruam ex Italia profugus. 190. Hunnis Pannoniam Saviam fœdere inito cedit. 190.
Agrippæ (Marci) metu quieſcunt Pannonii 82. ab ejus obitu tumultuantur. *ibid.*
Agrippa (Marcius) Pannoniæ, dein Daciæ Præfectus 114.
Alaricus Gothorum Rex Imperio Romano infeſtus 186. ſeqq. Sabariam fruſtra obſidet. 191.
Alboinus Longobardorum Rex Avaribus cedit Pannoniam 198. & Regnum Longobardicum in Italia fundat, *ibid.*
Alexandri Severi expeditiones 114. ſeq.
Alicani civitatis ſitus 35.
Amantius Pannoniæ primæ Præſes S. Quirinum Sabariæ ad mortem condemnat 129.
Ambroſii ſancti res geſtæ Sirmii in Pannonia 182. Ejus Epiſtola ad Valentinianum juniorem 183.
Ambroſius Jaur. Ep. 249.
Andreas Epiſcopus Jaurinenſis 254.
Ackerrayter Eques auratus Curiam liberam obtinet Sabariæ 237.
Antoninus Pius Quadis dat Regem 101. Miſſionem honeſtam confert militibus in Pannonia. 102
Aquæ Jaſæ in Pannonia reſtauratæ privilegium nundinarum obtinent 4.
Arcadius Imp. adjuvatur ab Hunnis contra Gainam nebellem. 185.
Ardaburius, & *Aſpar* Duces expeditionis contra Johannem Tyrannum. 188.
Ardaricus Gepidarum Rex jugum Hunnicum excutit. 193.
Arduinus Ep. Jaur. ſponſam Colomano Regi e Sicilia adducit. 248.
Arnulphus Rex Germaniæ Sabariam donat Saliſburgenſibus Archiepiſcopis. 230. uſus Hungaris auxiliaribus Moravos ſubjugat. 217. & 234.
Artolphus Epiſc. Jaur. 252,
Attilæ expeditiones 190. Sirmium, & Sabariam expugnat. 191.
Avares Pannonia potiuntur 200. a Francis ſubjugantur. 202.
Audoinus Longobardorum Rex Pannoniam occupat. 197.
Auguſtinus Jaur. Ep. legationes obit 271.
Auguſtus Octavianus ſubjugat Pannonios 81.

Bakocz Thomas de Erdöd Ep. Jaur. 272.
Baſſiana civitas in Pannonia inferiore & ſuperiore. 40.

I N D E X.

Batthyani Franc. obtinet a Ferdinando I. inſcriptionem Decimæ Caſtri Vjvár. 278.
Beicz Ambroſius obtinet Sabariæ Curiam liberam 287.
Benedictus I. Ep. Jaur. II*dus*. 154. 263. Eliſabethæ Reginæ, & Ladislai Poſthumi partes tuetur. *ibid.*
Birbányi Stephani Parochi Kövesdienſis pium Legatum pro ſtudioſis Sabarienſibus 332.
Blaſius Paxy Epiſc. Jaur. confirmat privilegia Sabarienſium 275.
Bojorum primus in Pannoniam adventus 67. agrum Sabarienſem incolunt. *ibid.* eorum clades 75. & 78.

Caji Caligulæ Imp. prodigalitas 90.
Calviſius Sabinus Pannoniæ Præfectus 90.
Caracalla Imp. res geſtæ in Pannonia 113.
Carolus M. occupat Pannoniam 202. ſeqq.
Caroli Sexti Imp. Literæ, quibus Domus Canónicorum Sabarienſium liberæ, & immunes declarantur 334.
Caſtriferrei Capitulum transfertur Sabariam 295. Ejus notitia hiſtorica 365.
Chriſtianus Auguſtus Dux Saxoniæ Epiſc. Jaur. 333.
Claudius Imp. Coloniæ Sabariæ auctor 91. Ejus Opera publica. 94.
Clemens I. Epiſc. Jaur. 261. II*dus* 262.
Colomanus I. Epiſc. Jaur. 255. II*dus* 256. III*tius* fundat Sabariæ Conventum PP. Franciſcanorum 257.
Conſtantii Jun. res geſtæ in Pannonia 159. Lex ab eo data Sabariæ. *ibid.*
Conſtantini M. adventus in Pannoniam, & commoratio Sabariæ 133.
Coſmas Epiſc. Jaur. 251.
Cſupor Demetrius Epiſc. Jaur. 272.
Cyrilli, & Methodii ſacra expeditio ad Moravos, & Pannonios. 223.

Dallos Nicolaus Epiſc. Jaur. 315.
Decius Triccianus Pannoniæ Præfectus 114.
Delphica clades Celtarum 72.
Demetrius I. Csupor Epiſc. Jaur. 272. II*dus* Vid. *Napragy.*
Deſertorum Boicorum notitia geographica. 9. ſeqq. hiſtorica 73. & 78.
Deſiderius Epiſc. Jaur. 248.
Dio Caſſius Pannoniæ ſuperioris Præfectus 114.
Diocletiani Imp. res geſtæ 125.
Dionyſius Epiſc. Jaur. 253.
Doczy Vrbani Ep. Jaur. Elogium 277.
Dominicani Sabariam introducti. 321.
Domitiani Imp. res geſtæ in Pannonia 99. ſeq.
Domnus Pannonienſis cujusnam Sedis Epiſcopus? 140.
Draskovith Georg. ſenior Ep. Jaur. Synodum celebrat Sabariæ 297. Ejus Literæ in Arce Sabarienſi datæ 296. fit Cardinalis 306.
Draskovith Georg. junior. Ep. Jaur. Conventum Dominicanorum Sabariæ inſtituit. 321. Querelæ contra eundem 324.

Eliſabethæ Reginæ Literæ de recepta Corona 263.
Enyedi Andreas vendit domum, Sabariæ habitam. 333. Joannis, & Pauli Enyedi Epitaphia 330.

Equitius Magiſter militiæ per Illyricum 165.
Eugenii Papæ II. Literæ ad Principes & Epiſcopos Avariæ & Moraviæ. 208.
Eutherius a Pannoniis, cujusnam Sedis Epiſcopus? 141.

Farkaſſius Epiſc. Iaur. 253.
Ferdinandi I. Imp. Literæ de Decimis Caſtri Vjvár 279. Privilegiales datæ Sabarienſibus 280. collatæ Bakichiis 281.
Ferdinandi II. Imp. Diploma, quo Sabarienſibus peculiaria quædam privilegia conferuntur. 318.
Ferdinandi III. Diploma, quo fundatio Dominicanorum Sabarienſium confirmatur 322.
Flavianus Proconſul Pannoniæ 86.
Forgách Paulus deſignatus Epiſcopus Sabarienſis 337.
Franciſcani Sabariam introducti 257. Eorum viciſſitudines 316.
Franciſcus I. Ep. Iaur. 259. IIdus 274. III. ab Vjlak 280. IV. vid. Zichy.
Fridericus III. Imp. cunctatur reſtituere Hungaris Coronam. & Ladislaum Poſthumum. 269.
Fundatio Epiſcopatus Sabarienſis 344. duorum Canonicorum 364. Seminarii Sabarienſis 371.

Gabinius Rex Quadorum poſt epulas occiſus 165.
Galatiæ Origo 73.
Galerii Maximiliani res geſtæ in Pannonia. 130.
Gallienus partem Pannoniæ Superioris cedit Attalo Marcomannorum Regi. 122.
Geiſæ Ducis baptismus 237.
Gentius Illyridis Rex captus. 77.
Gervaſius I. Epiſc. Jaur. 249. IIdus 250.
Georgius I. Epiſc. Jaur. 248 IIdus a Tartaris occiſus 252. III. *ibidem* IV. 253. V. vid. Draskovith ſenior. VI. Vid. Draskovyth junior. VII. Vid. Széchényi.
Giſelæ Reginæ nuptiæ, & pro dote Sabaria. 241.
Gordianus Pius Imp. in lapide Pannonico 119.
Goſzthon Joannes Ep. Jaur. confirmat privilegia Sabariæ 274.
Gratiani Imp. expeditio in Pannoniam 179.
Gregorius Ep. Jaur. 251.
Gregoryancz Ambroſius obtinet Curiam liberam Sabariæ 286.
Gregoryancz Paulus Ep. Jaur. recuperat dominium Sabarienſe 285. Ejus literæ 286. & ſeq.
Gulielmus Ep. Jaur. 258.

Hadriani Imp. res geſtæ in Pannonia. 101.
Heliodorus Villicus Stationis Savariæ 45.
Hereſinczy Petrus Epiſc. Jaur. 307.
Homodeus Epiſc. Jaur. 253.
Honorius Imp. utitur Hunnorum opera contra Radagaiſum 187.
Hungari Pannoniam occupant 232 convertuntur ad fidem 236.
Hungaria in decem Diſtrictus diviſa. 382.
Hunnorum in Pannoniam ingreſſus primus 170. Secundus 189.

Jaſſii Pannoniæ ſuperioris populus 16.
Inſcriptiones Romanæ Sabarienſium 45. ſeqq.
Joannes I. de Bedrichma Epiſc. Jaur. 259. IIdus confert privilegia Sabarienſibus 259. III. 262. IV. 270. V. vid. Goſzthon. VI. vid. Liſthi. VII. vid. Kutaſſi. VIII. vid. Püsky.

Joannes Primicerius Notariorum arripit tyrannidem 188.
Itinera veterum per Sabariam, deſcribuntur, & iluſtrantur 26. ſeqq.

Izbeg Epiſcop. Jaur. 250.
Karolyi Alexander conſcriptionem dominii Sabarienſis fieri jubet. 334.
Kethely Bartholomæus Nobilis Sabarienſis. 293.
Kollonits Comes Leopoldus Epiſc. Jaur. 332. fit Cardinalis & Archiepiſcopus Coloecnſis, deiz Strigonienſis. 333.
Kulcsar Gregorius civis juratus Sabarienſis. 293.
Kutaſſi Joannes Epiſc. Jaur. 308.

Ladislai Poſthumi coronatio. 264.
Lancearii Sabarienſes. 136.
Leonianus Sabarienſis origine, Abbas Viennæ Galliarum. 192.
Leopoldus Epiſc. Jaurin. vid. *Kollonits.*
Lépes Valentinus Epiſc. Jaur. 315.
Licinii Imp. res geſtæ. 130.
Limigantes Pannoniæ infeſti. 161.
Liſlbi Joannes Epiſc. Jaur. 292. Ejus Literæ patentes. *ibidem.*

Mamertinus Præfectus Prætorio Illyrici. 163.
Marcellianus Dux Valeriæ ripenſis. 165.
Marcus Pitacichius Orator in Synodo Sabarienſi. 301. 304.
Maria Thereſia Regina fundat Epiſcopatum Sabarienſem 345. duos Canonicos 366. Seminarium 372. confirmat inſtitutum Scholarum Sabarienſium 338.
Martinus Braccarenſis e Pannonia. 199.
Martinus Turonenſis oriundus Sabaria 143. Ejus vita, & res geſtæ. 143. - 158.
Mathiæ II. Imp. Diploma, quo novum inſtrumentum privilegiorum Sabarienſium confirmatur. 313.
Mathiſius Stephanus Præpoſitus Capituli Jaurinenſis, idem Judex in Synodo Sabarienſi. 304.
Maximiani Herculei res geſtæ. 125. ſeq.
Maximilianus I. æmulus Wladislai II. exercitum Hungariæ infundit, & Sabariam occupat. 273.
Maximiliani II. diplomata 288. & 291.
Methodius ſanctus, cujusnam Sedis Epiſcopus? 225.
Miculinus Epiſc. Jaur. 251.
Murocinctæ villæ ſitus 168.

Naprágy Demetrius Epiſc. Jaur. novum inſtrumentum privilegiorum Sabarienſium conficit. 311.
Neſtoris Ruſſorum Chronographi narratio de S. Methodio illuſtratur. 223. ſeq.
Nicolaus I. Epiſc. Jaur. 247. II. 255. III. ibidem. IV. vid. *Dallos.*
Norici oppida vetera. 11.
Numi veteres Sabariæ reperti. 62. ſeqq.
Numus Coloniæ Sabariæ an genuinus 5. ſeq.

Ofonibus Manſio 40.
Othonis Imperium ſequitur Legio I. Adjutrix. 97.
Otto I. Germaniæ Rex 235. II & III. 236.
Ovidii Naſonis monumentum ſepulcrale Sabarienſe. 61.

Pannoniæ diviſiones. 130. & 134.
Paſztory Sigiſmundus Judex Nobilium. 334.
Paulus Regis Belæ III. Notarius. 23.
Peiſonis lacus notitia 17. ſeqq. Ejus exundatio memorabilis. 251.
Pethe Martinus Epiſc. Jaur. non tutus Sabariæ 309. Ejus Epitaphium 310.
Petrus I. Epiſc. Jaur. 251. II. 257. III. vid. *Hereſincy.*
Philippus Arabs Imp. non rite Arrabonenſis creditus. 119.
Plinii locus de Scarabantia Julia illuſtratus. 12.
Privilegia Sabariæ 259. & 318.
Probi Imp. res geſtæ in Pannonia. 124.
Probus Pannoniæ ſecundæ Præſes. 129. Alter *Probus* Præfectus Prætorio Illyrici. 165.
Privinæ Moravorum Principis fata. 213.
Püski Joannes quosnam Epiſcopatus geſſerit? 328.

Quadi coërciti. 108. 160. & 167. ſeq.
Quirini Siſcienſis martyrium apud Sabariam. 125.
Quyzin Abbatia al. Giſſing. 24.

Rákocziani Sabariam occupant. 333.
Rhiſpiæ ſitus 42.
Rudolphi II. Imp. diploma continens privilegia Sabariæ. 291.

SABARIÆ hodiernæ deſcriptio. 1. Varia ejus nomina. ibid. Antiquæ Sabariæ ſitus. 8. ſeqq. Statio Sabariæ. 45. & 84. Ad Coloniæ Romanæ dignitatem evehitur. 91. In ea Septimius Severus proclamatur Imperator. 111. ſeq. Illuſtratur martyrio S. Quirini 125. & nativitate beati Martini Turonenſis. 143. Expugnatur ab Attila. 191. Terræ motu evertitur. 194. A Regibus Francorum donatur Eccleſiæ Salisburgenſi. 229. ſeq. Sub Hungaris devolvitur ad Epiſcopos Jaurinenſes. 242. A Tartaris evaſtatur. 252. Recipit monaſterium Franciſcanorum. 255. Ornatur privilegiis a Joanne II. Epiſcopo Jaurinenſi. 259 In ea componitur pax inter Regem Wladislaum I. & Comites Cilejanos 265. ſeqq. Occupatur ab Auſtriacis, & reſtituitur. 273. Confirmationem privilegiorum accipit a Joanne Goſzton, & Blaſio Paxy Epiſcopis Jaurinenſibus. 274 ſeq. Poſt cladem Mohacſianam familiæ Bakichianæ ab Imp Ferdinando I. inſcribitur. 283 Recipitur a Paulo Gregorianczio Epiſcopo Jaur. 285. Ab Impp. Maximiliano II. & Rudolpho II. obtinet confirmationem privilegiorum. 291 & 293. In eam transfertur Capitulum Caſtriferrei. 295. In ea celebratur Synodus Diœceſana. 297. patitur detrimenta tumultu Bocskaiano. 309. Ejus Tabularium conflagrat. 311. Ab Epiſcopo Demetrio Napragy novum inſtrumentum privilegiorum ſuorum obtinet. 312. Et hujus confirmationem a Mathia II. 313. Rex Ferdinandus II. eam ab omni contributione eximit. 318. Recipit Fratres Ordinis Prædicatorum. 321. Vetus illius Arx reſtauratur. 331. In ea erigitur novus Epiſcopatus 344. ſeqq. novum Seminarium 375. nova Reſidentia Epiſcopalis 378.
Schilſon Michaël Epiſcopalium Bonorum Præfectus. 334.
Scordiſci Pannonæ populus. 72.
Sennyei Stephanus Epiſcop. Jaurin. reſtaurat Sabariæ Conventum Franciſcanorum. 315.
Series Epiſcoporum Jaurinenſium. 244. Præpoſitorum Capituli de Caſtroferreo 370.
Series Supremorum Comitum Comitatus Caſtriferrei. 381. Vice-Comitum. ibid.
Sinzendorf Ludovicus Epiſc. Jaur. 337.

Skublicz Michaël Arcis Sabarienſis Proviſor. 329.
S. Stephani primi Ungariæ Regis res geſtæ. 242.
Sventibaldi Moravorum Principis res geſtæ in Pannonia. 214.
Széchény Georgius Epiſc, Jaur. novum Sabariæ templum erigit, arcemque reparat. 330. ſeq.
Szily Georgius emit domum Sabariæ 333.
Szily Joannes primus Eccleſiæ Sabarienſis Epiſcopus. 347. ſeqq. ædificat Seminarium 375. novam Reſidentiam Epiſcopalem. 378. novum pagum. 379.

Tabula veteres miſſionis honeſtæ cum interpretatione. 102.
Theodorus Epiſc. Jaur. 254.
Theodoſii M. expeditio contra Eugenium Tyrannum. 184.
Thomas Bakocz de Erdöd Epiſc. Jaur. 272.
Tiberius de Pannoniis victor 83.
Toliſtoboji e Pannoniis profecti. 17.

Valentiniani & *Valentis* Lex data Sabariæ. 163.
Valentinianus Imp. omen accipit Sabariæ. 168.
Valeria Pannoniæ provincia inſtituta. 130.
Vannius Rex Quadorum profugus ad Romanos. 93
Urbanus Doczi Epiſc. Jaur. 272.

Walemir Rex Gothorum in Pannonia. 195.
Wjlak Franciſcus Epiſc. Jaur. 282.
Wilhelmus Epiſc. Jaur. 256.

Zacharias Delphinus Cardinalis, Adminiſtrator Epiſcopatus Jaurinenſis 291 ſeq.
Zachæus Epiſc. Jaur. 249.
Zichy Franc. Epiſc. Jaur. Scholas Sabariæ inſtituit. 338. ejus obitus 330.

ERRATA sic CORRIGE.

Pag. 6	lin. 26	*Scvaros*	*Savaros*
7	19	aut haud	hanc aut
11	28	*Strabonis*	*Strabonis*
13	25	antum	tantum
17	2 & 3	Vindonam	Vindobonam
20	10	Balato e	Balatone
22	33	*Sabariæ*	*Sabariæ*
31	20	huc	hinc
38	18	publibi	publici
61	18	*Tab. XIV.*	*Tab. XIX.*
73	1 & 2	Anaxicate	Anaxicrate
84	4	conſtitntus ripa	conſtitutus; ripa
Ibid.	15	Snuperioris	Superioris
89	33	pui	qui
90 in Not. *b*)		ſeptingentos milliones aureorum	ſeptingentos milliones ſeſtertiorum, id eſt, ſeptem milliones aureorum
94	15	multitudin	multitudini
101	9	Sarmatorum	Sarmatarum
118	6	commutaverit	commutaverint
133	6	AD 357	377
166	36	*diſcetione*	*diſcretione*
192 in Not. *n*)		*Alcinci Aviti*	*Alcimi Aviti*
202	10	eademque	eandemque
232	8	*Saboria*	*Sabaria*
240	27	norratio	narratio
244	27	*Georgius VI.*	*Georgius V.*
Ibid.	32	*Georgius VII.*	*Georgius VI.*
Ibid.	33	*Georgius VIII.*	*Georgius VII.*
Ibid.	22	*Franciſcus I.*	*Franciſcus II.*
321	3	*Sabarienſem*	*Jaurinenſem*
365	25	accepi	accepit

SPECIAL 86-B
9104
GETTY CENTER LIBRARY